EXERCITATIONES SOCIETATIS LATINAE

QVAE IENAE EST

VVLGATAE

AB EIVS DIRECTORE

FRIDERICO ANDREA
HALLBAVERO
THEOL. DOCTORE ET PROF. P. O.



VOL. II.

LIPSIAE
IMPENSIS CASPARI HENR. FVCHSII.
M DCC XXXXIII.

SERENISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

CHRISTIANO ERNESTO

ET

SERENISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

FRANCISCO IOSIAE

DVCIBVS SAXONIAE

IVLIACI CLIVIAE AC MONTIVM

ANGARIAE ET WESTPHALIAE

LANDGRAVIIS THVRINGIAE MARCHIONIBVS MISNIAE PRINCIPALI DIGNITATE CONSPICVIS COMITIBVS HENNEBERGIAE COMITIBVS MARCAE ET RAVENSBERGAE DYNASTIS RAVENSTEINII RELIQVA.

PRIN-

PRINCIPIBVS
AVGVSTAE GENTIS SAXONICAE
ANTIQVITATE GENERIS
GLORIA MAIORVM
ET
SVMMORVM MERITORVM
CVM
IN S. R. G. IMPERII DIGNITATEM
TVM
IN LITTERARVM ET VNIVERSAE REIPVBLICAE
SACRAE ET CIVILIS DECVS
QVAE
INCREDIBILI TOT SAECVLA ADMIRATIONE
IMPLEVERVNT
ET
OMNIS MEMORIAE LAVDIBVS
PERCELERBATA
PER
VNIVERSAS CVLTIORIS QVAM LATE PATET
ORBIS GENTES
ILLVSTRI FAMA
PERAGRARVNT
MAGNITVDINE ET SPLENDORE
NVLLI IN GERMANIA SECVNDAE
ORTV
ET VEL EO QVOD
AB
ERNESTO PIO
PRINCIPE OMNIVM SAECVLORVM
MEMORIA DIGNISSIMO

VTI
CVNCTA VIRTVTVM DECORA
EXCELSAE FORTVNAE FASTIGIO
DIGNA
DIVINO ANIMO COMPLEXO
ITA
ABSOLVTISSIMO REGNANDI PRVDENTIAE
EXEMPLO
GENVS EX IPSIVS VIRTVTIS STIRPE
GENERATVM DVCVNT
OMNI LAVDIS PRAECONIO
QVANTVM CVNQVE ETIAM ILLVD SIT
MAIORIBVS
SED
EO ETIAM
QVOD
AVITA ET PROPRIA GENTIS SVAE
VIRTVTVM ORNAMENTA
NON SOLVM CVPIDISSIME RETINENT
ET
SAECVLO NOSTRO RESTITVVNT
VERVM ETIAM
NOVIS IDENTIDEM INCREMENTIS
CVMVLATISSIME AMPLIFICANT
IMMORTALITATI COMMENDATISSIMIS
SOCIETAS LATINA
IN
ILLVSTRI ATHENAEO
VERO DIVINAE HVMANAEQVE SAPIENTIAE
DOMICILIO

QVOD

QVOD
TAMQVAM
SEMPITERNVM GLORIAE SVAE THEATRVM
VT
CONSERVATORES INDVLGENTISSIMI
REGALI PLANE MVNIFICENTIA
FOVENT ET COMPLECTVNTVR
AD
POLITIORVM CAVSSAM LITTERARVM
VT NVNC SVNT TEMPORA
GRAVITER LABORANTEM
ET PARTIM CVM SAECVLI INCOMMODIS
PARTIM CVM OBTRECTATORVM ODIO
CONFLICTANTEM
TVENDAM ET SINE LABE CONSERVANDAM
QVANTO FIERI POTEST IMPETV
INCVMBIT
EXERCITATIONVM HARVM
VOLVMEN
QVO
INDVSTRIAE IN LITTERIS MELIORIBVS
ELABORATAE
ET
OFFICII SIBI DATI RATIONES
PVBLICO TESTATAS MONIMENTO
REDDIT
DEMISSISSIMA SVBIECTISSIMAQVE
OBSEQVII TANTIS PRINCIPIBVS DEBITI
RELIGIONE
DAT DICAT DEDICAT.

TANTVM VERO ABEST
VT
CVLPARI A QVOQVAM POSSE
SVAM CREDAT AVDACIAM

VT
OPTIMO POTIVS IVDICIO
INDVCTA
RECORDATIONE LAVDATISSIMI VETERVM MORIS
QVO
HONESTARVM ARTIVM STVDIA
VT
FLAVIVS VEGETIVS RENATVS
AVCTOR EST
LITTERARVM MANDATA MONIMENTIS
ET
IN LIBROS REDACTA
PRINCIPIBVS
OFFERRE SOLEMNE ERAT
VT
TESTIMONIO ILLORVM CONFIRMATA
MAIORA CAPIANT INCREMENTA
QVIA
NISI PRINCIPES FAVEANT
MVSAE LANQVENT
NEC
SVO STARI LOCO DIV POSSVNT
TANTO ARDENTIVS
QVOD
SVAE CONVENIT PIETATI
PERSOLVIT
QVANTO MAGIS
SERENISSIMOS SAXONIAE DVCES
LITTERARVM AVSIBVS
IGNOSCERE POSSE
RES IPSA INVSITATAE IN MVSAS LARGITATIS
EXEMPLIS COMPROBATA LOQVITVR.
AT
NON TAM VENERANDAE ANTIQVITATIS
INSTITVTO

NEC

NEC
PRAESTANTISSIMORVM POETARVM
CONSVETVDINE
QVI
OPERVM, QVIBVS SAECVLI ILLVSTRABANT
GLORIAM
PRIMORDIIS
POST DEOS PRINCIPES COMPELLABANT
VT
CARMINA EX VOTO SIBI PROCEDERENT
SE DEFENDIT
SED
OBSEQVENTISSIMI GRATISSIMIQVE ANIMI
RELIGIONE DEVINCTA
QVOD
OPTATISSIMO MVNIFICENTISSIMORVM
PRINCIPVM
PRAESIDIO FLORENS
FRVCTVS QVOS EX MVSARVM COMMERCIO
PERCIPIT
AD EOS
OPTIMO IVRE REFERRI DEBERE EXISTIMAT
OPERIS HVIVS NVNCVPATIONE
IN
TANTORVM PRINCIPVM
CLIENTELAM DEMISSISSIME SE COMMENDAT
ET
DEVOTISSIMI HOC CVLTVS MONIMENTVM
CVM
SEMPITERNA SAXONICAE GLORIAE
ET BENIGNITATIS
IN LIBERALIS DISCIPLINAE SCIENTIAS EFFVSAE
PRAEDICATIONE CONIVNGIT
SIMVLQVE
SANCTISSIMI OFFICII CVLTVM
IN PERPETVVM OBSTRINGIT.

ET
TAMETSI EA QVAE OFFERT LONGE INFRA
LOCI QVO CONSTITVTI SVNT EXCELSI
SPLENDIDIQVE
AMPLITVDINEM DVCIT
TAMEN QVOD LITTERIS POLITIORIBVS
QVANTVM POTEST
PRODESSE CVPIT
SOLA OPERAE IN HONESTAE REI STVDIO POSITAE
CONSCIENTIA SVSTENTATA
IN
OPTIMAM FIDVCIAM INGREDITVR,
FORE VT
CONATVS SVOS SERENA RESPICIANT
FRONTE
QVOD RELIQVVM EST
SOCIETAS LATINA
SVSCEPTIS MVLTIPLICATISQVE VOTIS
HANC
A SVMMO RERVM HVMANARVM ARBITRO
INIBIT GRATIAM
VT
PRAEPOTENTIS SAXONICAE GENTIS
ERNESTINAE STIRPIS
GLORIA
FLORENTE FORTVNA DOMVS AVGVSTAE
AMPLISSIMISQVE ACCESSIONVM INCREMENTIS
CVMVLATA
NVLLIS TACENDA SAECVLIS
CVM
IPSA AETERNITATE
TERMINETVR.

LE-



LECTORI BENEVOLO

S. D.

FRIDERICVS ANDREAS HALLBAVER

SOCIETATIS LATINAE DIRECTOR.



Eloquentia vt ex naturae praestantia originem, artisque praeceptis incrementum, ita ex dicendi exercitationibus robur suum capit, ac firmamentum. Ingenium scilicet incipit: ab eo enim non modo naturalem quamdam ad orandi facultatem propensionem, verum ipsa eius etiam praesidia, atque ornamenta obtinemus. Sic enim oratoris natura generata esse debet, vt, ea magistra et duce, possit inuenire res veras, aut verisimiles, quae ad omne genus caussae adcommodentur; ex inuenta autem copia atque vbertate tam argumentorum, quam ver-

borum

borum vi quadam iudicii depromere, atque prudenter eligere ad dicendum pro auditorum et rerum rationibus apta. Inde SEXTO PHILOSOPHO non refragarer, adſerenti, Demadem, atque alios ſolius ductu naturae magnam eloquentiae laudem conſequutos fuiſſe. Ad LONGINI autem ſententiam deſcendere non poſſum, *vnam artem ad ea*, quibus praeſtare debet orator, *eſſe naſci artificem.* Solet natura, ſibi relicta, in ſalebras ſaepe incidere, inque iis interdum haerere: ſed ſi ab arte, tamquam ſcientiſſimo gubernatore, dirigitur, rectam tenet, curſumque conficit. Accurate ISOCRATES haec diſputat contra Sophiſtas, πολλοὶ μὲν τῶν φιλοσοφησάντων ἰδιῶται διετέλεσαν ὄντες, ἄλλοι δὲ τινὲς ὐδενὶ πώποτε συγγενόμενοι τῶν σοφιϛῶν, καὶ λέγειν, καὶ πολιτεύεσθαι δεινοὶ γεγόνασιν· αἱ μὲν γὰρ δυνάμεις καὶ τῶν λόγων, καὶ τῶν ἄλλων ἔργων ἁπάντων ἐν τοῖς εὐφυέσιν ἐγγίνονται, καὶ τοῖς περὶ τὰς ἐμπειρίας γεγυμνασμένοι. Ἡ δὲ παίδευσις τὺς μὲν τοιύτυς, τεχνικωτέρυς, καὶ πρὸς τὸ ζεῖν εὐπορωτέρυς ἐπόιησεν. *Multi ex iis, qui philoſophati ſunt, clari non fuere: alii vero, quum nulli vmquam ſophiſtae operam dediſſent, et in dicendo, et in adminiſtranda republica valuerunt. Nam praeſtantia et orationis et rerum aliarum omnium in naturali quadam vi conſiſtit, etiam in iis, qui circa experientiam verſati ſunt. Doctrinae autem inſtitutio eos artificioſiores et ad viuendum feliciores reddidit.* Quae autem in oratoribus natura praeclara ac pulchra profert quum animaduerti et mente percipi poſſint; non adeo difficile eſt diligenter attendentibus, rationes certas, et dicendi praecepta firma, ſtabilia et coniuncta inuenire. Quod quo fiat modo, veteres praeclare expoſuerunt: quum enim pleri-

que

que temere et nulla ratione cauſſas in foro dicant; nonnulli autem propter exercitationem, aut propter conſuetudinem aliquam callidius id faciant; quum alii finem, quo referri omnem orationem oportet, conſequantur, alii non: non eſſe, oſtendunt, dubium, quin, quum quis deprehenderit, quid ſit, quare alii melius, quam alii dicant, ſi non plane artem, at quaſi artem quamdam inueniatis. Non minus vero qui ipſum eloquentiae finem accuratius expendat, atque aeſtimet, ex eo vias quasdam deducet, errare in dicendo non patientes: finis enim in diſciplinis, quae ad exercitationem tendunt, qualis eſt haec oratoria, principium eſt cognoſcendi, et ſtatuendi de iis, quae oratori ſint agenda, aut euitanda. In oratoribus latinis admirabile eſt, quantum MARCVS TVLLIVS CICERO inter omnes vnus excellat: hic vero ex naturae, finisque et oratorum contemplatione, pinxit nobis, detractis omnibus vitiis, oratorem, omni laude cumulatum. Ipſe ſummam copiam, facultatemque dicendi naturae bonitate acceptam retulit: praecepta cum a rhetoribus Graecis accepit, tum ipſe meditando adſequutus eſt. Saepe miror ſiue inſcitiam, ſiue ambitionem aetatis noſtrae declamatorum, qui in CICERONE nihil praeclarum eſſe dictitant, praeter verborum phaleras; qui gloriae ſibi ducunt, eius libros oratorios non attigiſſe: qui denique hoc nomine ſe diſertos cenſent, quod a dicendi magiſtro, qui regnauit, dum vixit, eloquendi virtutibus, apud poſteros autem id obtinuit, vt eius nomen non hominis, ſed eloquentiae nomen habeatur, quam longiſſime diſcedant. Inde autem fit, vt, quum TVLLIVS recte praecipiat, oratoris eſſe, docere, mouere et delectare; dicere

orna-

ornate, copiose, varie, distincte, ordinate, prudenter, composite, apte, adcommodate, memoriter et cum quadam actionis dignitate; vti sententiis atque argumentis ad probandum commouendumque adcommodatis, verbis autem ad audiendum iucundis; cauendam esse pressis oratoribus inopiam et ieiunitatem, amplis vero inflatum et corruptum orationis genus et quae sunt alia: illi ignoratione praeceptorum, quibus oratoria a grammatica, stilo, logica, dialectica, et quouis vulgari loquendi modo discernitur, aut nihil horum faciant, aut, ceteris neglectis, communia tantum quaedam, et contrita obseruerit, neque tamen haec ea adhibeant ratione, quam pro constitutione, et fine dicendi artis oratorem decet. Sed quemadmodum picturae studiosis, nihil profuerit cognouisse Apellis aut alius praestantissimi artificis tabulas, nisi ipse animum manumque ad pingendum admouerit; ita eloquentiae cupiditate flagrantibus, neque summa ingenii ad orandum indoles, neque doctrinae praestantia, neque aliquid bonorum omnium, quae rhetorica complectitur, vtile esse poterit, nisi et scribendo et dicendo sese exerceant. Itaque duobus istis vsus accedat, necesse est: cuius quidem tanta vis est, vt multos paruo ingenio, litteris fere nullis, vt bene dicerent, dicendo consequutos esse, PLINIVS compertum se habere adfirmauerit. Superat certe vsus magistrorum omnium praecepta, vt CICERO lib. I. *de oratore* dixit, et eadem mente lib. II. ep. 25. *stilum dicendi opificem* vocauit. Ipsae autem dicendi exercitationes ita instituendae sunt, vt ad quod natura ipsa ducat, et quid praecepta dicendi praescribant non minus attendi, quam exempla optimorum oratorum ad imitandum sumi debeant. Equidem non negaue-

gauerim, praeclara ingenia, ſi ſuam tantum indolem ſequantur, plurimas virtutes dicendi ex ſe ipſis efferre poſſe: nihilominus et hoc dubitationem non habet, non omnes tam beate naſci, vt, nullo praeeunte, per ſe ſatis conſpiciant, quid in quauis re, quae inciderit, et quae ſit oratione tractanda, ratione argumentorum, ordinis ac dictionis optimum fuerit; quin et illos, in quibus totas vires ſuas eloquentia experta eſt, citius et certius ad facundiae laudem adſpirare, ſi eos ſibi imitandos proponant duces, quorum nomina conſenſus ſaeculorum aeternitati conſecrauit. CICERO naturam habuit admirabilem, vt adeo illi illaborata fluerent, quae alii intentiſſima cura conſequebantur: quantum vero ipſi profuerit, quod ſe ad imitationem Graecorum contulerit, vimque DEMOSTHENIS, copiam PLATONIS, et iucunditatem ISOCRATIS effingere ſtuduerit, ipſe in ſcriptis ſuis paſſim faſſus eſt. Debemus itaque vnum, atque alterum, optimos videlicet in quolibet genere, et laudatiſſimos, quorum ingeniis noſtrum conuenit, eligere, ad quorum imitationem diligenti ratione contendamus: quales vt in epico carmine HOMERVS et MARO, in lyrico PINDARVS et HORATIVS; ita in dicendi facultate DEMOSTHENES, ISOCRATES, CICERO, CAESAR et LIVIVS iure, meritoque habentur. Atque hi quidem legendi ſunt ita, vt meditatione adſequamur, quae et quo modo in auctore expreſſa ſint et argumenta rerum et verborum ornamenta. Audiendi vero etiam ſunt, ſi datur locus, oratores, noſtro tempore eloquentiae principatum tenentes: licet enim in lectione certius ſit iudicium, quod nec vocis, nec actionis impetu impeditur, et lecta ſaepius repeti poſſunt, ſi dubitemus;

 non-

nonnulla tamen, in quibus potiſſimum ea, quae in viua voce et actione ſunt praeſtantia, audiendo intelligi, atque obſeruari melius poſſunt. Neque tamen id ſtatim ſiue legenti, ſiue audienti perſuaſum ſit, omnia, quae ſummus orator dixerit, eſſe perfecta: nam et hic, dum homo eſt, labitur aliquando et dormitat, ſi aut tempus quid poſtulet, non vbiuis attendat, aut plura loquatur, aut ſe oſtentet, aut eorum, ad quos dicit, vel dignitatis, vel commodi rationem non ſatis habeat, aut ſi in aliquo genere inconcinnus, multusue ſit. Sed modeſte de vitiis eius ſtatuendum, et circumſpecto iudicio vtendum eſt, ne quis, quod multis accidit, damnet, quod intelligat. Quod vero vitioſius prolatum eſſe, iudicatur; id non minus vitandum, quam ſimilitudo virtutum orationis non adfectanda eſt. Praeter autem lectionem, et auditionem exercitatio ſcribendi requiritur: qua oratoria ornamenta exprimere debemus, quae in magnis auctoribus obſeruata a nobis ſunt. Sed turpe eſſet, aliorum perpetuo premere veſtigia, ſegnisque hominis duce ſemper indigere; ideo propria ingenii meditatio adhibenda eſt, vt ex hac, tamquam ex perenni fonte fluant, quae ſcribuntur. Prius tamen, quam animum ad ſcribendum adplicamus; cogitari oportet de materia, forma et conſpectu totius orationis: quibus omnibus conſtitutis, praemeditata demum fundenda ſunt et litteris conſignanda, tandem vero diligenter limanda, atque emendanda. Huius quidem emendationis ea debet eſſe ratio, vt, ſi conceditur, ſcripta in aliquod tempus reponantur, et poſt interuallum, ne nobis tamquam recentes foetus, nimis placeant, in manus ſumantur; tum vero adiiciantur,

tur, et detrahantur, quae deficiant, aut ſuperuacanea ſint, ceterum premantur tumentia, humilia extollantur, luxuriantia adſtringantur, inordinata digerantur, ſoluta componantur, exultantia coerceantur *, et praeterea mutentur, quaecunque inepte, et minus eleganter prolata videantur. Reſtat vna, quae dicendi habitum parit, exercitatio: ſcilicet licet nobis ſcribendo, atque emendando ſatisfecerimus; non tamen conſultum eſt, noſtro adquieſcere iudicio, ſed potius elucubrata peritis, atque intelligentibus recitare. Ita facere PLINIVS ** ſolebat: qui nullum emendandi genus quum omittendum eſſe, ſtatueret; primum, quae ſcripſerat, ſecum pertractabat; deinde duobus aut tribus legebat; mox aliis tradebat ad notanda; notasque eorum, ſi dubitaret, cum vno rurſus, aut altero penſitabat; nouiſſime recitabat pluribus; ac tum acerrime emendabat. Commoda recitationis huius varia indicat ***, quod aliquanto acrius ſcriptis ſuis auditorum reuerentia intendat; de quibus dubitet, quaſi ex conſilii ſententia ſtatuat, quum multa a multis admoneantur; et ſi non admoneantur, quod quisque ſentiat, ex vultu, oculis, nutu, manuum motu, murmure, ſilentio, quae ſatis apertis notis iudicium ab humanitate diſcernant, perſpicere poſſit.

 Atque

* FABIVS lib. x. cap. 9.

** lib. VII. ep. 17.

*** lib. V. ep. 3.

Atque hanc viam parandae eloquentiae ingressi sunt commilitones, qui septimo quouis die in acroaterio meo conueniunt, et latinas orationes, carmina, variique generis commentationes cum societatis sibi vinculo coniunctis, tum aliis auditoribus recitant. In quibus, vt, ceu in speculis, cernitur, eos naturam in largiendis ingenii viribus fautricem habuisse; atque doctrinae interioris, ex priscis, et limpidis fontibus haustae, praeceptis, excoluisse animi ista ornamenta: ita ad maiora politioris litteraturae, et facundiae incrementa in dies capienda, in hoc honestae concertationis stadio omnes neruos aetatis industriaeque suae contendunt. Nec poenitebit eos vmquam in eiusmodi exercitationibus, commentationibusque multum operae posuisse, ex quibus magnus fructus ad reliquas scientias facilius atque accuratius intelligendas redundat, quaeque non tantum scholis, verum etiam rebus, siue sacris, siue politicis vtilitatem, dignitatem et insigne adferunt lumen. Excitare ad continuandum ingenui cultus studium suapte sponte, et iudicio currentes, non opus est: quod autem maxime inflammare solet eorum animos, non reticebimus. Id vero est, quod vident, suos conatus a viris, quos actus nostra in hoc litterarum genere fert praestantissimos, valde comprobari. Hi enim dum societatem politioris humanitatis nobiscum coire, suasque cultissimas commentationes nostris addere exercitationibus non dubitarunt; quid magis nostrorum ingenia ad laudem litterarum, quae ab humanitate nomen habent, expetendam allicere, et commouere posset? Quae in hoc nostrarum exercitationum secundo volumine continentur lucubrationes non

tantum

tantum a nominibus auctorum, verum etiam a rerum exquisitarum delectu, stilique nitore, et elegantia tantam ducunt commendationem, vt nostro praeconio non indigeant. Seruamus in tabulario nostro plures varii argumenti dissertationes, orationes, poemata, atque alia scripta, ab honorariis collegis ad societatem missa: quae vt tertio volumine in lucem proxime prodeant, curabimus. Ad extremum vt institutis nostris porro faueant, quotquot his litteris delectantur, et qui iis excellunt, de suo lumine nostrum accendant, oramus, atque obsecramus. Scr. Ienae III id. Maii, anno, quam salus parta est, CIↃ IↃCC XXXXIII.

INDEX
COLLEGARVM SOCIETATIS LATINAE
INDE AB EDITO PRIMO EXERCITATIONVM VOLVMINE VSQVE AD HOC TEMPVS ADSCRIPTORVM.

I. HONORARIORVM.

M. IEREMIAS KETZLERVS, oraculorum diuinorum interpres apud Hirſchbergenſes.

M. LVDOLPHVS BERNARDVS KEMNA, collegii Mariani apud Gedanenſes Rector.

PAVLVS SCHAFFSHAVSEN, Philoſophiae Magiſter.

M. IO. CHRISTOPHORVS KIESEWETTERVS, Illuſtr. Gymnaſii Vinar. Inſpector et P. P.

IO. CHRISTIANVS RITTERVS, ad ſacra Serb. ſacerdos.

IO. FRIDER. IVGLERVS, art. liberal. Magiſter.

A. B. MVLLERVS, ſcholae Michaëlit. Hamb. Rector.

M. IO. CHRISTOPH. STERNIVS, verbi diuini apud Eckolſtadienſes praeco.

IO. AVG. SEEBERGIVS, voluntatis diuinae apud Deuſtettenſes interpres.

M. GODOFREDVS HECKING, Gymnaſii Heilbronnenſis Rector.

FRIDERICVS WILHELMVS PESTEL, I.V.D.

IO. FRID. GRIMMIVS, Gym. Iſen. Conrector.

IO. MARTINVS LVDOVICI, in ſummo iuſtitiae Naſſouico-Dillenburgenſi tribunali aduocatus ordinarius.

II. ORDINARIORVM.

CASP. DOERINGIVS, Sileſius.

IAC. FRED. HEVSINGERVS, Wetterauus.

IO. FRED. GRVNERVS, Coburgenſis.

FRED. HEVSINGERVS, Wetterauus.

EXER-

EXERCITATIONES
SOCIETATIS LATINAE IENENSIS
VARII GENERIS.

I. ORATIONES.

I. Dan. Hainoczy *sacrum parentale diuo Carolo VI. cet.*
II. Io. Matth. Gesneri *oratio in funere Brunquelli.*
III. Io. Sam. Mulleri *oratio de elegantiori puerorum educatione.*
IIII. M. Philippi Dauidis Kraeuteri *oratio de meritis Theologorum Ienensium in sanctiores litteras.*

II. DISSERTATIONES.

I. Christ. Henr. Eckardi D. *diss. epistolaris de ritu sanctiori coetui olim solemni acclamationibus sacrorum antistites eligendi.*
II. Herm. Sam. Reimari *dissert. de optima ratione discendi docendique elementa linguae latinae.*
III. Io. Diet. Winckleri *animaduersionum in Fabri thesaurum Spec. I.*
IIII. Gottl. Frid. Gudii *commentatio de felici rei scholasticae statu in Germania.*
V. Io. Mich. Heusingeri *emendationes aliquot locorum in Cornelii Nepotis vita excellentium imperatorum.*
VI. Io. Christoph. Mylii *disquisitio de origine, natura et vsu numeri oratorii.*
VII. Io. Casp. Everardi Winekenii *comment. de antiquitatibus cathedrarum.*
VIII. Martini Borckii *diss. crit. ad Horatii Odam I. L. I. v. 1-12.*
VIIII. Pauli Schaffshausii *diss. epist. de insignibus Taylorii in Lysiam oratorem meritis.*

III. EPISTOLAE.

I. Illustr. Praesidis *ad societatem epistola valedictoria.*
II. Io. Sam. Mulleri *epistola ad societatem Latinam perscripta.*

III. Wolfg.


SACRVM PARENTALE
DIVO
CAROLO VI
D. LEOPOLDI MAGNI FIL.
D. FERDINANDI III. NEP.
ROMANORVM IMPERATORI
SEMPER AVGVSTO
CAESARI PIO FELICI INCLVTO
GERMAN. HISPAN. HVNGAR. BOHEM. REGI
ARCHIDVCI AVSTRIAE
etc. etc etc.

PATRI PATRIAE

REI LITTERARIAE STATORI CONSERVATORIQVE
A. R. S. cIↃ IↃcc xxxx
D. XIII. KAL. NOV.
BEATIS COELITVM SEDIBVS INLATO

ORATIONE
DE
IMMORTALIBVS
AVGVSTAE DOMVS AVSTRIAE
IN REM LITTERARIAM
MERITIS
IN LIB. REG. PANNONIAE SVPER. CIVITATE SEMPRONIO
PRO CONCIONE SCHOLASTICA
HABITA

CELEBRATVM
A
DANIELE HAYNOCZI
PANNONIO GYMN. AVG. CONF. IBID. CONRECT.
SOC. LAT. IEN. SOD. HON.





Quod dudum optimus quisque, animo futura proſpiciens, non ſibi modo, aut nobis omnibus, neque regno tantum Pannoniarum, verum vniuerſo, qua patet, Chriſtianorum orbi metuebat, votisque calidiſſimis apud DEVM, ſapientisſimum iuxta, ac potentisſimum, rerum humanarum gubernatorem, ſuppliciter deprecatus, auertere cupiebat; quod vix ſceleratisſimus quisque ciuium optabat: id nobis, Auditores, exſpectatione ac metu malorum, quae inde conſecutura ominabamur, moeſtisſimi, arcano diuinae ſapientiae, cuius rationes mirari potius, quam rimari, conuenit, conſilio, die XIII Kalendas Nouembres, anni huius, a ſalutari virginis partu, ſupra ſeptingenteſimum ac milleſimum, quadrageſimi, proh dolor! accidit. O infauſtum anni, menſis, dieique numerum, et omni poſteritati memorabilem! o nos infelices, ac potius miſeros! o nos inuiſos DEO, ac potius, merito noſtro, exoſos! quibus horror ſanctisſimus, incerto rerum euentu trepidantibus, plenam illam metus, ac triſtitiae, querelam non poteſt non elicere: O DEVS, in quae nos tempora reſeruaſti!

 Quam

Quam vero cladem nefaſtus ille dies, atroque calculo digniſſimus, nobis attulerit, nihil meo indicio opus habetis, Auditores. Quis enim eſt, non dicam in vrbe noſtra, ſed in vniuerſo terrarum orbe, qui ſit neſcius, quam triſtis, eodem die, ad omnes gentes, non finitimas modo nobis, ſed remotiſſimas quasque, ac transmarinas, Vindobona Pannonum, incredibili celeritate, dimanauerit nuntius? qui, cum per vrbem noſtram, praeter omnem opinionem, exſpectationemque, percrebeſceret, vniuerſos ac ſingulos, inſperata ſui nouitate, fulminis inſtar, ita perturbauit, vt, verſos in ſtuporem, menteque deiectos, percelleret, proſterneret, ac tantum non exanimaret. Quid enim, quaero ex vobis, Auditores, ex confuſione illa, et conſternatione, quae ſumma eſt, nondum recreatis, quid, inquam, durius luctuoſiusque nobis omnibus accidere potuit, quam, hoc ipſo tempore, quo, pace cum barbaris vixdum inita, firmataque, orbis chriſtianus, noua bellorum tempeſtate, ad occidentem ſolem, vehementer iactari conflictarique coepit, eum amittere, qui, ad clauum reipublicae ſedens, communis ſalutis fuit, tam feliciſſimus, quam artis ſuae ſcientiſſimus, cuſtos; amittere, decedentem ſine maſculo, quem fruſtra nos optaſſe, ſperaſſe, fruſtra votis ſupplicationibusque de coelo imploraſſe, dolemus, paterni ſolii herede; amittere, inquam, eum, quem, ſine religioſae mentis pietate ac conteſtatione, ſine doloris, per venas ac medullas diffuſi, ſenſu, et lamentatione, ne nominare quidem poſſumus; quem, inquam?

CAROLVM VI

ROMANORVM IMPERATOREM SEMPER AVGVSTVM GERMANIAE HISPANIARVM HVNGARIAE BOHEMIAE REGEM ARCHIDVCEM AVSTRIAE

PATREM PATRIAE

PIVM FELICEM INCLVTVM.

Dabitis, ſpero, veniam, Auditores, breuitate hac tituli vtenti, et, quod ſyrmata reliquorum populorum nationumque, imperio CAROLINAE MAIESTATIS ſubiectarum,

rum, praeſcindam, non tam numero, quamuis maximo, quam animi dolori, curarum magnitudine ſtupenti potius, quam loquenti, tribuetis. Quam enim grauem, quamque reparatu difficilem, caſu hoc, iacturam patiamur, animo concipi facilius, quam verbis explicari, poteſt. Amiſimus PRINCIPEM PRINCIPVM AVGVSTISSIMVM, qui gubernacula Imperii Romani, multarumque aliarum gentium, quas a Diuis Maioribus acceperat, in his noſtrarum quoque Pannoniarum, ſapienter iuxta, ac potenter, annos triginta, ſic moderatus eſt, vt publicae Chriſtianorum ſalutis, ac ſecuritatis, contra gentium barbararum tyrannidem, quantumuis opibus formidabilem, feliciſſimus aſſertor, conſeruatorque, dici mereatur. Meliori profecto iure, ac merito, de auguſto hoc funere, quam quondam, de obitu Scipionis Africani, Metellus cos. iudicauit, ſublato clamore pronuntiare poſſumus: (*) Concurrite, populi, tali nudati praeſidio, concurrite moenia tot vrbium, tot prouinciarum, tot regnorum, ipſiusque Romani Imperii corruerunt. Tanto vero grauior haec ruina eſt, tanto reparandae ratio obſcurior abſtruſiorque, quod, cum AVGVSTA haec DOMVS AVSTRIA, HABSBVRGICI ſanguinis, veteri in Friderico exſtincta, auſpicatiſſimis DIVI RVDOLPHI CAESARIS exordiis, propagata, annos iam amplius quadringentos, inter ſummos Europae Principes, maxime floruerit, ex eademque ſtirpe, decem et ſeptem CAESARES, REGES Hungariae duodecim, ſumma imperii dignitate, virtutum, tali faſtigio parium, excellentia, et magnitudine, gloriaque rerum geſtarum, vere AVGVSTOS, procreauerit; num, neſcio, qua fatorum iniquitate, exſtincto ſeculi noſtri Scipione, haec gens, tam antiqua, tamque illuſtris, in virili ſanguine intermoriatur; vnde, ſine vlla diuinandi arte, nihil aliud, niſi motus vehementiores, niſi ingentes rerum conuerſiones, et nouam prorſus rerum faciem conſecuturam, niſi DEVS e machina noſtri miſereatur, nemo eſt, qui non videat. Laetum quidem,

(*) Val. Max. Lib. IV. c. 1.

dem, dignumque votis omnium, fuit vatis illius augurium, qui, ludens ingenio, ex titulo hoc,

CAROLVS SEXTVS IMPERATOR

permutato litterarum ordine, ſententiam hanc, ſolatii plenam,

TRES PARIET VXOR MASCVLOS

elicuerat, dignus profecto lautiſſimo congiario, ſi augurio euentus reſpondiſſet. Sed, o inanes poëtarum luſus! o preces ciuium irritas! o fallaces hominum ſpes, aleae, qua nihil incertius, quam ſimillimas! Vanum enim fuiſſe ingenii huius vaticinium, cum AVGVSTA ELISABETA CHRISTINA, quatuor quidem liberos in lucem ediderit, ex his vero non niſi vnus, non tam datus, quam oſtenſus terris, maſculus fuerit, exitus comprobauit. Nunc, niſi contra malorum, quam metuunt omnes, iliadem, ſpei multum, ac ſolatii, in AVGVSTA MARIA THERESIA, paternae indolis, et virtutis, heredes, cui regna, non iure tantummodo ſanguinis, verum etiam publicis ſanctionibus, pactorumque conuentorum fide, debentur, ſupereſſet: nobis praeſertim Pannoniis, barbaricae tyrannidis periculo proxime expoſitis, domeſticarumque virium inopia laborantibus, deſperata ſalus videretur, eſſemusque ſimillimi naui, aeſtuante mari, gubernatore orbatae, aut gregi, ſine cuſtode errabundo, aut exercitui, ſine duce proelianti. Haec omnino vna, quod DEI ingens eſt beneficium, relicta eſt rebus patriae, grauius adflictis, anchora, quod, legibus Salicis nequaquam circumſcripti, habeamus DOMINAM, ea ſapientia, vt omnia conſilio regere, ea potentia, vt viribus cum domeſticis, tum ſociorum, omnia conficere, illis denique virtutibus conſpicuam, vt omnia fide integritateque tueri poſſit. Haec tamen AVGVSTA patriae MATER, quae nobis ſolatio, ac praeſidio, relicta eſt, ſuo ipſa ſolatio, ac praeſidio, quod in AVGVSTO PATRE habuit, deſtituta, in praeſens orbitatem ſuam acerbe luget, et, cum AVGVSTA MATRE, ac SORORE, cum SERENISSIMO CONIVGE, cum omnibus AVGV-

STIS,

STIS, LEOPODINI, ac IOSEPHINI Nominis, FILIABVS, in ſqualorem luctus coniecta, omnes populos, ſuae ditionis, in ſocietatem doloris inuitat. Neque eſt quisquam, qui non, vulnere hoc AVSTRIAE, grauius condoleat, qui non leonem HABSBVRGICAE GENTIS, erectum ante, nunc inuerſum, imo emortuum, et quaſi in ſepulcrum delabentem, cum dolore intueatur, qui non calamitatem hanc ſimul ad ſe pertinere exiſtimet. Luget AVGVSTA AVLA: moerent omnes Europae Principes: dolet Equeſtris omnium locorum ordo. Luget Italia: lamentatur Germania: dolore conficitur Hungaria: adflictatur Bohemia: angitur Belgium: ſqualet Auſtria: gemit Stiria: cruciatur Carinthia: ingemiſcit Carniola: turbatur Tyrolis: plorat Morauia: flet Sileſia: ſenio conficitur Vindobona: complorant omnes Imperii Ciuitates: municipia, coloniae, agri denique ipſi lacrymantur. Quis eſt inter ſocios AVLAE ac foederatos, qui non tam ſapientem, tam inuictum, tam beneficum, ac ſalutarem, Imperatorem deſideret? adueniunt ex omnibus mundi partibus Vindobonam Oratores, et, quantum doloris Principes ſui hinc capiant, amicitiae officiique cauſa, conteſtantur: baſilicae Regum, ac Principum, in caſtra doloris vertuntur, ſepoſitoque omni ſplendore, atratae, facibus illuſtrantur: ferale per vrbes iuſtitium, cum luctu publico, indicitur. Quae pietas, vt diis manibus, meritisque, CAESARIS OPTIMI in rempublicam Chriſtianorum immortalibus, debetur: ita nos quoque, muſarum ſtudiis dediti, noſtri officii, ac potius pietatis, eſſe duximus, dolorem, quem ex Auguſto funere grauiſſimum cepimus, in praeſens, quam ſubiectiſſime palam teſtari, vosque, Auditores, cultui DOMVS AVSTRIAE deuotiſſimi, in hanc coetus ſcholaſtici concionem, non oſtentationis, quam procul a nobis abeſſe volumus; non exercitationis, cui argumentum aliud, dictu, audituque iucundum, optaſſemus; verum luctus, et venerationis gratia, inſtitutam, ea, qua par eſt, obſeruantia, conuocare. Poſtulat hoc a nobis, non ſolum publica, de qua nunc diximus, luctus communio, ſed ipſa quoque imperat pietatis religio, vt,

A 5 quem,

quem, cum viueret, post DEVM proxime coluimus, hunc etiam post fata, omni cultu ac reuerentia prosequamur: tanto quidem magis, quod, sicut communem patriae salutem, HABSBVRGICO AVSTRIAE DOMVI debemus; ita acceptorum conscientia beneficiorum, gratiam, quae augustis manibus nunquam digna referri potest, qualemcunque habere iubeamur. Praestitimus id officii, quatuor abhinc annis, EVGENIO, quem laudatione, pro modulo virium nostrarum, ex hoc loco prosecuti, quam praeclare ille de patria nostra sit meritus, et, quid, in hoc belli Turcici fulmine, sit amissum, plures in posterum EVGENIOS AVSTRIAE optando, gratae mentis pietate, declarauimus: quanto magis id reuerentiae ac religionis debemus CAROLO, de Hungaria immortaliter merito, cuius auspiciis optimis, sic multa prudenter prouisa in pace sunt, ita, contra iuratum nominis Christiani hostem, aliosque inimicos, patriae infestos, pro aris focisque dimicatum, vt CAROLVM Hungariae non seruatorem, quod perparum nobis videtur, sed, quod lingua Graecorum, quam Latinorum, cum Tullio felicius efferas, Soterem quendam mortalem, qui patriam, toties periclitantem, non seruauit solum, sed salutem etiam, quam huius vitae felicitate metimur, nobis omnibus dedit, ex vero dixeris. Non dubitamus quidem, fore, domi, forisque, qui hoc institutum, nostro quidem iudicio, religiosum, temeritatis accusent, leueque, et non satis dignum tanti Principis persona, hoc orationis genus iudicent: cum cogitabunt, quis sit, qui laborem tantae molis in se susceperit; quo sit vsus dicendi genere; quid in laudibus CAESARIS, Caesarum Maximi, vel commemoratum sit, vel praeteritum. At, hi sciant, nos, non inanem ingenii, quod pertenue est, aut eloquentiae, quae est nulla, gloriolam aucupari, sed cultum ac pietatem, non verborum splendore, atque elegantia, sed animi deuotione metiendam, DIVI CAROLI manibus testari voluisse. Fatemur vltro, neque dicentium conditionem, quae est humillima, neque genus dicendi, quod in rebus ieiunum ac sterile, in verbis simplex ac impolitum est, nequaquam excellentis-

lentiſſimo illi humani generis faſtigio, in quo CAESARES poſitos ſuſpicimus, eſſe condignum: liceat tamen, pace veſtra, Auditores, nobis audaciam hanc illa excuſare ratione, qua recte, pro iudicii ſui modeſtia, vſus aliquando eſt, apud Titum Veſpaſianum Imperatorem, C. Plinius Secundus, qui, dum libros hiſtoriae naturalis illi nuncupat, Titum quidem comparat cum diis, ab omnibus quoquo modo colendis; ſe autem cum ruſticis, qui diis lacte ſupplicent, et, cum thura non habeant, mola tantummodo ſalſa litent. Neque enim DEO quidquam in terris fuit ſimilius, quam AVGVSTORVM AVGVSTISSIMVS CAROLVS, cui omnis poſt DEVM cultus debetur ac honos: neque ruſticis quidquam conuenientius, lacte litantibus, quam nos ipſi, tam vilia munuſcula CAROLO, in concilium iam coelitum translato, ad ſepulcrum deferentes. Vtimur hac excuſatione tanto fidentius, quod, licet ſcriptori hiſtoriae naturalis, quae in iuſtum excreuit volumen, ſuaque praeſtantia Imperatori ſeſe commendauit, nequaquam ſimus pares: fuit enim in Plinio doctrina exempli ſingularis, ipſeque locum caritatis apud Titum in primis obtinuit: Veſpaſiano tamen CAROLVS noſter fuit quam ſimillimus, merito amor deliciaeque humani generis appellandus, qui proinde, vt ille, diem, quo nihil ſe aliis benefeciſſe meminerat, in perditis habuit. Neque vero conſilii noſtri eſt, vel excellentes CAROLI, omni praedicatione maioris, laudes, quarum nulla oratio capax eſt, praedicare, vel omnia, quae, domi, militiaeque, ab hoc, tot annorum, tot gentium, Imperatore, toties hoſtium Imperii potentiſſimorum triumphatore, vel prudenter prouiſa, vel acta conſtanter, vel geſta fortiter ſunt, commemorare; quem laborem, qui in ſe ſuſcipere audeat, nae ille onus Aetna grauius ſuſtineret, et magnitudine, copiaque rerum obrutus, ab immenſo opere deſiſtere, ſuamque ſiue propoſiti temeritatem, ſiue tenuitatem virium confiteri, neceſſe haberet. Exerceant hac in re vires ſuas, ac periclitentur Newenſteinii, Pittermanni, aliique AVGVSTAE AVLAE Oratores, in quibus et diuina ingenii, atque iudicii, excellentia, et maior dicen-

dicendi exercitatio, et perfecta eorum, quae, CAROLINIS auſpiciis, in orbe terrarum geſta ſunt; intelligentia ineſt, atque exemplum Plinii, Euſebii, Pacati, quorum ille Traiano, iſte Conſtantino M. hic Theodoſio Panegyricos ſcripſere, in laudibus CAROLI, Imperatorum excellentiſſimi, praedicandis, imitentur. Nos nobiscum habitabimus, noſtroque pede ac modulo nos metientes, et nos ipſos, et omnes alios muſarum cultores, non niſi ad luctum et dolorem, ad cultum et honorem, funeri tam venerabili habendum, excitare contendemus.

Fiet illud, noſtro quidem iudicio, haud inconuenienter, ſi, ex tanta in CAROLO decorum copia, quae laudibus efferri merentur, nos conditionis noſtrae, quae ſcholaſtica eſt, memores, merita DOMVS AVSTRIAE HABSBVRGICI nominis, in rem litterariam, non illa quidem omnia, quod infiniti pene eſt laboris, ſed praecipua tantummodo, eademque, non niſi carptim, in praeſens venerabundi memoremus. Quae enim laus Principum maior, quam de litteris bene mereri? quid AVSTRIAE prius potiusque, cuncto illo, quo floruit, tempore, quam ornamentis ſubſidiisque auguſtalibus, rem litterariam promouere? quid loco huic, quid coetui ſcholaſticorum conuenientius, quam pia grataque mente, beneficia, quibus ſe ornatum cumulatumque ſentit, praedicare? Cum vero innumera ſint AVGVSTISSIMAE GENTIS in rem quoque litterarum publicam merita, nos, breuitatis ſtudio, tribus tantum momentis gloriam hanc aeſtimandam, proponemus: dicturi primum, quanto ſtudio CAESARES, HABSBVRGICAE ſtirpis, nullo non tempore, et ipſi coluerint, et in aliis aeſtimauerint litteras; deinde, quam multum adiumenti, de ſelectiore apparatu rei librariae, et domeſticis, et exterorum vſibus, inſeruiente, ſoliciti, orbi litterario attulerint; poſtremo denique, quam prudenter, liberaliterque ſcholas publicas, magno rei litterariae augmento, condiderint, fouerint, exornarint. Hoc erit ſpicilegium illud, quod, ex tam copioſa CAROLINARVM laudum ſegete, ab aliis praeſtantioribus AVGVSTI funeris,

in

in vrbe nostra laudatoribus, Serpiliis, Oerteliis, aliisque, qui, hac pietate, inter se velut certantes, praecipua elogiorum capita iam praecerpserunt, nobis in hoc puluere scholastico, musarum sacra curantibus, relictum esse, arbitramur. Ita liquido constabit, quid non modo AVSTRIAE debeamus, verum etiam, cur CAROLVM, non tam Maecenatem, cuius celebritatem NOSTER longe superauit, quam coelestem quendam musarum, velut fugientium, ac pereuntium, Statorem, et Numen quoddam orbis litterati Tutelare, terris nunc, nostro omnino incommodo, exstinctum, coeloque, vnde originem habuit, rursus receptum, tam sancto, quam acerbo, dolore, pietateque, prosequamur. Vos interim, Auditores, DOMVI AVSTRIAE deuinctissimi, oramus, atque, per merita, sanctosque manes, CAROLINAE MAIESTATIS, rogamus, obtestamurque, vt nostris conatibus benigne faueatis, dicentibus patientem ac beneuolam audiendi operam praestetis, et, si iudicio vestro, quo nihil acrius, si argumento, quod, pro dignitate, vix ab exercitatissimis oratoribus, ac ne vix quidem, pertractari potest, factum non fuerit satis, id vel infirmitati virium nostrarum, vel communi, quae verba sibi paria non reperit, perturbationi, vel studio saltim religionis, qua tam AVGVSTVM, et patriae, et musarum, non tam Patronum, quam Patrem, fatis etiam functum, sancte veneramur, condonetis.

Accessurus iam ad rem, ea lege, quae praescripta est, breuiter pertractandam, quaero ex vobis, Auditores, desiderio CAROLI, felicioris Augusto, melioris Traiano, ardentissimi: Ecquis melius imperet, quam litteratus? Non mea haec est, sed Romani quondam senatus vox fuit, M. Claudium Tacitum eligentis Imperatorem, festiuaque ista, et honorifica acclamatione, cum ille oblatum imperium suscipere detrectaret, confirmantis. Fuit enim princeps litterarum amantissimus, qui cum patre, senatorii, consularisque ordinis viro, natus esset, Cornelium Tacitum tamen, annalium, atque historiarum scriptorem, parentem, ac familiarem suum nominare, non erubuit, tantumque coluit, vt libros eius, ne interirent, multo-

rum

re affatus eſt, loquar, nullum quemquam vel meliora ſcire, vel plura, quam Principem, decet. Scilicet, vt duo ſunt rerum publicarum tempora, aliud quidem, quo pacatae otio fruuntur, aliud, quo turbatae ſe defendunt armis: ita duo quoque ab egregiis Principibus decora exſpectantur: in pace ſanctitas; in armis fortitudo; vtrobique autem, vt Victor in Traiano monet, prudentia. Haec tamen non comparatur, niſi accurata artium, in omni vitae genere vtiliſſimarum, ſcientia. Quae domi ſperari poteſt integritas? quae in armis fortuna? vbi contemptus litterarum, et virorum, qui peritiam rerum gerendarum habent, inopia dominatur. Ex quo ſimul intelligere eſt, ad felicem ac beatam rerum publicarum procurationem, nequaquam ſufficere, vt Principes ipſi pulcherrimas illas, tum pacis, tum belli, artes calleant, ſed requiri ſimul, vt illarum artium ſtudia liberaliter promoueant, ſedes ac domicilia muſarum publice conſtituant, his, tanquam ſeminariis vtriusque reipublicae, tum ſanctioris, tum ciuilis, de idoneis magiſtris, honeſtisque viuendi ſubſidiis, munifice proſpiciant, leges praeſcribant, bibliothecas, et alia, quibus publica Athenaea carere nequeunt, quaeque priuatorum hominum ſumptum excedunt, liberaliter condant, ingenia excellentiora prolixe beneficeque foueant, bene merentes de republica magni faciant, ac modis, quibus poſſunt, omnibus, honorem eorum tueantur. Niſi a Principe meliores litterae ſuo pretio aeſtimentur, non poſſunt non apud ceteros venire in contemptum: contraque exempla ſummorum virorum, credi vix poteſt, quantum, ad conciliandum litteris apud omnes amorem, momenti habeant. Intellexerunt hoc ſapientiſſimi quique omnium retro ſeculorum Principes, ſuoque commodo edocti, nihil verius eſſe, cenſuerunt, quam quod a Platone dictum accepimus, eas demum respublicas florere, in quibus aut philoſophi imperent, aut, qui imperant, philoſophentur. Suo id exemplo, emolumentoque, confirmat ex Aſſyriis Nebucadnezar, cui, vt ſcholaſtica iuuentutis inſtitutio curae cordique fuit, ita, ad firmandas, amplificandasque, imperii opes, plurimum attulit adiumenti. Quid dein-

driam confluebant, familiariter verſatus eſt: verum etiam Demetrii Phalerei, viri litterarum laudibus illuſtris, monitu, bibliothecam tot codicibus, quot vix credas, inſtructam, ſapienti conſilio condidit, atque, inſatiabili librorum cupiditate accenſus, ipſum quoque codicem ſacrum, quo DEI ipſius oracula continentur, a Iudaeis petenti ſubmiſſum, in linguam, regno ſuo familiarem, curauit transferendum. Non vacat in praeſens excurrere in laudes Mithridatis, qui potentiſſimus, amplius viginti gentium, rex cum eſſet, omnium tamen linguas tenuit, neque cum legatis earum vnquam per interpretem locutus eſt, ita vero calluit, vt eiusdem gentis, cui reſpondebat, crederetur. Hunc quia Cn. Pompeius deuicit, imperiumque ſummum ex oriente in occidentem transferre coepit, haud alienum a propoſito noſtro videbitur, ſi afferamus, non armis modo, ac potentia, verum ſapientiae potiſſimum ſtudiis, factum eſſe, vt imperium Romanae gentis, anguſtiſſimis initio terminis circumſcriptum, in tantam excreſceret amplitudinem, deuictisque aliis gentibus, quantumuis bellicoſiſſimis, ſed litterarum rudibus, per totum orbem terrarum ſeſe diffunderet, atque tam auguſtum et venerabile, tam potens et formidabile, tam denique diuturnum et ſtabile redderetur: quamuis autem multis, atque ingentibus, conuerſionum tempeſtatibus, aliquoties grauius adflictum fuerit, inconcuſſum tamen, ab annis amplius mille ac ſeptingentis, ad noſtra vsque tempora, perduraret. Neque vnquam, vel maiore in periculo verſabatur, quam, dum omnis diſciplina, vnum illud rerumpublicarum ſtabilimentum, negligeretur, vel labefactatum melius vires reſumebat, priſtinaeque firmitati reſtituebatur, quam, dum litterae, vna cum ſalute publica, iacentes, ſapientiſſimorum heroum induſtria, reſuſcitarentur, priſcusque nitor muſis, ſitu ac ſqualore obſitis, redderetur. Quodſi quis inſigniores Imperii Romani mutationes, recogitet, quatuor earum maximas obſeruabit; omnes autem illae, verum id eſſe, quod de ſtudiorum, vel cultu, vel contemptu, diximus, comprobabunt. Prima earum fuit, cum, euerſis ad orientem regnis, ad Romanos victores ſummum hoc decus transiret: altera,

cum summa imperii CONSTANTINVS M. potiretur: tertia incidit in tempora CAROLI illius, pariter MAGNI, qui, infractis barbararum in occidente gentium viribus, maiestatem hanc in terris summam, ad Germanos transtulit: vltimam tribuimus RVDOLPHO, auspicatissimo illo hodiernae GENTIS AVSTRIAE propagatori, qui, ex CAROLI M. sanguine oriundus, post tot annorum interregnum, in summa reipublicae confusione, imperium, incertis sedibus vagum, velut postliminio recepit, pacataque Germania, dignitatem hanc Christiani Principatus, DOMVI HABSBVRGICAE, meritorum gratia, conciliauit. Quaenam vero istarum est vicissitudinum, quae non doceat, saluti, praesidio, ornamentoque, reipublicae semper fuisse litterarum amorem, atque aestimationem; contraque dedecori, detrimento, atque exitio, illarum neglectum, et contemptionem? Quid enim mirum, Romam, omnium gentium fieri dominam, aut arma victricia, per vniuersum orbem terrarum, circumferre, dum imperio praeest C. IVLIVS CAESAR, Caesar ille ex vtroque, gladio non magis, quam consilio, eruditionis, et eloquentiae laude, stylique nitore, praestans, qui, quae interdiu armatus gerit, ea noctu, nitidissimo dicendi genere, litteris mandat, et excellentibus ingeniis mirifice, teste ipso Cicerone, delectatus, insignes doctrina viros, praesertim mathematicos, propositis praemiis, ex remotioribus populis, dum kalendarium emendare vellet, Romam euocat? aut, dum pacato iam orbe, fasces tenet AVGVSTVS, qui in eloquentia, incredibili studio ac labore, a puero sese exercet, et munditiarum patris sui, IVLII sectator, cincinnorumque et calamistrorum Maecenatis, non osor tantum, verum etiam exagitator, incorruptae latinitati, etiam Imperator, operam dat, ingeniaque, seculi sui, praestantiora omnibus modis fouet, ac nullo genere hominum magis, quam litteratorum, delectatus, Maecenatem, Horatium, Virgilium, alios, assiduos comites, omniumque consiliorum conscios, et arbitros, habet? aut, dum Imperii habenas regit TITVS VESPASIANVS, quem Caesarum iucundissimum, at eloquentia simul, et eruditione sum-

ſumma, praeditum, ſcriptor ille hiſtoriae naturalis, quem ſupra laudauimus, nominat? aut denique, vt alios praetereamus, et cum his ipſum quoque NERONEM, qui alia prorſus mente, *neſcire litteras*, optabat, taceamus, dum iura legesque tot populis dat TRAIANVS? qui, quem honorem dicendi magiſtris non defert? quam dignitatem ſapientiae doctoribus non habet? Sub hoc enim ſtudia ſpiritum et ſanguinem, patriamque, recipiunt, quae priorum temporum immanitas, teſte Plinio Iuniore, exilio punierat. Longum foret perſequi laudes M. AVRELII ANTONINI, qui, ob excellentem litterarum, ac ſapientiae abſtruſioris, ſcientiam, quae vero magno illi adiumento, ad imperii felicitatem, eſt, Philoſophi cognomentum adeptus, tanto diſcendi ſtudio, flagrat, vt ad imperii dignitatem iam euectus, domum tamen Apollonii Chalcedonii, quo magiſtro vſus fuerat adoleſcens, diſcendi cauſſa, adire non erubeſcat, et, dum ingenium auidius paſcit, corpus emaciet; eidem vero Apollonio, Frontoni Cornelio, L. Voluſio Metiano, Iulio Ruſtico, aliisque magiſtris, tantum honorem defert, vt imagines eorum, auro ornatas, in larario habeat, ſepulcraque aditu, hoſtiis, floribus, cohoneſtet. At ſimul, his decedentibus, ſtudia negligentius tractari coeperunt, gloriam quoque imperii labaſſe, animaduerterunt ſapientes, quae collapſa priſtinum decus recuperare non ante potuit, quam ad gubernacula reipublicae, ſtrenuus ille, non religionis chriſtianae tantum, verum etiam ſcientiarum, ſcholarumque, contra contemptores aſſertor, CONSTANTINVS M. perueniret. Cuius veſtigia ſecutus THEODOSIVS, ſic de litteris ſentiebat, ſic perſuaſum habebat, vt, cum filios, Principes Iuuentutis, Arſenio formandos, erudiendosque, traderet, hortareturque ad diligentiam, ſapienter et praeclare, praeſente magiſtro, diceret, *Satius illis fore, vt, niſi diſcerent, priuati vitam agant, quam, doctrinae expertes, cum periculo imperent.* Nec aliter ſenſit IVSTINIANVS, qui, duo eſſe cenſuit, quibus orbis nitatur, haec ſcilicet, *vt a litteris adiuuentur arma, et ab armis litterae ſuſtineantur.* Quod poſtquam, conſceleratiſſimus ille religionis chriſtianae deſertor, oppugnatorque,

 Iulia

Iulianus intelligeret, ad eam ſe fraudem vertit, vt ſcholas Chriſtianorum claudi iuberet, ſic arbitratus, non poſſe celerius rempublicam Chriſtianorum cum doctrina deleri, quam, ſi officinae iſtae doctrinae, eruditionis, omnisque virtutis, intercipiantur. Impio huic turpiſſimi deſertoris conatui defuit quidem, quem optabat, euentus, calamitatem tamen hanc rei litterariae, perſentiſcit aetas ſequior, cum barbarae gentes, aliae ſupra alias, a Septentrionibus in Imperium ſeſe effundunt, et, euerſis Chriſtianorum ſcholis, ſublata omni doctrinae liberalis cultione, in omnes occidentis prouincias barbariam ſecum inuehunt. Nec potuit tantis tenebris lux prius affundi, quam, ſingulari DEI prouidentia, lumen illud, Germaniae non tantum, ſed Europae totius fulgentiſſimum, CAROLVS MAGNVS, ad quem DOMVS HABSBVRGICA natales ſuos legitime refert, fauſti Imperator et nominis, et ominis, ad capeſſenda gubernacula deſtinatus, exitioſam hanc temporum obſcuritatem, ortu ſuo diſſiparet, atque, collapſis imperii rebus, et fere ad incitas redactis, priſtinum ſtatum et dignitatem; prouinciis, Gothorum, Longobardorum, Hunnorum, Saracenorum, aliarumque gentium, feritati ſeruientibus, libertatem; populis finitimis, metu eiusdem, ſenſuque ſeruitutis, oppreſſis, ſecuritatem; muſis, velut in exilium, temporum iniquitate, actis, patriam, et quietem; armorumne vi, an litterarum adiumento magis, dubium eſt, conciliaret. Magna fuit CAROLI, fateor, tot gentium domitoris, potentia, ſed neque minor vel eruditio, vel rei litterariae cura. Aureum vere ſeculum, vereque CAROLINVM, id eſt, fauſtum, felix, et fortunatum! quo, tantae Princeps celebritatis, Rex Franco-Gallorum primum, mox Caeſar, ſolemni ritu inauguratus, imperat, qui et ipſe, incredibili ſtudio, colit litteras, et, ad elegantiam, admirationemque omnium, doctus, poëmata, ipſamque Grammaticen ſcribit, res ſingularum gentium litteris mandari iubet, ac Latino non ſolum ore, ſed etiam Graeco, elegantius, quam, temporis illius, Rhetores, Dialectici, Sacerdotes, Praeſules, alii, loquitur: qui, magno reipublicae chriſtianae commodo, et poſteritatis emolumento, tot epiſcopatus, tot academias, tot coenobia, ac religioſorum, litteratorumque viro-

virorum, domicilia, in Gallia, Italia, Germaniaque, excitat, publice docentibus ſtipendia liberaliter conſtituit, ſcholas ipſe ingreditur, profectus explorat, magiſtrorum iuxta, ac diſcipulorum, animos ad ſtudium alacritatemque accendit, ſegniores coarguit, comminationibusque vrget, diligentiores collaudat, muneribus, ac pollicitationibus, velut calcaribus quibusdam, ad perſequendum curſum, concitat: qui, tot gentibus aliis, ad Chriſti fidem adductis, in Hungariam quoque noſtram, Scythicae adhuc immanitatis tenebris immerſam, lucem aliquam coeleſtis veritatis infert. Fuitque haec, fuit propria tandem et perpetua CAROLINAE GENTIS gloria, vt imperii decus, non armis modo, verum etiam optimarum ſcientiarum ſtudiis tueretur: ſi modo illis curae cordique fuiſſent ſimul ſtudia humanitatis, qui, ſe muſarum doctores, profitebantur. At horum, ſiue incuria et oſcitantia, ſiue vana eruditionis perſuaſione, ſiue denique otio, mollitie, ac luxu, accidit, vt hi ipſi, titulis quidem inſolentioribus inflati, nimiaque Ariſtotelis admiratione, aut falſa potius, et per Arabes corrupta, interpretatione, decepti, nubem pro Iunone amplecterentur, pro liberalique, ac ſolidiore doctrina, non niſi nugas arriperent, inanesque ac ſpinoſas ſubtilitates, ſub honorifico philoſophiae, ſeptemque artium, titulo, imperitae multitudini, nouarum rerum ſtudioſae, neque aera lupinis diſcernenti, venditarent, donec tandem exulum Graeciae, atque Italorum opera, induſtriaque, meliores litterae per occidentem renaſcerentur. Magno enim orbis huius Chriſtiani, qui, vt a Graeco diſcerneretur, Latinus dici conſueuit, commodo, factum eſt, vt, ſub idem fere tempus, quo beatus ille, ac fecundus, AVSTRIAE DOMVS Pater, RVDOLPHVS, partem hanc orbis regundam auſpicato ſuſcepit, manſuetiores muſae, imperio orientis chriſtiano labante, barbaram Turcorum tyrannidem, ſeruitutemque, velut metuentes, antiquiſſimas Graeciae ſedes relinquerent, perfugiumque, ac patrocinium, in Latinorum imperio, quaerentes, in Italiam primum per maria, mox per Alpes, non modo in Galliam, Germaniamque, verum etiam Pannonias, transuolarent, liberaliusque acceptae, ac munifica prorſus Principum, HABS-

BVRGICAE originis, benignitate refotae, illam, toties cordatioribus viris, tam sero sese recreari condolentibus, exoptatam, temporum emendationem adferrent. Videris, Auditores, studiis bonarum artium florentissimi, non melius quemquam Principum, vllo tempore imperasse, quam litteratum, nec stetisse vnquam imperia firmius, quam, dum honos suus, pretiumque, litterarum studiis haberetur.

Ecquis iam mirabitur, AVGVSTAM AVSTRIAE DOMVM, tamdiu saluam incolumemque floruisse, nosque omnes, praesidio aquilae, terrarum dominae, tutos saluosque, inter tot discrimina perstitisse? Ex quo enim haec ad clauum reipublicae sedere coepit, profligata est sensim barbaria, res litteraria nouo patrocinio recreata, nouisque, progressu temporis, augmentis, ornata, et cumulata. Nescio autem, quid prius, quidue potius, in his AVSTRIAE laudibus, memoremus: studiumne illud scientiarum pulcherrimarum, in quod non ipsi tantum, sanguinis huius heroici, vereque diuini, Principes, maximo reipublicae bono, assidue incubuerunt, verum etiam, pro sua, tum sapientia, tum beneficentia, Viros, eruditionis eximiae, laute fouerunt? an amplissimam illam, splendidissimamque bibliothecam, quam, quanto Vindobonae ornamento, tanto orbis litterati emolumento, incredibili cura, sumptuque vere Augustali, collegerunt? an denique scholarum, societatumque celebritatem, quas, antiquo more, passim constituerunt, exornarunt, conseruarunt? Nullum enim e tanto Principum numero reperies, qui non prolixius amasset, non impensius coluisset litteras, tanto quidem studio, vt, vnde alii, vel principes, vel priuati etiam homines, molestiam ac taedium capiunt, illi maximam inde voluptatem perciperent. Idem hi omnes sentiebant, quod de VLADISLAO I. Rege Hungariae, memoriae prodidit Aeneas Siluius, cui, **ne homines quidem, nedum Principes, esse videbantur, qui litteras ignorarent.** Idem quod SIGISMVNDVS Imperator, cui, etsi aliquid in concilio, Constantiae celebrato, accidit, quod Prisciano stomachum mouere potuisset, saepius tamen fassus est, **neminem sine litteris recte imperare posse.** Huius rei indicio

dicio fit nobis infigne illud, velut gentilitium, quo plerique PRINCIPVM AVSTRIAE olim vtebantur. Liber his fuit, praeter alia domeftica infignia, in deliciis, quo indicarent, non aliunde, quam ex libris, hauriendam effe omnem, diuinam, ac humanam, fapientiam, ad bene feliciterque, non viuendum modo, fed etiam, in pace, ac bello, imperandum. Apertum autem fibi depingi voluerunt, non claufum, recte exiftimantes, haud fufficere, vt libri, fplendoris, oftentationisque gratia, comparentur, aut tineas, non mentes hominum, pafcant, fed legantur fimul, atque in vfus priuatos, publicosque, conuertantur. Nonnulli, vt palam teftatum facerent, artis quoque militaris fcientiam, armorumque felicitatem, ex librorum lectione peti, figna etiam militaria, exemplo Alphonfi, hac gentis fuae teffera diftinguere, non dubitarunt. Ridebant hoc fine dubio, indocti doctrinae liberalis contemptores, qui otia litteraria, quibus vero nihil vel iucundius, vel vtilius, praeftabiliusque effe poteft, indigna viris Principibus arbitrati, in aucupiis tantummodo, aut venationibus, in conuiuiis, aut lufionibus, in arte faltandi, equitandi, iaculandi, digladiandi, aut aliis corporis exercitationibus, alias, fi moderate, ac fuo tempore, inftituantur, nec indignis Principe, nec vtilitate fua carentibus, omne tempus collocandum, ftatuebant, haud memores, quid DEVS ipfe, duci populi fui, Iofuae, omnibusque eius fucceforibus, feuere praeceperit, cum demandaret, vt codicem diuinorum oraculorum nunquam ex manibus deponant. Qui, quam turpiter ludibrio apud cordatiores fe exponant, fuo id exemplo, teftatur Rex Franco-Gallorum, Carolus VIII, quem, ficut puerum pater, Ludouicus XI, falfa inductus perfuafione, dedita opera, nulla impertiendum doctrina liberali voluit, ita, praeter haec quinque verba: Qui nefcit diffimulare, nefcit imperare; ex Latino fermone didicerat nihil. O factum! o verbum, tanto parente, tantoque filio, indignum! Quanto pulchrior, et facro diademati conuenientior, vox illa, ad CAROLVM nepotem, MAXIMILIANI I apud Iouium: Turpe Principibus, nefcire litteras! aut Aeneae Siluii, poftea fummi Pontificis, nomine Pii, qui litteras in ple-

 beiis,

beiis, argento, in nobilibus, auro, in Principibus, gemmis pretiosiores, iudicauit. Eadem hac mente, plane diuina, praediti AVSTRIAE CAESARES, nihil exempla indoctorum, nihil obtrectationes, litteras despicientium, morabantur. FRIDERICVS enim IV, quem Tertium alii nominant, tantum abest, vt librum eundem fastidiret, vt potius, plena sapientiae, ac maiestatis, AVSTRIAE que conuenientissima, inscriptione hac ornaret: LIBER REGIT, GLADIVS DEFENDIT, eandemque, tanquam vnicam vitae, actionumque suarum omnium, priuatim publice, suscipiendarum, normam, in ore familiariter crebro haberet. Libro tamen Princeps, tam cordatus, in mensa posito, appingi voluit brachium, quod gladium strictum, erectumque, cuius capulus niteretur volumine, teneret: vt palam constaret spectatoribus, quid liber sibi, quidue gladius, velit. Id scilicet significare voluit, tali pictura, Imperator sapientissimus, frustre esse foris arma, nisi domi consilio regantur; ex librisque petendam esse omnem prudentiam, quae Principis et sanctitatem in pace, et fortitudinem in armis, regat, condecoret, tueatur. Vt vero huius imaginis neque posteros FRIDERICI vnquam pertaesum est, ita libris, veris illis, editisque in lucem, virorum doctorum monimentis, dedita sapientiae studiis, AVSTRIA, continenter sese oblectabat, suosque Iuuentutis Principes, imperio natos, a teneris, vt aiunt, vnguiculis, in omni scientiarum genere, maiore prudentia, ac ille Gallorum Rex, idoneis erudiendos magistris tradebat. Pulchrum hic foret, praecipuos Iuuentutis AVSTRIAE Principum magistros referre, quorum disciplina, ad omnem formati cultum, humanitatemque, pro indolis diuinae praestantia, egregie profecerunt. Neque nullum operae huius pretium fieret. Ex hac enim paterna, Augustae sobolis educandae, prudentia, quisque, magistram rerum omnium optimam, AVSTRIAE sapientiam peruideret, alii vero discerent, qua cura, qua prudentia, sit opus, vel in magistris deligendis, vel in liberis recte instituendis. Sed a proposito hoc rerum momenti maioris, quae ad dicendum restant, multitudo nos auocat. Mittamus itaque Hadrianum

Floren-

Florentinum, cum aliis meritis, tum praecipue fideli CAROLI V inſtitutione, clarum, remuneratione autem adeo felicem, vt, praeter alia fidei, ac laboris, praemia, ſummam quoque Romani Pontificatus dignitatem reportaret: praetereamus Fratris eius, FERDINANDI I, magiſtros, Ludouicum Viuem, ac Deſiderium Eraſmum; quanta inter litteratos ſeculi illius lumina! ſileamus de Augerio Busbequio, felicisſima MATTHIAE, quem nos Pannonii ſecundum dicimus, inſtitutione, et nitida, accurataque, quibus functus eſt, legationum, Conſtantinopolitanae, atque Amaſianae, deſcriptione, illuſtrem: nihil moremur in Henrico Philippo Belga, quo magiſtro, formatum a puero, omnique ſcientiarum, quae Principi conueniunt, genere, percultum fuiſſe, accepimus FERDINANDVM III. Vnum hac in parte infelicem, qui tamen ingenii felicitate, ſuoque Marte, talem florentis aetatis iacturam feliciter reſarſit, fuiſſe MAXIMILIANVM I. tradit Cuſpinianus. Optimae enim hic indolis adoleſcens, inciderat in Petri cuiusdam, piſtrino dignioris, ineptam diſciplinam, de qua ille, prouecta aetate, ſaepius grauiter, iure ac merito, queſtus eſt. Romanorum iam Rex factus, quoties illiberalis illius, quam ſubierat, diſciplinae recordaretur, multis querelam hanc audientibus, non ſine ſtomacho, Si inquit, hodie Petrus, Praeceptor meus, viueret, quanquam multa praeceptoribus debeamus, efficerem, vt eum inſtituiſſe me poeniteret. Eccur ita? Sicne gratia magiſtris habenda, quae nunquam pari menſura refertur? Scilicet rudis ille, ac plagoſus Orbilius, cum, excelſae Principem indolis, liberalibus imbuere debuiſſet artibus, quas vero ipſe nunquam vel a limine ſalutauerat, atque, ad comparandam rei publicae regundae prudentiam, ducere, tricas Dialecticorum, apinasque, et ſi quid iſtis vilius, puero, ad ſolidiora, magisque ſeria, nato, ſtudia, ea ſeueritate inculcabat, vt, cum, diuinioris diſcipulus animi, ab his nugis alienus, non ſtatim ſophiſmata caperet, ſaepius hunc atrociter verberaret, ipſe magis verberandus. Qua re fiebat, vt ingenium, in ſe come, tractabile, aptumque ſatis ad diſcendum, litteras odio magis haberet, quam diligeret. Habent

hic, quod discant, et parentes, quorum est, idoneis ad docendum viris, erudiendos tradere liberos; et praeceptores, ne talia, quibus pretiosum florentis aetatis tempus perditur, et, quae dediscere multo labore oportet, iuuentuti tradant; et discipuli, delicatiores illi praesertim, atque disciplinae domesticae vitio corruptiores, qui in scholis nihil aliud, quam mellitos verborum globulos, et omnia dicta, factaque, quasi papauere, et sesamo sparsa, licet male se gerant, nihilque discant, sibi pollicentur. Vix Petrus iste, Nouae tandem Ciuitatis, Sempronio finitimae, antistes, legerat, quae Xenophon, aut Plutarchus, aliique, de liberis Principum educandis, recte praecipiunt; nondum viderat librum illum, mole quidem exiguum, at, siue auctoris famam, siue materiae, quam pertractat, dignitatem, siue tradendi rationem, quae neruosa est, intuearis, vere aureum, et vastissimis multorum voluminibus anteponendum, quem, post MAXIMILIANI demum tempora, FERDINANDVS III, Fraterque eius, LEOPOLDVS VILHELMVS, quo rariore, hoc magis omnibus eruditis admirando, Principibus autem imitando, exemplo, composuerunt, Principemque in compendio inscripserunt. Qui, vt omnia accurate tradit, quibus studiis impertienda sit praetextata Augustorum Principum aetas, quibus illa artibus, ad comparandam bene imperandi facultatem, ducenda, quibusue decoribus, summos rerum publicarum gubernatores enitere oporteat: ita dignus videbatur Petro Lambecio, quem absolutissimum sapientiae hegemonicae enchiridion nominaret. Ex quo intelligere est, Augustos Iuuentutis AVSTRIAE Principes, sic incubuisse in doctrinae studia, vt, semper gentilitiae illius tesserae memores, LIBER REGIT, libris non modo legendis, florente aetate, vacarent, sed etiam, imperio admoti, si quid otii a curis, quas sibi salus publica vindicabat, nanciscerentur, illud, non gloriolam captantes, quam semidocti plerumque, ac nugiuenduli, improbarum saepe mercium, ad scombros tandem, aut in thuris piperisque cucullos abeuntium, foetuumque ingenii monstrosorum, ostentatores, aucupantur, sed seria, dum liceret, negotia, animi, a curis recreandi, gratia, his interuallis litterariis, pul-

pulcherrime diſpungentes, ſcribendis etiam, ſumma cum voluptate, impenderent. Fecit hoc, ante FERDINANDVM III. praeter alios, MAXIMILIANVS I, qui, non tam doctus, quam factus, nec tam inſtitutus, quam imbutus, litteris, cum parum Orbilii illius diſciplina profeciſſet, aurei temporis iacturam, aſſidua librorum lectione, ſuapte ſponte, ad hoc ſtudium accenſus, ſua adiutus ſolertia, reſarciendum iudicauit, delectatus ſummopere, cum aliis hiſtoriarum monimentis, tum in primis, primi Romanorum Imperatoris, C. IVLII CAESARIS, quibus ille rerum, ab ſe geſtarum, memoriam complexus eſt, commentariis, eo quidem iudicio, vt, vbi animaduerteret, Iulium, gloriae cupiditate abreptum, magnificentius de ſe, quam verius, ſcripſiſſe, loca talia, fidem excedere viſa, aut virgula cenſoria, ceraque miniatula, notarit, aut ad marginem manu docta ſcripſerit: Fides ſit penès auctorem. Cuius laboris eum reſpublica, ciuilis, et litteraria, fructum percepit, vt, exemplo Alexandri M. Homericum Achillem, in dictis, factisque, exprimere volentis, CAESAR quoque totum ſe, ad CAESARIS imitationem, domi, militiaeque, componeret, atque non tantum artibus illis, quas inter legendum obſeruabat, in proeliis vteretur, verum etiam, exemplo tam praeclaro, excitatus, Iulianos Commentarios, terſo nitidoque dicendi genere, de rebus, ſua memoria, geſtis, commentatus, pulchro, feliciqueſucceſſu, imitaretur, multaque alia ingenii, ac doctrinae monimenta, quae inter Vindobonenſis Bibliothecae ſcrinia, theſauri loco, adſeruantur, poſt ſe relinqueret. Loquatur ergo, pro MAXIMILIANI eruditione, meo loco, Poëma illud Germanicum, animi cauſſa, confectum, vbi, fictis Inuidiae et Curioſitatis perſonis, varia, quae ipſe ſubiit, pericula enarrat, formis aliquando, Auguſtae Noricorum, membranae impreſſum: aut Porta honoris, opus, vario virtutum genere, picturisque elegantioribus, exornatum: aut denique, vt alia ſcripta praetereamus, Rex ſapiens, quo vitam, resque geſtas, tum ſuas, tum Patris, proſa oratione Germanica, complexus eſt, ea arte, vt, niſi clauem habeas, quid ſit, vel Lagutrop, vel Neſchtuet, et quae ſunt alia, quibus CAESAR

luſit,

lusit, intelligere vix possis. Nec tantum leuioribus studiis, acutis tamen, flagrabat, verum etiam, quid theologi, quid iurisconsulti, quid medici, quid philosophi, doceant, insatiabili studio peruestigabat. Quoties illum, dum publica id patiebantur negotia, lux noctu aliquid legere ingressum, quoties nox oppresit, cum mane coepisset! quam multum, quam familiariter, suo Cuspiniano, aliisque viris litteratis, vsus est! quam gaudebat doctis aliorum sermonibus! quoties ad mensam, et pocula, minuta illa ac rorantia, cum litteratis viris colloquia, in multam noctem, discendi cupidus, protrahebat! quanta in eo fuit notitia antiquitatis! quae rerum naturalium scientia! quis ardor in peruestigandis siderum motibus, solisque ac lunae defectionibus! quae memoria rerum non domesticarum solum, sed etiam externarum! quod denique studium, quae peritia, in rebus religionis! Recte cordatiores, de tam litterato Principe, litterarumque non tam patrono, quam parente, euentu minime dubio, diuinabant, aut hunc fore, cuius praesidio musae, per Germaniam renascentes, feliciter succrescant, aut, hoc exstincto, alium fore neminem. Ne vero virtus haec in posteris intercideret, mature, soliciteque prouidit, cumque PHILIPPO filio, qui viuum paternae sapientiae exemplum fuerat, se ante tempus orbatum, videret, Nepotibus, ex illo natis, auiti seueritate exempli, auctor exstitit, vt in liberalium artium scientia nihilo essent segniores. Quod Augustum Fratrum par, ad aemulationem auitae virtutis, ac gloriae, exardescens, nihil prius potiusque habuit, quam, acceptam a maioribus, laudem, cum aliis Imperatoriis decoribus, tum litterarum amore, tueri. CAROLVS quidem, armorum potius, quam litterarum, studiis puer capiebatur, constantem tamen eius aetatem, sicut toties neglectae disciplinae, quoties Hadriani sui recordabatur, poenituit, ita cupiditas tanto ardentior subiit, ex libris ea discendi, quorum cognitio personae Principis est conuenientissima. Legit, indefesso studio, ex Graecis Thucydidem, ex Latinis, Aui exemplo, Iulium, ex quibus cum multa reipublicae salutaria hausisset, Thracicos quoque Orientis tyrannos, Solymannum, ac Selymum, ad studium, Iulianos

Com-

Commentarios legendi, atque in Arabicam linguam transferendi, vt hinc artes bellicas et ipſi diſcerent, prouocauit. Per eadem MAXIMILIANI veſtigia inceſſit, alter Nepotum, FERDINANDVS I, Rex primum, poſt Imperator, artium non minus, quam armorum, gloria excellentisſimus, quem, in tanto faſtigio poſitum, tanta negotiorum mole implicitum, tam difficilia bella, pro Hungariae praeſertim ſalute, aduerſus Ioannem, Regni aemulum, gerentem, nulla vnquam ſtudiorum ſatietas cepit: teſſerae autem Maiorum adeo non puduit, vt, inter certamina litteratorum, quibus theologi maxime inter ſe, de veritate diuina, dimicabant, ipſe librum, qui controuerſias omnes optime dirimat, ceteris inſignibus ſuis adpingi voluerit, memor moniti illius ſapientiſſimi, ex ore aui accepti: Turpe Principibus, neſcire litteras. Fuit et MAXIMILIANO II ſatis negotiorum cum Solymanno, eiusque cliente, Ioanne Sigismundo, Daciae Principe: nihilominus tamen, vt religionis incorruptae, ita doctrinae liberalis amore, paucos in Europa inter aequales habuit pares, ſuperiorem neminem: libris vero et ipſe tantum tribuit, vt libro, non gladio, argumentis, non tormentis, bella DOMINI optime geri, ſapientiſſime iudicarit. Eſto, iacuiſſe poſtea, in multorum Principum aulis, ſtudia litterarum, aut prorſus exulaſſe. Eſto, haud iniuſtam fuiſſe querelam Mauritii, Haſſorum Landgrauii, quam Albo eruditi cuiusdam viri, Ratisbonae, anno, ſupra milleſimum et ſexcenteſimum, ſexto, ad diem XIV Kalendas Sextiles, ſua manu inſcripſit, atque, ne interiret, gymnaſii noſtri Rector, Schwanshofferus, natalibus Ratisbonenſis, conſeruauit, vbi aularum Germaniae omnium haec fuiſſe ſtudia queritur:

Aut laſciua Venus, viridi aut cum veſte Diana,
Ebrius aut Bacchus, Germanus poſſidet aulas:
Exulat hinc Phoebus, ſapiens hinc exulat Hermes,
Exilium doctis ibi perpetuumque Camenis.

Grauis profecto querela. Enim vero de Auguſta RVDOLPHI, tum imperantis, aula, in quem omnium Maiorum decora, tanquam in natiuam ſuam ac hereditariam ſedem, tacita

quadam

quadam naturae conſpiratione, confluxerant, mitius nos iudicare iubet veritas. Non enim Veneri, non Dianae, non Baccho, aut etiam Vacunae, litaſſe RVDOLPHVM, RVDOLPHINAE, praeter alia ſcientiarum documenta, teſtantur tabulae, quas, in CAESARIS, doctrinarum amantisſimi, in arte pingendi peritisſimi, Aula, diu verſati, Tycho de Brahe, et Ioannes Keplerus, Mathematici illius memoriae celebratiſſimi, confecerunt. Quae cum centum annos, inter ſcrinia Vindobonenſia, laterent, noſtra demum memoria, auſpiciis ac munificentia, ſtudio Mathematicarum diſciplinarum laudatisſimi, CAROLI SEXTI, formis expreſſae, magno orbis litterati gaudio, commodoque, ex tam diuturna obſcuritate, in lucem publicam prodierunt. Neque adulationis, ſed veritatis, vox illa fuit Reineri Reineccii, ſcriptoris illorum temporum grauisſimi, quando, eundem affatus RVDOLPHVM, ſic de Auguſta Vindobonae AVLA pronunciat: Decus hoc praepotenti AVSTRIACAE DOMVI pene gentilitium eſſe coepiſſe, vt Hercules muſarum in ea recognoſcamus. Idem ſentit, idem ſuo, et exemplo, et teſtimonio, confirmat, multis, in lucem editis, ingenii monumentis, domeſticus rerum Hungaricarum ſcriptor, aetate illa percelebris, ac de re litteraria praeclare meritus, Ioannes Sambucus, qui non tantum, in FERDINANDI I. obitum, Panegyricum ſcripſit, verum etiam tum MAXIMILIANI, tum RVDOLPHI, a cura valetudinis, a conſiliis, et a ſcribendis hiſtoriis fuit. Tirnauienſi huic, atque illi Steinhemienſi, adiungerem Iuſtum Lipſium, diu in Aula Vindobonenſi commoratum, ſi ſcirem, poſſe aliquid lucis ſoli meridiano facibus adfundi, aut, ad retundendam Mauritii querelam, vllis vindiciis eſſe opus. Longum quoque foret conquirere ea, quae, ad laudes FERDINANDORVM faciunt. De SECVNDO tamen, ne nihil dixiſſe videamur, accipite ex multis vnum, ex quo facile iudicare poteſtis, quibus ille ſtudiis tempus, a curis Imperii, bellique Bohemici, vacuum, impenderit. Legebat is, praeter alios ſcriptores, et ſacrum codicem, ea vero mentis religione, vt, ſiue quid laudabile occurrebat in exemplis, ſiue reprehenſione dignum,

gnum, id ad ſuam vtilitatem conuerteret. Accidit aliquando, forte fortuna, vt, ſacram Regum populi Iudaici hiſtoriam legenti, interueniret ſacerdos, qui, cum a ſacris confeſſionibus eſſet, tantum abeſt, vt improbaret factum, vt potius ſciſcitaretur, quid obſeruatu dignum animaduerterit. Is vero, ſe mirari, reſpondit, tam paucos, ex tanto Regum numero, diuinis affici laudibus, tamque multos, tam grauibus contaminatos fuiſſe vitiis. Quid ad haec theologus? Suae is memor perſonae, Quin ex illis etiam ipſis, qui laudantur, aiebat, non paucos, rebus ſecundis elatos, concidiſſe, quo diſcant alii, quid in arrogantia principibus ſit periculi, quibus ſemper plus in portu, quam in alto, ſalua naui, quam fracta, ſit timendum. Hoc erat, ſacram, vt CHRISTVS praecipit, ſcripturam ſcrutari. De Principe in compendio, eiusque auctore FERDINANDO III, cum ſupra dictum ſit, actum agere nolo. Quo autem animo DIVVS ille, et ab rerum, bello, togaque, geſtarum, magnitudine, vere MAGNVS, LEOPOLDVS erga litteras fuerit, quam ſtudioſe, lauteque, rem litterariam curauerit, Petrum Lambecium, bibliothecae Auguſtae praefectura, eruditioneque, clarum, audiamus, qui prologo ad opus, ab ſe editum, CAESAREM affatus, ad hunc modum, Effeciſti, inquit, profecto hac ratione, (intelligit vero curam rei librariae, litterariaeque) vt, quod Iuuenalis olim de imperatore Domitiano, amorem litterarum, in principio imperii, ſimulante, falſo gloriatus eſt, id nunc veriſſime de te dici poſſit.

Et ſpes, et ratio ſtudiorum in Caeſare tantum:
Solus enim triſtes, hac tempeſtate, Camenas
Reſpicis.

ta, quod fata orbi litterato eripuerunt in FERDINANDO V, trium iam gentium Regi, rite inaugurato, illud in Fratre ius LEOPOLDO, XLVII. annorum Caeſare, cumulate, manoque foenore, reddiderunt. Nec ſine cauſſa, litterarum hic æſtimator munificentiſſimus in opere Lambeciano, ſic aeri inſus eſt, vt, ſedens in ſolio, librum, Maiorum inſtituto, ante

oculos

oculos apertum habeat, cum veteri hac, ſapientiae plena, inſcriptione: MEDICINA MENTIS. Nihil tamen imaginibus, nihil teſtimoniis, opus eſt, vbi res ipſa pro ſe loquitur, propriamque hanc DOMVI AVSTRIAE gloriam, tot, tamque praeclaris, documentis demonſtrat. Neque AVGVSTVM par Fratrum, IOSEPHVS et CAROLVS, vllis egent teſtibus, quibus, ab ineunte aetate, nihil prius fuit cultu litterarum, quo ea ſibi mature pararent ſtudia, quibus tanti faſtigii decus tuerentur, reuocantes ſibi ad memoriam imaginem illam Maiorum, libro, gladioque inſignem, et, quid vterque in republica, bene regunda, valeat, ſuo exemplo, confirmantes. Et IOSEPHO quidem, diſciplina Rumelii, qui ſummam poſtea Pontificatus Vindobonenſis dignitatem ornauit, ad omnem virtutem, morumque facilitatem, inſtituto, nihil aliud ad gloriam defuit, quam longior vitae, imperiique diuturnitas. CAROLVS tenui quidem fuit, cuius vero imperio nihil vnquam firmius, valetudine adoleſcens, quam ille moderatae vitae ratione, ſolatio orbi terrarum, correxit. At, quemadmodum diuina eius indoles, in prima ſtatim aetate, coeleſtibus igniculis eluxit: ita, optima fide, optatoque ſucceſſu, inſtitutus, ſummam ſpem de ſe non modo concitauit, verum etiam continuo adoleſcens, ſapientia incredibili, ſuperare coepit. Audiamus vnum rei huius teſtem, non adſenſu tantum, ſed omni cultu ac veneratione, maxime dignum, LEOPOLDVM, qui, poſtquam CAROLVM, ſibi cariſſimum, nondum viginti annos natum, in Hiſpanias, mortuo CAROLO II iure omni, diuino, humanoque, AVSTRIAE proprias, non ſine lacrymis, quas paternae caritatis teneritas prolicuit, nec ſine obteſtatione, per ſempiternam Maiorum gloriam, ad perſequendum coeptae laudis curſum, cohortatus, dimiſiſſet, multas ad eum, manu ſua, latino ſermone, ſtylo nitidiore, exaratus, dedit epiſtolas, e quibus elucet, non tantum, quam Latine doctus, quamue ſapiens, Pater fuerit, ſed etiam, quibus, CAROLVS, declaratus, iure paterno, in ſe ſolemniter translato, Hiſpaniarum Rex, ea iam aetate, excelluerit virtutibus. Collaudat enim vna harum, in legitimo hoc

Regno-

Regnorum, per vniuerſum terrarum orbem, ſparſim poſitorum, herede, et pietatem, qua DEVM coluit, et obſequium, quod Patri ſemper praeſtitit, et inuſitatam animi moderationem, qua corporis infirmitatem, itinerum moleſtias, expeditionis pericula, et alia ſexcenta incommoda, aequiſſimo animo pertulit. En tripartitam illam omnium, quae DEO, quae aliis, quae nobis ipſis, debemus, officiorum praedicationem! en maturam in adoleſcente auitae, paternaeque, gloriae aemulationem! en, quam cum Auguſto Patre optimus quisque, de CAROLINI ſeculi felicitate, augurio haud vano concipiebat, ſpem atque exſpectationem! Credo ego, vos, Auditores, laudum Nominis CAROLINI cupidiſſimi, accendi deſiderio, ipſa epiſtolae LEOPOLDINAE verba audiendi. Verſari quidem ea dudum coepit in manibus non ſolum, verum etiam ſcriptis eruditorum, cum tamen ſit breuis, ac neruoſa, ad verbum recitabo. Chare, inquit, *) CAROLE, a Praefecto tuo, Principe Lichtenſtein, libenter ſane intelligo, te, pro ſtatu tui morbi, ſat bene valere, et in omnibus PATIENTEM, et OBEDIENTEM eſſe, quod multum iuuabit, vt, hoc morbo ſuperato, moleſtias, quas nunc patienter perfers, variis recreationibus recompenſare poſſis. Maiori vero ſolatio mihi erat, ab eodem percipere, quod, in elapſa nocte ſacra NATIVITATIS DOMINI, tuam confeſſionem et communionem tam DEVOTE, peregeris. Quod ſane in me maximam ſpem excitat, te ab hoc, moleſto ſane, morbo breui liberatum iri, et vera poſtea fruiturum valetudine: quod tibi a recens nato IESVLO, cui te totum commendo, affectu paterno cordicitus apprecor. Haec LEOPOLDVS ad CAROLVM. Luculentius, credo, teſtimonium haud exſpectabitis, Auditores, de ſummis CAROLINAE indolis laudibus perſuaſiſſimi, quo dictis faciamus fidem, ſapientiae igniculos, AVSTRIO genere dignae, iam tum ex CAROLO emicuiſſe, cum ex Auſtria per Germaniam ad Batauos, hinc ad Britannos, illinc ad Luſitanos, iſthinc ad Iberos, ad vindican-

*) Berger l. c. p. 33.

da sibi, paterno iure, Hispaniarum regna, ex sinu complexuque Patris dimissus, expeditionem, ad Herculis columnas, terra marique, periculis ac laboribus, plus quam Herculeis, haud carentem, adolescens suscepisset. Etsi autem infirma esset valetudine, bellum vero, contra Domum Burboniam, acerrime persequeretur, vrbes oppugnaret, proeliis ipse compluribus interesset, grauem Barcinone obsidionem sustineret: inter hos tamen armorum strepitus, curasque rei gerendae, animum a studiis litterarum nequaquam abstraxit, verum in castris etiam, imitatione Maiorum, musis deditus, exemplo suo, Apollini cum Marte non male conuenire, demonstrauit. Sic enim iura sua persecutus est, vt libro omnia negotia prudenter regeret, feliciter defenderet gladio. Viderunt sine dubio vestrum complures, legeruntque, Vindobonae inscriptionem illam, CAROLINAE sapientiae indicem, omnique posteritati memorabilem, quae in Numophylacii CAROLINI, ex Hispaniis in Austriam reuecti, foribus prostat, ac testatur, quae CAROLI, liberali disciplina sic, vt melius non posset, instituti, vel ante, quam praetextam posuisset, vel post, quam virilem togam sumsisset, domi forisque studia, quae oblectamenta, fuerint. Docet enim, hunc rei numariae veterum, qui se tum copia, tum rarioris exempli numis commendat, thesaurum, vt illic legere est*): Primum CAROLI, Principis Iuuentutis institutioni, deinde inter armorum strepitus, in ipsa expeditione Iberica, Regis, Victoris, recreandae menti inseruiisse, vt Gades remotae in hoc altero Carolo V ipsum Herculem, non modo Gaditanum, sed etiam Musagetem agnoscerent. Huc oculos mentis intentos habuisse videtur, cum nuper admodum, pro muneris sui dignitate, Augustum funus Augustalibus cohonestaret inscriptionibus, excellentissimus Augustae Aulae Orator, Poëtaque laureatus, Ioannes Carolus a Nevvenstein, qui, in sua Apotheosi, CAROLI, immortalitati iam consecrati, praetextatam aetatem vix ante praeceptis, quam exemplis, et laureatam iuuentutem regnatrices artes, non in ludo, sed sub sudo;

*) Iō. Guil. de Berger Panegyr. p. 122.

do; imperatorias vero, in ipſa expeditione Iberica, per exercitamenta magnarum virtutum, edoctam, eſſe ſcribit. Hinc illa in CAROLO, domum, ad capeſſenda Paterni, Fraternique, imperii gubernacula, reuocato, pulcherrima rerum omnium, Perſona Auguſta dignarum, notitia: hinc perfecta linguarum omnium, EVROPAE familiarium, peritia: hinc prolixa et benefica erga litteratas voluntas: hinc reipublicae in bello, togaque, bene regundae facultos: hinc mirifica illa animi aequitas et moderatio: hinc tacita illa quaedam omnium decorum, quibus enituerunt Maiores, in vnum CAROLVM conſpiratio, mutuaque virtutum, quae fulgeat magis, aut plus gratiae, commendationisque, adferat, concertatio: hinc, in dirimendis, quae obſcuritate ſua perplexae inexplicabilesque videbantur, litibus, veri perſpicientia ſolertiaque: hinc, in deligendis bellorum ducibus, in adminiſtrandis prouinciis, in foederibus ineundis, in fide ſeruanda, in bellis ſuſcipiendis, gerendis, componendisque, in omnibus denique negotiis, et deſtinationibus, ad optatum finem dirigendis, prudentia: hinc illa vitae morumque integritas: hinc in rebus non modo, quae ante pedes ſunt, peruidendis, ſed etiam, quae longe poſt eueniebant, animo proſpiciendis, ſagacitas: hinc denique illa, rari admodum exempli, ſapientia, felicitas, et gloria, vt in ſenatu, conſilioque, ſemper haberet viros, et prudentia illuſtres, et fide, integritateque praeclaros, et iuris diuini, humanique, ſtudio excellentes. Tanti refert, quibus quis naſcatur parentibus, quos magiſtros habeat, quibusue moribus, atque artibus, a puero imbuatur. Eadem AVLAE CAROLINAE debetur laus, quam MAXIMILIANO II Iuſtus Lipſius, aut CAROLO V Nicolaus Schombergius, ſedis Romanae Purpuratus, attribuit. Is enim, de Vindobonenſi Aula, palam praedicabat; plures vnam hanc eruditos habuiſſe, quam tota regna aliorum. Hic autem, quaeſitus Romae, quid tribus in Regnis, quae adierat legatus, memoratu dignum, obſeruarit, breuiter, appoſiteque reſpondit, ſe in Galliis regnum pulchrum, in Britannia pulchrum Regem, in Hiſpaniis autem ſapiens conſilium reperiſſe. Nec difficile fuit CAROLO tales in

Imperii, Regnorum, prouinciarum, ipſiusque Auguſtae Aulae ſenatum, cooptare viros, iuſtitiaeque conſtituere ſacerdotes, cum, florentibus vbique, CAROLINO ſeculo, litteris, in tanta prudentiſſimorum virorum adfluentia, non niſi excellentiorum opus fuerit, ingeniorum delectu. Sicut enim omnes, qui litteras recte didicerunt, litteratosque in pretio habent, cum nullo hominum genere libentius, quam cum doctis, verſantur: ita Hercules iſte ſeculi noſtri Muſagetes, ingeniis praeſtantioribus mirifice delectatus, infra ſuam maieſtatem non exiſtimabat, viros, quantumuis fortuna, natalibusque humillimos, ingenio tamen, et rerum multarum cognitione, ſupra vulgus poſitos, in Aulam ſuam, fama CAESARIS, ſapientia ſoli DEO ſecundi, excitos, admittere, aut etiam arceſſere, lautioribus fouere ſtipendiis, in maximisque deliciis habere, vt Aula Vindobonenſis, tanquam quoddam ſapientiae ſacrarium, et theologorum, et iurisconſultorum, et medicorum, et philoſophorum praeſtantiſſimorum copia ſemper abundaret, neque vnquam illi deeſſent, vel oratores, qui cum Tullio, vel poëtae, qui cum Marone, vel mathematici, qui cum Euclide, vel architecti, qui cum Archimede, vel ſtatuarii, qui cum Phidia, vel pictores, qui cum Apelle, artis ſuae excellentia, certarent. Quotquot peregre adueniebant exteri, ne barbaris quidem, litterarum contemptoribus, exceptis, iſtaque ſapientiae adyta, tanquam per tranſennam intuebantur, non poterant non religioſa capi admiratione, et non ſecus, ac ſplendidam cuiusdam Iouis Aulam, venerari. Sic, quod de Carthagine refert Suidas, id de Vindobona veriſſime dixeris, fuiſſe **venerabilem terrarum magiſtram, muſam coeleſtem, et Camenam legatorum.** Nec alia cauſa eſt, cur barbari in oriente litteras, deſpicatui ante habitas, colere incipiant, librosque diligentius, quam ante, et ſcribant, et formis imprimant, quam quod, exemplo AVSTRIAE, ſuo autem malo, didicerint hucusque, haud fideliores eſſe Imperiorum cuſtodes, quam muſas. Eant nunc iniqui litterarum oſores, atque obtrectatores, qui, a curis, aulisque Principum, litterarum ſtudia procul abeſſe, volunt; clament, quantum velint, indignum eſſe perſona Principis,

cipis, vt vel ipſe in litteras incumbat, vel litteratorum conſuetudine, amoreque, capiatur. Longe rectius ſenſit Imperator, omnium quotquot orbis habuit, ſapientiſſimus, CAROLVS, qui, quanto aeterna caducis, immortalia fluxis, diuina humanis, rebus antecellere, perſuaſum habebat, tanto maius ſemper ſtatuebat pretium, et artium ſtudiis, et viris ingenio, ſcientiarumque laude ornatioribus, quamuis hi loco humili et obſcuro naſcerentur. Qua prudentia imitari voluit, nobiliſſimam omnium plantarum, vitem, quae, cum, natura caduca, niſi fulciatur, ad terram fertur, multiplicique lapſu, ſerpens in omnes partes, nimia funditur, ac ſilueſcit, ideoque laetatur adminiculis, quibus, licet haec ex viliſſimis ſiluestribusque fiant arboribus, illa tamen religata, iugataque, optime ſuſtentatur, et, abſque hoc ſi eſt, clauiculis ſuis, quaſi manibus, quod prehendat, quaerit, et, quidquid nacta eſt, tenacius complectitur: ita CAROLVS, cuius ſtirpe nihil illuſtrius, aſpectu nihil pulchrius, fructu nihil laetius, nihil generoſius, nihil denique ſalutarius fuit, quo iucundius, commodiusque tot populos, nationesque, ſub pampinos ſuos confugientes, tegeret, aduerſus incommoda defenderet, fructibus nutriret, ac recrearet, doctorum virorum, quibus apud alios Principes nihil contemptius, conſuetudine, ac litteris, velut quibusdam adminiculis, altius ſeſe erigebat, operaque eorum, in tanti imperii procuratione, felicitate, ſapientiae pari, vtebatur. Ita nihil ceſſit gloria, ſtudioque bonarum artium, SIGISMVNDO, Archiduci, Imperatoris FRIDERICI patruo, cui Aeneas Siluius per litteras hanc tribuit laudem, Quid tibi videtur, inquit, Sigismunde, cum venit Hungarus, aut Italus, aut Gallus, latineque fatur, cum tu adoleſcens illos intelligas, alii ſenes, tanquam ſurdi, audiant? Nihil CAROLO IV Imperatori, qui eo loco litteras habuit, vt non modo legibus Imperii, quas Auream Bullam vocant, re ſapienter, et multum conſiderata, praeceperit, vt filii Principum, in Grammatica, et linguis, Italica, Slauica, et aliis, in imperio tum receptis, mature, ac diligenter inſtruantur; verum etiam, prout ipſe ingenio, doctrina, multarumque linguarum vſu, pollebat, ita ſcholam Pragenſem

ſaepenumero adire, et magiſtros artium liberalium, inter ſe diſputantes, aliquot horarum ſpatio, patienter, ac beneuole audire, non dubitarit. Acciderat aliquando, vt iam, non modo maieſtatis ſuae, verum etiam corporis curandi, oblitus, palaeſtrae huic litterariae, quatuor horas impenderet, atque a Purpuratis, morae longioris pertaeſis, vt ad coenam rediret, diſputationi intentus, moneretur: is vero, ad intempeſtiuos, quibus iam animus in patinis fuit, monitores conuerſus, Mihi, inquit, tempus eſt minime, nam coena mea haec eſt. Digna vox elogio! digna imitatione principum! Nihil denique filio eius, SIGISMVNDO Caeſari, qui, reprehenſus ab aliis, quod homines, obſcuri ortus, humilisque conditionis, ob litterarum ſtudia, lautius haberet, Quidni, inquit, amem eos, quos natura ceteris antecellere voluit? Haec, vt magni, et ſupra vulgus ſapientis, animi ſunt, ita felicia praedicantur ea tempora, quibus reipublicae tales moderabantur Principes. At quanto felicius, beatiusque, praedicabunt omnes poſteri noſtrum ſeculum, cui, fato rei litterariae ſalutari, talis obtigerat Imperator, quo indulgentiorem ſuis rebus muſae vix optare potuiſſent. Praedicet, quantum velit, priſca aetas Iulios, Auguſtos, aliosque beneficos litterarum, atque ingeniorum praeſtantiorum, aeſtimatores: laudet Bohemia Carolos, Sigismundos, et, ſi quos habet, alios: CAROLO SEXTO, qui patrocinio muſarum, gloriam omnium horum non exaequauit ſolum, ſed etiam longe ſuperauit, imo obſcurauit, hic ex merito debetur honos, vt, quoties in poſterum nominandus fuerit is, qui amat litteras, ac fouet, is exemplo omnium temporum, gentiumque celebratiſſimo, CAROLVS nominetur. Loquentur enim, apud rempublicam litterariam commendabuntque aeternitati TVVM, CAROLE AVGVSTISSIME, aduerſus bonas artes fauorem, plus quam Auguſtum, cum diuiniſſima facinora abs TE, Muſarum cauſa, edita munificentiſſime, tum ipſa quoque Hungaria, vt Belius noſter, (*) qui, TVIS auſpiciis, patriam illuſtrare coepit, prae-

(*) Praefat. ad Tom. I. Operis.

praedicat. TV enim, debellatis hoſtibus, non modo imperio maieſtatem, populis pacem, regionibus commercium, verum etiam, vt, Ludouicus Antonius Muratorius, Tomo primo ſcriptorum Rerum Italicarum, TVO Nomini nuncupato, ſcribit, (*) artes reſtituiſti. Mirabitur omnis poſteritas, cum in Abbate Gotuicenſi, Gottfrido, (**) legerit, Te de veris Hiſtoriae Germanicae fontibus, de diplomatum veterum vſu, vi, et auctoritate, de inſtaurandis denique, prouehendisque, optimarum artium ſtudiis, ſic erudite diſſeruiſſe, vt idem Chronici Gotuicenſis auctor, ſacro munere venerabilis, talia ex TE ſummo orbis terrarum Principe, audiuerit, in TVVM colloquium ſaepius clementer admiſſus, qualia vix ab illis, qui eruditi exiſtimari volunt, cognoscuntur, in Principibus autem, ad ſimile faſtigium euectis, ſunt rariſſima. Nec tacebit vnquam TVVM erga meliores litteras ſtudium, Bergerianus, de Naturali Orationis Pulchritudine, ad excelſam Longini diſciplinam, illuſtri, continentique C. Iulii Caeſaris, exemplo, exacta, Commentarius, quem, TVAE Maieſtati conſecratum, ea ſuſcepiſti (***) benignitate, vt auctor eius, Ioann. Guil. de Berger, optimus ille dicendi, ad Chreſtomathiam Longinianam, magiſter, magnam, quam apud te iniit, gratiam, hodieque apud Saxones praedicet, nouisque abs te auctus honoribus, ad vnum amicorum Sempronienſium, ſuum ante diſcipulum, haec iam tum gratulabundus ſcripſerit: (****) Gaude mecum, inquit, felicitate ſeculi CAROLINI, quo litterae tam benignae habentur. Haec cogitatio nos erigat, vt ſpernamus barbaros, ſordibusque quaeſtus ſui relinquamus, te quidem in primis, qui propiore tanti Caeſaris Auguſti auſpicio exhilararis, ad optimam quamque ſpem excitet, vt alacriore ſemper animo, ac fiduciae pleno, bene de

 po-

(*) edito Mediolani an. 1723 in folio.
(**) in Opere Hiſtorico, ſeu Chronico Gotuicenſi, edito an. 1732 in folio Vid. Dedicatio ad Caeſarem.
(***) an. 1720 in quarto.
(****) Vitemberga Saxonum IIII Kal. Oct. MDCCXXIII.

politiore humanitate, bene de liberalibus ingeniis, ſicut adhuc conſueſti, mereare. Sed ſatis de litterarum amore, ſatis de ſtudio rem litterariam ornandi, AVSTRIAE ſic proprio, vt nullum fuerit tempus, quo non benignam muſarum parentem, et nutricem, ſe geſſiſſet, nullum ex ſe genuerit Principem, qui non, benigniore fato, orbi litterarum natus, vel cognitione ſcientiarum pulcherrimarum exſplenduiſſet, vel ſtudia, ſiue illa ad humanitatem pertineant, ſiue ſint ſeueriora, et grauiora, ſuo pretio non aeſtimaſſet.

Alterum ſequitur DOMVS AVSTRIAE, magnis rei litterariae commodis, ornamentisque metiendum, decus, quod in ſupellectilis librariae cura ſtudioque, pono. Quam aegre orbis eruditus bibliothecis careat, quantumque ſubſidii, ad comparandam eruditionem, ac ſcientiam, hinc naſcatur, de eo in praeſens dicere, nihil attinet. Neque huius loci eſſe exiſtimo, vt, quantum vel decoris, vel adiumenti, rebus publicis, earumque principibus, librorum adferat adparatus, demonſtretur. Nam, vt alios vſus bibliothecarum inſignes taceamus, viuorum conſiliis, non tam bene imperia regi, quam ſapientia mortuorum, monimentis litterariis expreſſa, nemo eſt, qui non videat. Quo enim alieni ores ſunt mortui, ſiue a metu periculi, quod plerumque parit veritas, ſiue a captatione gratiae, quam adfert obſequium, ſiue ab amore, atque odio, quae duo multum offutiarum habent, rapiuntque animos ſaepe in transuerſum: eo minus de fide, candoreque, horum conſiliariorum, ſupereſt dubitationis. Recteque ſcripſit Tullius, haud vnquam facilius, aut reſpublicas, aut omnem reipublicae diſciplinam, quam ex annalium monimentis, cognoſci. Quod cum, ſuo edocta vſu, perſpectum haberet AVSTRIA, in eam ſemper curam ſtudioſe incubuit, ne inter cetera illud quoque ſuis Principibus deeſſet, reipublicae bene gerendae, adiumentum, quod ſapientiſſimi quique rerum publicarum moderatores, in adparatu, vſuque librorum, quaeſiuerunt. Pridem enim ex FRIDERICO IV didicerat, librum eſſe, qui regat, gladium, qui defendat respublicas. Quamobrem FERDINANDVS, illius pronepos,

nepos, licet haberet aulam viris adfluentem, ad prudentiam omni ſtudiorum genere eruditis, libros tamen tanti fecit, vt hos ſibi optimos eſſe conſiliarios, multoque fideliſſimos, aliquoties palam ſit profeſſus. Hoc erat ſapere cum ALPHONSO, Hiſpano, matris ſuae Propatruo, cui non ſanguinis modo, ſed etiam virtutis, ac ſapientiae propinquitate, cognatus videri voluit. Antepoſuit autem mortuos viuis, quod hi, aut pudore, aut metu, aut gratia, aut odio, multa Principem celarent; illi omnia nude, libere, ſimpliciterque, ſiue grata eſſent lectoribus, ſiue minus, declararent, ſimiles ſtatuis mercurialibus, quae, cum mutae ſunt, rectum tamen iter omnibus demonſtrant. Nec aliud permouit olim Ptolemeum Philadelphum, vt Alexandriae bibliotheca inſtitueretur, vel Demetrium Phalereum, vt tale conſilium Regi daret, quam, vt haberet Rex, vnde artes belli, togaeque, ſibi redderet familiares, ſalutariaque conſilia, in vtramque fortunam, depromeret. Eodem conſilio amaltheam ſibi quondam condiderat MATTHIAS ille, cui DOMVS AVSTRIA legitime, in regnis Pannoniarum, ſucceſſit, cognomento Coruinus, quo regnante, vti regnum ipſum, depulſo barbarorum metu, quem memoria cladis, ad Varnam recens acceptae, iniecerat, vires quodammodo recolligere, ita res etiam litteraria, funeſtis bellorum tempeſtatibus, neglecta, atque obſcurata, a ſitu et ſqualore vindicari, nitoremque priſtinum ac decus recuperare viſa eſt. E re enim, cum ſua, tum regni totius, prudenter exiſtimauit futurum, Rex, non armorum gloria magis, quam artium liberalium ſtudio, atque aeſtimatione, clarus, ſi non modo viros, elegantia litterarum perpolitos, quos vel patria ſibi gignebat, vel fama munificentiae erga litteratos Regiae alliciebat, aſſiduos circum ſe haberet, ſed etiam Budam, regni caput, bibliotheca, magno codicum adparatu, ſplendidoque, inſtructiſſima, exornaret. In quo, regio prorſus, rei litterariae theſauro, ex remotiſſimis quibusque gentibus, colligendo, non laboribus, non ſumptibus, parſum eſt, eumque res iſta habuit ſucceſſum, vt muſae, ex Graecia, Latioque, in Pannonias certatim conuolare, atque,

ad profligandam ex patria barbariam, conſpirare viderentur. Vidiſſes iſthic, quod oculata Alexandri Braſſicani fides adſerit, Hyperiden integrum, locupletiſſimis illuſtratum ſcholiis, codicem quantouis pretio aeſtimandum: vidiſſes Chryſoſtomi, Athanaſii, Cyrilli, Nazianzeni, Baſilii M. Gregorii Nyſſeni, Theophonis, Dorothei, et aliorum, quos ſub Patrum nomine veneramur, opera incomparabilia: vidiſſes Apoſtolicos Canones, exempli rariſſimi: vidiſſes auctores Graecos innumerabiles, immenſamque vim poëtarum, oratorum, philoſophorum, hiſtoricorum, aliorumque ſcriptorum, quos ex oriente, occidenteque, tantus, vt eidem Braſſicano adpellatus eſt, librorum heluo, incredibili ſumptu, ac ſtudio, conquirebat. Alebat non modo complures Florentiae, lautis ſtipendiis, librarios, qui auctores, notae melioris, exſcribebant, ſed etiam in Graecia, ſcripta quaeuis, velut mancipia, e barbarorum cataſtis, redimebat. In exornando vero hoc muſeo, quis non fuit nitor? quae non, extrinſecus, intrinſecusue, elegantia? cum codices Coruiniani, non modo auctorum praeſtantia, verum etiam manu librariorum niridiore, externo ſplendore, inſignibusque Regis gentilitiis, ſeſe omnibus commendarent, hodieque theſauri huius reliquiae, in alias reuocatae bibliothecas, facile dignoſcantur. Quam nitidis in membrana characteribus plerique fuerint exarati, vnus fidem faciat, ex hac captiuitate, in Gallias delatus, Nicephorus Calliſtus, cuius libros XIIX Hiſtoriae Eccleſiaſticae, ex hoc, manu exarato, codice, cum ederent Pariſienſes, elegantiorem ſcribae manum ſatis admirari, praedicareque non potuerunt. At fuimus Coruiniani! iam per diuerſas Europae partes, proh dolor! diſſipati exules! Vix annos ſexaginta, gloria haec rei litterariae ſtetit incolumis, labante in deterius regno, attritisque ciuili diſſenſione viribus, bibliothecam hanc, Pergamena, Alexandrinaque longe illuſtriorem, prophanae barbarorum manus, corripiente dominatum Solymanno, diripuerunt, diſtraxerunt, diſſiparunt. Triſte, credo, fuit ſpectaculum, cum tot millia Chriſtianorum Thrax in ſeruitutem, ipſa morte acerbiorem, traheret: at, quam foedum ſimul adſpectu ac miſerabile, quam auditu horrendum

ac

ac deteſtabile, orbi litterato fuit fatum hoc amaltheae Coruinianae, cum, codices, tam pretioſos, tot carris conuaſatos, in Thraciam auehi, atque Conſtantinopoli, in Muhamedanae impietatis ſtabulum conuerſa, mancipiorum more, ſub haſta diuendi, intelligeret! Quid tamen dolemus? quid theſauri huius iacturam tantopere deploramus? Praeclare ſatis nobiſcum, egregie cum regno, perbenigne cum muſis, exſtincta Hunnyadum gente, actum eſt. Amiſimus libros, non ipſas Camenas, librosque maiori ex parte, ex captiuitate Ottomannica, ſenſim recuperauimus. Enimvero clementiore Hungariae, laetiore rei litterariae fato, factum eſt, vt muſarum decus, vna cum Regia dignitate, aduerſo flumine Iſtro, Buda Vindobonam, ſuperioris Pannoniae, quam priſci Primam dixerunt, vrbem, transferretur. Ita cum muſis, in exilium nequaquam exacti ſumus, verum, amiſſa Regia, non Regno, in veterem patriae vrbem, locumque longe auguſtiorem, tutioremque, noſtro commodo, transportati. Caeſo enim ad Mohacſium Ludouico, Rege, profligatae a barbaris muſae, aut potius ipſae immanitatem tyrannidis Solymannicae fugientes, velut in fidem, clientelamque, DOMVS AVSTRIAE ſeſe tradiderunt, et, quod perfugium patrociniumque, fatis cedente Coruino, iam apud MAXIMILIANVM CAESAREM, Auguſtumque tandem eius nepotem, FERDINANDVM quaeſiuerunt, ſatis largiter ſunt conſecutae. Vbi autem terrarum, vbi, quaeſo, gentium, liberalius hoſpitium, vel ſperare, vel optare, vel adipiſci potuiſſent, quam in AVSTRIA? Vbi tutius praeſidium, praeſentius auxilium, fideliorem tutelam, quaerere, aut inuenire, quam in AVSTRIA? vbi domicilium commodius, auguſtioremque ſedem deligere, ac figere? vbi iucundius? vbi ſecurius conquieſcere? quam in Auguſta, totque meritis in rem litterariam venerabili, AVSTRIA? Timuerunt ſcilicet hae lucis, non tenebrarum, pacis, non armorum, religionis, non ſuperſtitionis, alumnae, nothum lunae corniculantis in oriente ſplendorem, ideoque, ſolem occidentem ſecutae, atque inter fugiendum, ab AVSTRIO litterarum Statore, ad iuga mon-

tis

tis Cetii, subsistere, et spiritum viresque resumere iussae, non modo noctem perpetuam, qualis pristinas musarum in Graecia sedes iam obruerat, Pannonioque Heliconi imminebat, feliciter euaserunt, verum etiam, iucundissimum nactae otium, in luce versari magis coeperunt. O felicem rerum conuersionem, quae, quidquid cum Buda amiseramus, abunde reddidit! o beatam Pannoniam, quae, post tot funestas clades, ad Nicopolim, Varnam, Mohacsiumque, acceptas, post tot externos non solum, sed etiam domesticos motus turbasque, sub victricibus Aquilae AVSTRIAE alis, optime conquieuit! o fortunatum duplex illud matrimonii vinculum, quo, CAESARE MAXIMILIANO, et Rege VLADISLAO, vltro citroque, data, et accepta, sponsa, AVSTRIA Pannoniae arctius coniuncta, ita in amicitiam coaluit, vt, quod DOMVI HABSBVRGICAE, iam in ALBERTO, Sigismundi genero, nuptiarum iure, obuenerat; quod FRIDERICO IV, Ladislai Posthumi tutori, pactione Oedenburgica, quam et Neostadiensem vocant, a MATTHIA Rege, per legatos, Sempronii cum regni corona redimeretur, sancte fuerat promissum; quod MAXIMILIANO, tot procerum, tot sigillorum fide, in Posoniensi conuentu, fuerat confirmatum: id tandem in FERDINANDO, ANNAE sponso, salutari Hungariae fato, impleretur; ita vero impleretur, vt, quam proceres spem exspectationemque, de DOMVS AVSTRIAE praesidio, sibi conceperant, illam stirpis eiusdem REGES, non interrupta deinde serie, sese excipientes, non modo abundantius, quam sperari a nobis ipsis poterat, exaequarint, sed etiam, patria summis ornata beneficiis, cumulataque, quam longissime superarint. O faustum Pannoniis, plenumque laeti ominis, MARIAE AVSTRIACAE, LVDOVICO desponsatae; nomen, per quod coalitio illa, ducentis abhinc, et amplius annis, auspicato facta, nunc de AVGVSTA MARIA THERESIA, paterni solii, gloriaeque herede, eiusque Regio Coniuge, SERENISSIMO DVCE LOTHARINGIAE et BARRI, MAGNO DVCE HETRVRIAE, FRANCISCO STE-

STEPHANO, et patriam, et orbem litteratum, optima quaeque, euentu minime dubio, non tam ſperare, quam certo exſpectare iubet! Quod enim bene feliciterque vertit, nondum Buda a barbaris intercepta, nondum Coruinianus ille ſupellectilis librariae, quo nihil fuit pretioſius, theſaurus direptus fuit, iam diuina prouidentia, de rei litterariae ſalute, ex qua rerumpublicarum ſalus pendet, ſolicita, nouum, Budenſi longe magnificentius, perennitate vero etiam felicius, muſis exilium, exitiumque, in Hungaria metuentibus, domicilium in AVSTRIA parabat. Bibliothecam intelligo Vindobonenſem, omnium, quas orbis terrarum vnquam habuit, quasque hodie admiratur, auguſtiſſimam. Iam fundamenta theſauri huius, Camenis deſtinati, poſuerat quidem ſapientiſſimi auctor inſtituti, RVDOLPHVS I inſtructius reddiderat, artis, quae prelo libros diuulgare felicius coepit, ope non parum adiutus, FRIDERICVS: cura tamen, ac munificentia MAXIMILIANI, in perficiendo hoc opere, muſis ſacro, colligendoque adparatu, ea demum fuit, vt hic, ex Comitiis Imperii Auguſtae Nemetum actis, reuerſus, translatis in publicas aedes, pulchroque ordine digeſtis, omnibus, quae ante diſperſa, priuatam Principum eruditionem alebant, litterarum monimentis, nulla Maiorum iniuria, conditor haberi coeperit. In locupletandis, exornandisque, his rei litterariae gazis, ita inter ſe, honeſta aemulatione, certarunt poſtea CAESARES, vt, imperante LEOPOLDO, MAGNO illo, non CAESARE tantum, ſed etiam muſarum Patrono, longe amplius octoginta voluminum millia, Lambecius ſuo iam tempore, numerarit. Quidquid enim librorum, ſuos in vſus, collegerat, Conradus Celtes, omnium, quos vnquam Germania lauro ornatos vidit, poëtarum princeps, a FRIDERICO IV noua hac dignitate auctus, poſt vero, iubente ſic MAXIMILIANO, artis poëticae, et rhetoricae, magiſter publicus: id omne; fatis cedente Conrado, in Caeſaream, ex pluribus in vnam aedibus paullo ante coactam, translatum eſt. Ab hoc ſcientiis perpolitus, Ioannes Spieshamerus, dictus ore Latinorum Cuſpinianus, eidem MAXIMILIANO in primis carus,

rus, rem hanc librariam, non ſolum praeclaris ingenii ſui monimentis auxit, verum etiam, iuſſu Imperatoris, reliquas totius AVSTRIAE bibliothecas, ſitu ſqualentes, diligenter excuſſit, et, quidquid codicum rariorum, manu ſcriptorum, in his reperire poterat, in Vindobonenſem transportauit. Neque nulla debetur laus, vel Caſparo a Nydpruch, viro legum peritiſſimo, rem hanc haud ſegniter curanti, vel Ioanni Fabro, Praeſuli Vindobonenſi, cuius theſaurus librarius, quem reliquerat ingentem, gazas iſtas inſigniter locupletauit, vel Ioanni Dernſchuammio de Hradiczin, qui, ex variis regionibus, ingentem copiam, incredibili ſtudio, huc coegit. Neque parum incrementi, imperante FERDINANDO I acceſſit, ex ſelectiore Wolffgangi Lazii apparatu, qui, ſicut ad propaganda litterarum ſtudia, natus, auctores vetuſtiſſimos, ex antiquioribus Auſtriae, Carinthiae, Stiriae, Cilii, Sueuiae, Heluetiae, Briſgoiae, Alſatiae, Sundgauiae, Nigrae Siluae, coenobiis, inter thecas, non ſine ſitu, et litterarum iactura, adhuc deliteſcentes, ſtylo, non formis, exſcriptos, collegerat, ita, poſt mortem, omni ſua ſupellectile, in Auguſtam translata, magnam non eruditionis tantum, verum etiam curae librariae, famam poſt ſe reliquit. Quantam vim codicum, quantam veterum numiſmatum, inſcriptionumque, farraginem, legationibus, magna cum gloria, perfunctus, ex Graecia, Aſiaque huc intulerit, a FERDINANDO I ex Belgio in Auſtriam arceſſitus, Augerius Busbequius, teſtantur non modo ſcripta eius, verum etiam Auberti Miraei, Antuerpienſis, elogia, quibus illuſtriores Belgii ſcriptores enarrauit. Hoc enim teſte, centum amplius, cum Graeca, tum Latina, in membranis calamo exarata, volumina ſecum inde retulit, in charta vero ſimplici deſcriptorum, tota plauſtra, totasque naues. Peccaremus in patriae caritatem, niſi partem huius laudis tribueremus et Ioanni Sambuco, Tirnauia Pannonio. Fuit enim ea viri huius clariſſimi, in colligendis, tum litterariis veterum monumentis, tum ſtatuis, ac numiſmatibus, diligentia, vt, teſte Thuano, ſummis Principibus, qui hac re laudem ſunt conſecuti, quamuis in diſpari fortuna, aequari debeat. Quantos

tos ille, ſuo ſumptu, redemit captiuos, quos, ex Palladio Budenſi, abſtulerat Turcorum feritas! Nec intercidet Sambuciani nominis memoria, donec litterarium hoc ſapientiae AVSTRIAE templum Vindobonae ſteterit, bis mille ſexcentis, et amplius, rarioribus popularis huius noſtri libris, Tirnauia huc translatis, locupletatum. Orationis modum excederemus, ſi laudare vellemus, vel Hugonem Blotium, qui hoc Palladis ſacrarium, imperante RVDOLPHO II adminiſtrabat, inuidiam Ioannis Leunclauii, indeque natam, profuſae, in communicandis libris, facilitatis ſuſpicionem, expertus; vel Richardum Steinium de Schwartzenau, liberalioris fidei, atque indiligentiae, cuius Hugo accuſabatur, adiunctum cuſtodem; vel Sebaſtianum Tengnagelium, virum quindecim linguarum, quas lapis ſepulcralis Vindobonae recitat, peritum, inſatiabili comparandorum librorum auiditate, atque, cum ſuam, tum Auguſtalem, cui ſumma cum laude praefuit, amplificandi cura ſtudioque, ipſo tum Busbequio, tum Sambuco, ſuperiorem. Quidquid enim probatae eruditionis Belgium, Germaniam, Galliam, Hiſpaniam, Italiam, Graeciam, Aſiam, Turcicam et Perſicam, Aegyptum, Aethiopiam, adhuc inſidebat, id omne, ingenti ſumptu, aut coëmi, aut deſcribi, curauit, relicta hac nominis ſui memoria, vt hodieque iſtis rarioribus MSctis codicibus, Latinis, Graecis, Hebraicis, Arabicis, Turcicis, Perſicis, Syriacis, Armenicis, Aethiopicis, Vindobona glorietur. Priuata vero eius, cum, ſi excipias libros, prelo impreſſos, amplius quatuor millia auctorum, calamo exſcriptorum, in linguis variis, orienti praeſertim vſitatis, numeraret, omnem tamen hanc hereditatem, ſuauiſſimum illud, vt tabulae teſtamenti loquuntur, animi, litteris imbuti, pabulum, et vnicam miſeriarum humanarum officinam medicam, raris his, multis, pretioſis, inuentuque difficillimis, codicibus, conſtantem, lege teſtamentaria, Auguſtae legauit. Non capit inſtitutum praeſens laudes Wilhelmi Rechbergeri, aut Matthaei Mauchteri, quibus, ſacra haec Palladis, poſt Tengnagelii fata, curantibus, gazophylacium hoc nouis acceſſionibus auctum eſt. Huc refero in primis,

mis, instructissimam illam Fuggerianae gentis amaltheam, quae, a FERDINANDO III comparata, Augusta Vindelicorum, ratibus quinque, Vindobonam, vna cum Atlante, stupendam illam totius vniuersi molem, et aethereum, et elementarem, summo Martini Furtenbachii artificio, factam, sustinente, demigrauit, maiorem copiam secum aduectura, nisi, bello Germaniae tricesimali, maiore sui parte, quae iactura nunquam satis deplorari potest, fuisset deminuta. Eodem, quo haec facta est accessio, tempore, idem FERDINANDVS bibliothecam Tychonis de Brahe, adhuc in Bohemia delitescentem, pro suo in rem litterariam studio, vna cum scriptis Schickardi, Maestlini, Kepleri, Gassendi, aliorumque, huc curauit transportandam. Tot CAESARVM, tot annorum, tot copiarum, suppetiis sic locupletatum fuit, post tempora FERDINANDORVM, hoc museum, vt nihil ad Augustalem magnificentiam addi posse videretur. LEOPOLDVS tamen, vt in rem litterariam, animo fuit prolixissimo, ita gloriam Maiorum nouis augmentis cumulaturus, cura quoque rei librariae, nomen suum aeternitati commendauit. Testis huius rei locupletissimus est Petrus Lambecius, qui, non modo ex ergastulis Budensibus, captiuos nonnullos, vtpote Gregorii Nazianzeni sermones Apologeticos nouem, e Graeco in Latinum translatos, Augustini Sermones, de Verbis Domini, et Iani Pannonii Poëmata, plures enim nec prece, nec pretio licuit, liberauit, cum a CAESARE Budam, ad Leslaeum Comitem, apud portam Ottomannicam, Oratorem, mitteretur; verum etiam ex Ambras, prouinciae Tyrolensis arce, ingentem omnis eruditionis adparatum, quem, animi causa, hic antiquitus, loco amoenissimo, Principes congesserant, Vindobonensi adiunxit. Quod autem Leslaeo, a barbarorum feritate obtinere tum non licuit, id paullo post, recepta vrbe, omne in potestatem LEOPOLDI, de oriente triumphantis, transiit. His rebus factum, vt templum hoc sapientiae, variis monumentorum generibus, redditum sit refertissimum, gaudeatque hodie tantis Coruinianae bibliothecae reliquiis, coruo, annulum rostro tenente,

nente, infignitis, quantis nulla alia gloriatur. Elapfis vero inde annis amplius quinquaginta, quid non augmenti, fplendorisue, ex eo tempore, CAROLINIS praefertim aufpiciis, acceffit! Vt enim bibliothecam Hohendorfianam, incredibili copia inftructiffimam, quam, Philadelphus hic feculi noftri munificentiffimus, magna vi auri comparatam, Auguftae adiecit, taceam, meminiftis vos ipfi, Auditores, litterarum amantiffimi, quam exquifitum, pretiofumque, fupellectilis librariae adparatum, poft fe reliquerit, gloria rerum geftarum immortalis, EVGENIVS, rariorum codicum, et antiquitatum, quantiuis pretii, ftudiofiffimus, qui vero omnis, duobus abhinc annis, Auguftae adfcriptus, pofteris omnibus, quanto CAROLVS ftudio rem litterariam curauerit, quantisue accesfionibus gazas librarias ampliauerit, fempiterno erit documento. Nec vero tantum, Amplificator ifte doctae fuppellectilis, Coruino longe gloriofior, libris, in omni fcientiarum, linguarumque genere, praeftantiffimis, veterem numerum auxit, verum etiam alia omnia, quibus res litteraria illuftratur, adiuuaturque, ftudio et cura indefeffa, fumptuque vere Imperatorio, conquifiuit, ac, ne quid fplendori, venerationique mufarum deeffe videretur, nouo prorfus, et omnem regiam magnificentiam excedente, templorumque aemulante fanctitatem, aedificio, mufas, fibi cariffimas, quanto eruditorum applaufu, tanto gloriae fuae augmento, cohoneftauit. Palladium enim hoc ingreffus, quid prius mirere, quid potius venerere, difficile dictu eft, in tanta rerum cum varietate, tum praeftantia, quantam, qui oculis non vfurparunt, quantumuis multa in Lambecio, aliisque legerint, multa ex aliis audiuerint, animo vix concipere, multo minus verbis exprimere posfunt. Quo vertas cunque oculos, aut animum intendas, nihil non praeftabile, nihil non auguftum, CAESAREAque magnificentia dignum, obferuabis, neque vnquam, in tam amoeno deliciarum paradifo, vel corporis exfatiabis oculos, vel mentis. Multa quidem CAROLINAE magnificentiae fuperfunt monimenta, quodnam tamen in tanto numero, quod huic poffit aequiparari? Praedicat Vindobona, ac veneratur, et

ſacram Carolo Boromaeo baſilicam, anno MDCCXIII ex voto aedificari coeptam, anno vero demum MDCCXXXVII conſummatam, et ſtatuam, Diuo IOSEPHO Tutori, ex aere conflato, dicatam, et Cancellariam Imperii, recens exſtructam, et Gymnaſium, ludis Equeſtribus excitatum, et alia aedificia non pauca, quae, cum lateritia accepiſſet, marmorea poſt ſe CAROLVS reliquit. Laudat Dacia Albam Iuliam, atque, ab inſtauratore Auguſto, CAROLINAM hodie adpellat. Admiratur omnis Europa viam, ab Auguſta vrbe, vsque ad littora maris Adriatici ducentem, et Romanae magnificentiae, vsque in delicias, aemulam vocat. Cum omnibus tamen his aliisque innumeris operibus, certat palatium illud, muſis dedicatum, et, ſi non ſumptus magnitudine, vſus tamen praeſtantia, reliqua omnia ſuperat. Si CAROLVS nihil aliud orbi terrarum beneficii praeſtitiſſet, ſi nihil geſſiſſet aliud, aut ſtruxiſſet, vnum hoc muſarum ſacrarium, quod Athalici, Philadelphini, Coruiniani, celebritatem obſcurauit, conciliandae nomini CAROLINO immortalitati, in terris, ſuffeciſſet. Non enim ſatis commode Athalo noſtro muſae habitare viſae ſunt. Nec locus, in tot conclauia diſpertitus, gazas, huc confluentes, iam capiebat, nec aurae liberiori, quae libros defenderet a blattis, fuit peruius. Templum itaque, non ſolum opportunius, quod et ſolem orientem exciperet, et latere altero, extra vrbis pomoeria proſpiciente, puriore aura perflaretur, verum etiam magnificentius excitatum eſt, atque, ne inſcia ſit poſteritas conditoris tam munifici, collocata in ſummo faſtigio, Triumphatoris, tot populorum inuictiſſimi, ſtatua, inciſum:

CAROLVS· AVSTRIVS D. LEOPOLDI AVG. F. AVG. ROM. IMP. P. P. BELLO VBIQVE CONFECTO INSTAVRANDIS FOVENDISQVE LITTERIS AVITAM BIBLIOTHECAM INGENTI LIBRORVM COPIA AVCTAM AMPLISS. EXSTRVCTIS AEDIB. PVBLICO COMMODO PATERE IVSSIT cIↃ IↃ CC XXVI.

Sed

Sed externa haec ſunt. Ingrediamur ipſa muſarum adyta. Hic, ſiue loci Auguſti ſanctitatem contemplere, ſeu pulcherrimum rerum omnium ordinem: ſiue ſtatuarum elegantiam, omnis aeui, ſeu varietatem imaginum, quas priſca, quas recentior, aetas finxit, ad venuſtatem, et quibus vel ipſa artificis fama dignitatem, ac quantumuis pretium, conciliat, intueare: ſiue te delectent, priſci aeui, lapidum, ſeu inſcriptionum monumenta, quorum fide rei litterariae multum lucis affunditur: ſiue cipporum, vrnarum, lampadum, lacrymarum, quibus veteres ſua funera cohoneſtarunt, varia genera videre; ſeu, rei nummariae ſtudio accenſus, quid aeris vel Graecia, vel Latium, vel alia cuius demum cunque aetatis, aut linguae, gens habuerit, quid numis inciderit, memoriaeque proditum, conſeruari voluerit, ſcire geſtias: ſiue codices videndi vetuſtisſimos, manu exaratos, ſeu membranas, ſcripta, epiſtolasque celeberrimorum, recentioris aeui, virorum, cupiditate ardeas: ſiue denique innumerabilia librorum volumina, per pluteos, et ſcrinia, pro diuerſitate linguarum, artium, ſcientiarumque omnium, ſcite diſpoſita, ſpectes, abunde ſuppetet, quod, per alias Europae bibliothecas, fruſtra quaeſitum, deſiderio tuo ſatis faciat, quod te trahat in ſui admirationem, quod ingenii aciem non minus, quam corporis oculos praeſtringat, quod ſancto quodam horrore ac veneratione animum repleat. Habet omnino orbis litteratus, quare gratiam DOMVI AVSTRIAE habeat, tantique beneficii memor, pro cura hac ſtudioque indefeſſo, pro incremento, ſaluteque litterarum, hoc Numen muſarum Tutelare, debita pietate colat ac veneretur. Habet et Pannonia, cur oblita ſuae Budenſis, quam inſana Turcorum tyrannis diſſipauit, ſibi gratuletur, dum videt, tam multas illius reliquias, tam ſanctos nactas cuſtodes, aeſtimatoresque, in omnium auguſtiſſima, tam diligenter, tamque reuerenter, adſeruari. Hoc vero ſuum amaltheum, quibus in deliciis habuerint ſemper CAESARES, quid de tali adparatu ſenſerint, quam vtilitatem libris ineſſe crediderint, cum ſupra ſit demonſtratum, prolixiore illuſtrandi labore hic ſuperſedeo. Vnus ampliorem rei, per ſe luculentae, fidem porro

faciat LEOPOLDVS, qui, vt ſtudiis litterarum valde delectatus, doctusque ad litteratorum admirationem, bibliothecam hanc inſtaurauit, amplificauitque, ita, Oſymanduae illius, Regis olim Aegyptiorum, librariae ſupellectilis amore, apud Diodorum Siculum, celebrati, exemplo, bibliothecam ſuam, qua nihil habuit carius, Medicinam Mentis adpellauit. Per haec paternae veſtigia gloriae, pari incedens paſſu, Decus Principum ſeculi ſui illuſtriſſimum, CAROLVS, tantum bibliothecae ſuae, non viſendae tantum, ac frequentandae, ſed euoluendae, ſed legendae, tribuit operae, ac temporis, vt, inter arduas, et continentes imperii curas, occupationesque, inter tot bellorum adparatus, et negotia, et alias, ſummum hoc dignitatis faſtigium circumſtantes, publicae ſalutis procurationes, nusquam libentius, iucundiusque, quam inter hos, mortuos quidem, et mutos, at optimos, ſapientiae magiſtros, conſiliariosque, verſaretur, neque animum, curis tam grauibus, defeſſum, vlla remiſſione amoenius, quam librorum lectione, recreare videretur. Nihil dare volumus auribus, at grauiſſimi quique ſeculi noſtri viri, qui ſuis ipſimet oculis viderunt, narrant, ſcribunt, praedicant, mirantur, CAROLVM, toties ſanctam hanc muſarum aedem, alacri animo adiiſſe, incredibilique voluptate ſic perfuſum, quaſi omnes illic moleſtias, quas cura imperii faceſſebat, tam familiari Camenarum conſuetudine, abſterſiſſet, hilarem, ad regendas tot prouinciarum habenas, reuertiſſe; quidquid autem illic percipiebat, id in communem ciuium ſalutem conuertiſſe: at, quod mirum auditu, quod Principibus multis inſolens, qua anni parte? ſi quaeras, num verno, aut aeſtiuo tantum tempore, hoc factitabat? non tantum, verum etiam, dum aliorum muſae frigent, maxime ſaeuiente bruma: qua diei parte, quaeris? num a prandio? non tantum, verum horis etiam, quas amiciores muſis docti ſentiunt, matutinis: quamdiu vero, in ſacro hoc muſarum contubernio, verſatus? quod moleſtum identidem priuatis etiam hominibus videtur, trium quatuorue horarum ſpatium, otio huic litterario quandoque impendere nullus detrectauit. Audiamus hanc in rem differentem, ſeculi noſtri Tullium, ſupra iam laudatum, Bergerum,

qui,

qui, cum venerabundo cultu CAROLINAM Maiestatem prosequeretur, non dubitabat quidem, fore, vel ipsis edoctis, complures, quibus, multas dubitandi causas interferentibus, praesertim autem ex sua iudicantibus consuetudine, incredibile videatur id, quod dicturus erat. Quid autem dicturus? Id, quod supra adseruimus, quod ipse, cum, profectus in Italiam, Vindobonam, Semproniumque, adiret, obseruauit, a CAROLO, muneribus reipublicae perfuncto, plures saepe horas, vel ipsa hieme, in euoluendis amaltheae suae monimentis, iucundissime consumi, ipsoque mense Ianuario, alienissimo, quod multi eruditi refugiunt, anni tempore, nihil retardari CAESAREM, quo minus in ea tres horas, idque mane, commoretur. Sic litterae, vel ipsa aëris inclementia, cum frigebant, non refrigescebat CAROLI in litteras amor, nec eius beneficentia magis, quam praesentia, bibliotheca illustrabatur. Sic inter haec sacra, Mineruae litans, cum solus videretur, minime fuit solus: cum otiosus, minime otiosus: cum imperii, salutisque publicae incurius, minime incurius. Sic CAROLO nihil opus erat, vel nocturnis cum Egeria, quos Numa simulabat, congressibus; nihil Iouis, aliorumque commentitiorum numinum, quae, Minos, Solon, Lycurgus, alii, iactitabant, oraculis; nihil inanibus, quae olim, tam crebro, sciscitatum mittebantur, ad Apollinem Delphicum legationibus: certiora, Solon seculi nostri sapientissimus, oracula, ex his iuris diuini, humanique, atque omnis sapientiae, monimentis hauriebat. Sic, dum aliae bibliothecae, puluere, situ, squalore, obsitae, aranearumque telis horrentes, blattas, tineasque pascunt, et, in suis latibulis obsoletae, carie corrumpuntur: Vindobonensis, Augustis tractata manibus, vsum illum humano generi quotidie praebebat, quem sapientissimi quique ex libris vnquam perceperunt. O rari admodum exempli Principem! o felicem, CAROLINO seculo, rem litterariam! o fortunatam librariorum artem, quae, DOMVS AVSTRIAE auspiciis, a Germanis reperta, in omnem terrarum orbem diffusa, et ad summam elegantiam, perfectionemque perducta, secularem sui memoriam, hoc

ipſo anno, tertium ſolemniter, celebrauit! Sed o annum ſimul luctuoſum, qui non typographorum modo, verum omnium, qui litteras', et libros amant, totiusque orbis, feſta gaudia in luctum conuertit! annum, qui non Romam modo, Berolinum, Petropolin, verum etiam Vindobonam, caput orbis Chriſtiani, inſperato caſu, funeſtauit! annum, quo cum Metello, Conſule Romano, in Scipionem ſeculi noſtri inuictiſſimum, eodem aetatis anno, quo Africanus minor, illius nepos, quo alii Heroës, vita functum, pronunciare poſſis:

ConCVrrIte CIVes hVC, ConCVrrIte, MoenIa VIennae (aut, ſi mauis, AVſtrIae, TeVtonIae, HVngarIae, serVIae, VrbIs noſtrae) CorrVerVnt.

Supereſt, Auditores, vulneris, recens accepti, grauitate confuſiſſimi, vt tertium proferamus, quod in AVGVSTA DOMO AVSTRIA, ſubmiſſo gratae mentis, beneficiorumque memoris, cultu ac pietate, praedicare habet orbis litteratus. Scholas intelligo publicas, ſine quibus, vt res litteraria eſt nulla, nulla rerumpublicarum ſalus, ita, non dicam, ingrati animi, ſed nefandae foret impietatis, ſcelus, niſi, hoc quoque nomine, AVSTRIAE, perbenignae muſarum parenti, altricique, gratia, quae referri nequaquam poteſt, haberetur. Sunt enim publicae omnis pietatis, litterarum, artium, ſcientiarum, in omni vitae genere vtiliſſimarum, pulcherrimarumque, officinae, quas cura, munificentiaque Principum, pro ſalute publica vigilantium, ſapienter conſtituit, liberaliter fouet, paterne tuetur ac conſeruat, vt, prudentia diſciplinae publicae, exercitationeque aſſidua, ingenia formentur ad omne officium, humanitatemque, vtrique reipublicae, tum diuinae, tum humanae, profutura: ſiue illae iam Academiarum, ſiue Societatum, ſiue Gymnaſiorum, ſiue Ludorum equeſtrium, nomen, pro inſtituti varietate, a ſuis conditoribus obtineant. Quaenam vero eſt inter omnes Europae regiones, quae aut plures huius generis, aut celebriores, aut magis proficuas, officinas inſtituit, aut ſuſtentat, quam Germania? Cuius autem cura ſtudioque potiſſimum? paucas ſi excipias, quas vero, fundatas ab aliis, conſeruauit, Inclutae DOMVS AV-

STRIAE

STRIAE prouidentia. Haec enim, ex quo Imperii habenas, optimis quidem auſpiciis, moderari coepit, vt ipſa domi fecunda excellentium ingeniorum mater fuit, ita, pro innata Principibus ſui ſanguinis ſapientia, in eam ſemper curam euigilauit maxime, vt, reipublicae chriſtianae bono, per omnes Germaniae fines, ſuasque in primis prouincias, idoneas muſarum ſedes, alias ipſa munificentiſſime excitaret, alias, ante conſtitutas ab aliis, conſeruaret, alias, quibus iniuria temporum ruinam attulerat, inſtauraret, alias, liberalitate aliorum Principum conditas, datis priuilegiorum tabulis, muniret, atque exornaret. Praedicant ſalutare hoc conſilium, paternamque ſui curam, Teutonici orbis muſae, iam in, Imperatore nominis fauſtiſſimi, CAROLO MAGNO, qui, vt imperii decus ad Germanos, debellatis barbaris, princeps transtulit, ita, vt aliam quoque barbariam, orbi chriſtiano nihilo minus exitialem, ex occidente profligaret, in eo ſibi maximopere elaborandum exiſtimauit, conditisque non modo in Gallia, Lutetiae Pariſiorum, atque Bononiae, ac Ticini, in Italia, verum etiam in Germania, Osnaburgi, huius generis ſeminariis, et ſtipendiis laute conſtitutis, pulcherrimum poſteris exemplum ad imitationem reliquit. Tardiorem quidem res iſta habuit proceſſum, nec ante litterae meliores in Teutonis efflorescere potuerunt, quam Vindobona Pannonum, imperante FRIDERICO II, magno Europae totius, vicinaeque in primis Pannoniae, emolumento, in Athenas conuerteretur, quae mox et imperii chriſtiani caput futura, matris fecundiſſimae inſtar, non modo liberalis doctrinae cultum, omnibus ad ſe, velut ad mercaturam bonarum artium, vndique confluentibus, impertiuit, verum etiam Pragenſem, Heidelbergenſem, Erfurtenſem, Ingolſtadienſem, Herbipolitanam, Tubingenſem, aliasque omnes academias, aut peperit, aut gloriae ſuae aemulatione excitauit. Quo vero reipublicae commodo, id factum, SIGISMVNDVS Imperator, teſtatum fecit, cum palam pronunciaret, ſe dignitatem quidem equeſtrem, aliosque honores conferre poſſe; doctos vero non niſi a DEO creari. Idem ille Caeſar, in conuentu procerum, Baſileae,

Fiscellinum, temporis illius iurisconsultorum facile principem, audiente multorum Principum corona, affatus, dicebat, **se vno die mille equites posse creare, doctorem ne mille quidem annis vnum.** Id si verum est, vt est omnino verum, hoc scholae possunt, quod non possunt Caesares, quantumuis potentia maximi. Titulos honorum, dignitates, opes, priuilegia, largiri possunt, doctores in aliquo scientiarum genere facere, aut bonos viros formare, nisi per scholas, nequaquam possunt. Hae enim homines, hae viros bonos, hae ciues bonos effingunt. Comperta insigni hac Athenaeorum vtilitate, AVSTRIAE GENTIS CAESARES, nihil prius potiusque duxerunt, quam, vt plura bonarum artium domicilia, publice passim excitarentur, ex quibus, velut ex equo Troiano, viri, ab omni scientiarum genere instructissimi, magno in commune emolumento, prodierunt. Dum enim **Gryphisvaldianam** Vratislaus, Pomeraniae Dux, **Lipsiensem** Fridericus, Saxo, cognomento Bellicosus, **Basileensem** Pius II, Pontifex, **Tubingensem** Eberhardus, Dux Vürtembergicus, pulchro inter se gloriae certamine, instituunt: AVSTRIA, ne gloriae suae, aut commodis rei litterariae, deesset, **Friburgensem**, in Brisgoia fundat, et, quo sacra Mineruae rite feliciterque curarentur, subsidia laute constituit. Quae res sic bene feliciterque cessit, vt, cum Vindobonae Conradus Celtes, Ingolstadii, Iacobus Philomusus, Tubingae, Henricus Bebelius, Lipsiae, Henricus Buschius, Friburgi, Hieronymus Baldunus, litteras humaniores, iunctis viribus, excolerent, eliminata feliciter barbaria, musae omnes ex Graecia, Latioque, ad Teutones migrasse viderentur. Neque academicae solum, certis locis, sedes litterarum figebantur, tanta contentione, vt Principum alter alteri dubiam vellet facere palmam, sed **societates** quoque litterarias, propter Rhenum, Danubiumque, ad excolenda eloquentiae potissimum, ac poëseos studia, viri, mansuetiorum litterarum studiis dediti, locis dissitis, arctiore inter se iuncti vinculo, laudabili sane instituto, inire coeperunt; Imperatores autem, vt hos bonarum artium studiosos, ad maiorem alacritatem accenderent, musarumque, patrocinii indigentium, tutores fautoresque

sese

ſeſe praeberent, non modo immunitates Societatibus, recens ſtatutis, fide publica, donarunt, verum laureas quoque poëticas, auguſtis manibus, nectere, et, quae tali honore digna videbantur, capitibus imponere voluerunt, tanti habitas, quanti vix ſua olim praemia Olympionicae fecerunt. Vnam hic ex multis Societatibus proferam Celticam, dictam alio nomine Danubianam, quam Conradi Celtis, viri, de litteris bene meriti, conſilio, FRIDERICVS IV inſtituit, Filius autem, MAXIMILIANVS, peculiaribus ornauit priuilegiis, tantique fecit, vt Celtem, ex Saxonibus aduenam, non modo profeſſorem artis poëticae, apud Vindobonenſes, agere iuberet, ſed poëſin etiam, quintam, vt aiunt, Facultatem academiae huius eſſe vellet, data magiſtro, tam egregio, poëtas laureatos Caeſareos creandi, poteſtate; vnde laudabilis illa conſuetudo, ad noſtram vsque aetatem permanauit. Ingrediebantur hanc ſodalitatem, non modo, excellentes ingenio, natalibus illuſtres, Graece, Latineque docti, Germani, in his praeter alios Ioannes Trithemius, Abbas Spanhemius, Ioannes Camerarius de Dahlburg, Vormatienſium antiſtes, Melchior Mellerſtadius, Eitelvvolf de Stein, vel, vt pro ſeculi illius more, dici maluit, Hololycos de Lapide, cuius auunculum Georgium, Sileſiae praefectura dignum exiſtimauit, litteratorum, illo ſeculo, inſignis patronus, Rex, Matthias Coruinus: verum Pannonii etiam, quibus ingenia ad elegantiorem litterarum culturam, nunquam defuerunt, contubernio hoc Germanorum litterario digni videbantur. Vnde quid emolumenti in patriam noſtram redundarit, ſcriptores illius aetatis, ipſumque Hungariae, tum florentis, ſeculum, vere aureum, loquitur. Etſi enim patria noſtra, nullo non tempore, abundaret ingeniis, ad ſtudia natis, domique haberet tum Iſtropolitanam, Poſonii, breuis illam aeui, academiam, et fere cum conditore ſuo, Ioanne Vitézio, Antiſtite purpurato, Matthiae Regis magiſtro, emortuam, tum Quinqueeccleſienſem, a Rege Ludouico M. fundatam, tum alias florentiſſimas muſarum ſedes, vbi ciues, in omni ſtudiorum genere, feliciſſime proficiebant, multi etiam ciuium Italicas adirent ſcholas: fatendum tamen, atque etiam profitendum eſt, excultam litteris,

illius temporis, Hungariam, benignae ingeniorum nutrici, Vindobonae, plurimum in acceptis debuisse. Neque enim tantummodo exemplis, viciniaque Celticorum sodalium, ad tractandas studiosius litteras, ciues nostri mouebantur, verum etiam praemiis, quae AVSTRIA doctioribus distribuebat, inuitati, excitatique, almam hanc studiorum matrem agminatim adibant, certatimque venerabantur, redeuntes inde domum et politiores doctrina, et patriae fructuosiores. Quanta enim Hungariae lumina, illa quidem aetate, fuerunt, vel idem, quem supra laudauimus, Ioannes Vitézius, vel, ex sorore illius natus, Ianus Pannonius, (*) vel Nicolaus de Báthor, vel Georgius Szakmarius,

(*) Ianum hunc Pannonium, memini, me adpellare Vitezium, in Epistola ad Societ. Lat. anno CIↃ IↃCC XXXVII exarata. Vide sis Fasc. I Exercitationum Soc. Lat. p. 213. Quum autem in Ioanne Vitezio, Episcopo primum Varadinensi, post Archiepiscopo Strigoniensi, non patruum, sed auunculum habuerit, non equidem video, quo iure nomen hoc Viteziorum gentilitium Iano Pannonio, Episcopo Quinqueecclesiensi, tribuatur. Sic tamen eum praeter alios et Mart. Szentiuani e Soc. Ies. domesticus rerum Hungariae scriptor, vocat in Dissert. Paralipom. Catal. XIV. p. m. 71. num. 28. Fors eo iure, quo Andreas Dudithius ab Horehovitza, eiusdem loci Episcopus, cognomentum Sbardeballati apud Thuanum, et alios, gerit. Vid. Czvittingeri Specimen Hung. Litter. in Dudithio p. 128. Habuit enim et hic auunculum, episcopo Vaciensi illustrem, Augustinum Sbardellatum, Seculo XVI. cuius nomen, a Szentiuanio, paullo ante laudato, intermissum, Vir nostrae aetatis celebratissimus, MATTHIAS BEL, pro sua in illustrandis patriae rebus industria, ex monimentis erutum, in tabulis Episcoporum Vaciensium repoluit, Tom. III. Notit. Hung. in Descriptione Vaciae. Aut certe hoc nomen, quod maternae stirpis fuit, Iano inditum est propterea, quod Io. Vitezii, Metropolitae, consilio, cura, et liberalitate, tantum profecit in studiis litterarum, musarumque sedes adiit Italicas; quod ille beneficium, matris Barbarae funus elegis prosequutus, ad hunc modum praedicat:

Imbiberam tenera vix prima elementa Mineruae,
Nec mala venturi iam documenta dabam:
Cum tuus Ausonias tradit me frater ad oras,
Longinquo et musas quaerere in orbe iubet.
Illius impensa Venetas celebrauimus vrbes,
Dum sol vndecies per sua regna redit.

Hoc est, quod monendum duxi, ne, quasi parum mei ipsius memor, confusionem inter duo haec Hungariae litteratae lumina, vna adpellatione admisisse videar. Ceterum, quod ad laudes Iani pertinet, *Si Latine loquebatur,* inquit Bonfinius Dec. IV. Lib. III. *in vrbe Roma; si Graece, medii natum Athenis adfirmasses.*

rius, vel Stephanus Brodericus, vel alii, dignitatibus non magis, quas domi gesserunt, quam humaniorum litterarum cultu, insignes, musarum vero, non Italicarum, aut domesticarum tantum, sed etiam AVSTRIARVM, alumni. Longum foret reliqua omnia enumerare Athenaea, quae, sequiore post aetate, auspiciis DOMVS AVSTRIAE, per Germaniam, statuta, publicis hodie inseruiunt commodis. Ex tam multis, quarum neque exordia, neque fata, praesentis instituti ratio capit, vt duas tantum memorem, cuius, quaeso, auctoritate stat, alma studiorum nostrorum mater, Leucorea? MAXIMILIANI I, quam ille, pro suo amore, ac munificentia erga litteras, priuilegiis ornauit. In hac si nihil aliud foret, memoratu dignum, quam, quod Thurzones, Comites, Palatinali in Regno Hungariae dignitate, illustres, fasces in ea academicos, summa cum laude, aliquando gesserint; si nihil haec aliud beneficii orbi christiano praestitisset, nullosque alios viros peperisset, praeter, memoria nostra illustres, Bergeros, ac Werneros, quos, vt prudentia sua, consiliisque, AVLAE AVGVSTAE adessent, CAROLVS VI ex iuridici ordinis senatu, ad capessendam, in Imperiali Aulico Consilio, dignitatem, isthinc Vindobonam arcessiuit, satis iam celebritatis fuisset consecuta. Cuius porro consilio fundata est Viadrina? eiusdem MAXIMILIANI I. Is enim Ioachimo I, Septemuiro Brandeburgico, cum idem institutum, vt academiae conderentur, omnibus aliis Germaniae Principibus, serio commendaret, auctor fuit, atque, vt idem, quod Fridericus Saxo, cognomento Sapiens, paulo ante, in sua ditione ad Albim inierat, consilium susciperet, persuasit. Nullus dicendi esset finis, si natales singularum inquirere, si laudare ingrederemur vel Graecium, vel Argentoratum, vel Ienam, vel Marpurgum, vel Paderbornam, vel alias per Germaniam musarum sedes, ab AVGVSTA DOMO, aut statutas, aut ornatas auctasque priuilegiis, ex quibus, quae in communem salutem, remque litterariam, emanauerit vtilitas, et libri, et viri, qui hinc magno numero prodierunt, loquuntur. Mittamus tum Fridericianam, Halae, Magdeburgicae, tum Georginam, Göttingae,

quarum

quarum illa Friderico Brandeburgico, haec Georgio Hannoverano, Sacri Romani Imperii Nouemuiris, natales debet. Etsi enim vtraque, AVSTRIIS, et ista quidem LEOPOLDINIS, haec CAROLINIS, auspiciis sumserit originem, Imperatoriis ornata, munitaque diplomatis, alia tamen supersunt munificentiae monimenta, quibus AVSTRIA sapientia, proprio Maiorum instituto, orbem, artium, scientiarumque studiis operantem, nostra, patrumque memoria, mactauit, atque illustrauit. Praetereamus, breuitatis studio, et duo Hungariae Parnassos, Tirnauiensem, Cassouiensemque, bene de re litteraria, patriaque illustranda, merentes, ex quibus illum Petrus Pazmannus, Antistes Purpuratus fundauit, Iuridico studio Lippaius ampliauit, magnifico scholarum aedificio Ferdinandus Palfius exornauit; hunc, a Benedicto Kisdio positum, Aurea Bulla DIVVS LEOPOLDVS confirmauit. Praedicat AVSTRIAE beneficentiam et Vratislauiensis Silesiorum Helicon, seque, ab Augusto Conditore, gratae mentis pietate, beneficiique memoria, LEOPOLDINVM nominat. Nec tacent illustriores Equestris ordinis palaestrae, Vindobonae, Lignitii, alibi, cura patrocinioque DOMVS AVSTRIAE, publice institutae, quae exercendae, in ludis, equestri ordini conuenientibus, parandaeque ad publicos vsus, nobilitati Germaniae egregie inseruiunt. Nefas foret silentio praeterire, Caesaream Naturae Curiosorum Academiam, quae, a LEOPOLDO fundata, (*) a IOSEPHO sustentata, a CAROLO conseruata, vt ex omnibus orbis nationibus colligitur, ita toti humano generi locupletissima testis est, quid adiumenti DOMVS AVSTRIA, cum omnibus aliis scientiis, tum praecipue rerum naturalium studio, societate hac, recens instituta, procurarit. Nihil enim ab natura tam alte constitutum, quo non illa enitatur, nihil tam remotum ab oculis hominum, tam naturae visceribus abstrusum est, quod non curiosius rimetur, inuestigatumque detegere studeat. Qua quidem solertia id efficit, vt, exemplo Parisiensis, Petropolitanae, Londinensis, Berolinensis, aliarumque omnium, hodie florentium,

(*) an. MDCLXXXVII.

tium, ad aemulationem concitata, exteros quoque ad ſui admirationem, deſiderium, ſocietatemque, alliciat, receptisque non paucis in ſuum gremium Hungaris, quibusdam in his et Semproniis, vtpote Diodoris, Pittalis, Nileis, Apollophanibus, patriae quoque noſtrae commoda, et gloriam, feliciter promoueat, atque illuſtret: ipſaque viciſſim a noſtris haud mediocriter promoueatur, atque illuſtretur. Nam, vt ſcripta huiatum taceam, quibus quisque pro ſe, et perſonam, quam induit, et famam Collegii ſui, cum laude adhuc tueri contenderunt, atque vnius Diodori, quod nomen Io. Ad. Genſelio inditum fuit, mentionem hic obiter iniiciam, is non modo iuuentuti patriae, ſtudiis debitae, vt, quemadmodum lapis, ad ſepulcrum eius poſitus, docet, diuus etiam viuos iuuaret, excitaret, ſeruaret, lege teſtamentaria, adminicula liberaliter conſtituit, verum etiam, vt Io. Maur. Hoffmannus, ſcripta tali Maecenati, nomine ſociorum, panegyri, praedicat, munifica liberalitate, redundantibus ex legato ſex mille florenorum vſuris, Academiae proſpexit, dignus laudatori viſus, quem lumen collegii ſui clariſſimum, dulce decus, munificum patronum, et tutorem benigniſſimum, nec immerito, nominaret. Quem autem caritatis locum, apud Auguſtos conditores, patronosque ſuos, obtinuerit, id CAROLVS, paullo ante obitum, ad d. XII. Kal. Octobres, luculenter declarauit, cum Pittalum noſtrum, ad ſe, reliquorum nomine, venientem, nouumque communis induſtriae ſpecimen, ad pedes Auguſtos, deponentem, et admitteret facile, et alloqueretur benigne, et humiliter ab ſe dimitteret, paullo poſt, celebratis ritu feſto Kalendis, natali ſuo ſacris, cum Hungariam adiret, morbo correptus, domumque cum rediret, magno omnium dolore, exſtinctus. Quantum denique gloriae non acceſſit AVSTRIAE, ex duabus celeberrimis, tum mathematicarum diſciplinarum, praeſertim architectonices militaris, (*) tum pictoriae, ſtatuariaeque (**) artis, academiis, quae, ſingulari Auguſtae, in omnes muſarum filios, munificentiae exemplo, Vin-

(*) condita an. MDCCXIIX.
(**) inſtaurata MDCCXXVI.

Vindobonae inſtitutae, ad inuidiam vsque exterorum, magno reipublicae commodo, effloruerunt, magnamque iam celebritatem ſunt conſecutae. Quanta non cum vtilitate, architectonice traditur! quam non ſcite eleganterque pingitur! quam non affabre, atque antiquo prorſus artificio, ſtatuae formantur! quam non feliciter omnia artis militaris rudimenta, hodie inculcantur, diſcuntur, percipiuntur! o prouidentiam AVSTRIAE ſingularem! o munificam, admirabilemque communis ſalutis curam! o ſapientiam, omni laude, praedicatione, litteris, monimentisque decorandam! Collaudat, nec immerito, ANNAM ſuam, lugens nunc, Rusſia, et Patronae muſarum ſuarum, vt nuper admodum accepimus, inter alios lesſus, hanc quoque neniam canit.

ANNA cadit, cuius per Ruſſica regna poteſtas,
    Atque ſalus ſceptro publica fulta fuit.
Leſſus ingeminant Victoria, Gloria, Virtus,
    Mars, Themis, Euſebie, Pallas, et alma Fides.
ANNAE praeſidio, florebant ſuauiter artes,
    Quas toga produxit, quas aluitque ſagum.
Applaudit meritis terrarum fama per orbem,
    Atque nouum per eam Ruſſia nacta caput.

Nihil ANNAE laudibus detrahimus, quin potius Imperio Ruſſorum, et gratulamur nouam, efflorescentibus ſtudiis, felicitatem, et lugenti pacatum IOHANNIS III imperium comprecamur: nihil tamen ipſi viciſſim, quod perſuaſum habemus, deſiderabunt in illis, quae nuper ſcripſit, litteratiſſimus AVLAE Vindobonenſis Poëta, Nevvenſteinius, qui, inter alias CAROLI laudes, Auguſtum funus, proſa hac oratione, proſecutus, Princeps, inquit, litteratiſſimus, liberales omnes diſciplinas, immortalitatis ſuae iuſtrumenta, vetere maiorum exemplo, donis, praemiis, congiariis, ad dignitatem antiquam reuocauit, reſtituit, conſeruauit. Sed dies nos prius, et oratio, quam rerum copia, deficeret, ſi vel leui brachio ea omnia attingere vellemus beneficia, quibus

bus DOMVS AVSTRIA rem litterariam ornauit, atque illuſtrauit.

Quis iam eſt, Auditores, ſalutis, ac honoris, AVSTRIAE ſtudioſiſſimi, qui non orbitate DOMVS huius, tam benignae litterarum parentis, altricisque, commoueatur? qui non funus, lacrymis maius, comploret? qui non CAROLINIS manibus religionem cultus, iuſtaque pietatis, debeat? Amiſimus enim Herculem, reuera Muſagetem, qui, vt ipſe liberalium diſciplinarum cultu fuit ornatiſſimus, ita et ſtudia litterarum, optima illa imperii ſui, tam late patentis, ex vſu humani generis, regundi, inſtrumenta, permagni ſemper fecit, et amaltheam ſuam Vindobonenſem, exquiſitiore librorum adparatu, palatioque ad magnificentiam ſtructo, exornauit, et officinas bonarum artium, ſcientiarumque, publicas, aut munificentia ſua excitauit, aut, a Maioribus conditas, patrocinio ſuo fouit, promouit, conſeruauit. Amiſimus vero etiam CAESAREM, qui gloriam DOMVS perantiquae, non vnius vrbis moenibus clauſam, ſed in totius orbis theatro conſpicuam, ſic tutatus eſt, vt, ſicut illa, nouis ſemper acceſſionibus, a tot retro ſeculis, Maiorum induſtria, fiebat illuſtrior, ita in CAROLO, vltimo ſtirpis virilis Heroë, ſummum ſplendorem, cui nihil amplius lucis poſſit adfundi, ſit conſecuta. Amiſit Hungaria REGEM, cui ille ſe, non tam Principem, quam Patrem, geſſit, cui, tribus Regni Comitiis, ſalutares leges tulit, cui, in maximo periculo verſanti, pace, paullo ante obitum, cum barbaris facta, qua non praeſentia tantum bella, verum etiam futura, vnius Tauruni iactura, deleuit, in tanta nunc rerum confuſione, in tanta Europae totius caeca futurorum exſpectatione pendentis, trepidatione, ſecuritatem procurauit. Quidquid priſca aetas de Auguſti magnificentia, aut Traiani bonitate, aut pietate Antonini, aut Conſtantini M. clementia, aut Iuſtiniani iuſtitia, aut Caroli M. munificentia, aliisque boni praedicat; quidquid Hungaria in domeſticis, aut aliunde accerſitis Regibus, virtutum veneratur; quidquid gloriae in Maioribus DOMVS HABSBVRGICAE vnquam exſplenduit; quidquid heroicarum virtutum, ſummi Principis perſonam ornantium, lau-

dari,

dari, excogitariue, poteſt: id omne in CAROLO, omnium famam Principum ſupergreſſo, natura ipſa cumulatiſſimum eſſe voluit. Amiſimus in CAROLO VI CAROLVM M. vtrumque meliori iure, quam Aegyptiorum olim fuerunt Ptolemaei, nuncupandum Euergetam. Vt enim DOMVS HABSBVRGIA, virtutibus Heroicis, vna cum ſanguine CAROLINO, ad ſe transmiſſis, ſemper enituit: ita vltimus hic, Stirpis antiquiſſimae Heros, CAROLINA prorſus liberalitate, non muſarum tantum cultores, verum etiam alios, egeſtate adflictos, paterna cura complexus eſt. Nam, vt alia quam plurima, et donatiua in militem, et congiaria in populum, taceamus, loquuntur de CAROLI beneficentia tot domicilia, alendis, educandisque pauperioribus, liberaliter excitata: praedicantur, domi, foriſque, cum alia ſapienter inſtituta, tum in primis Peſthanum illud in Hungaria, quo militibus, ſiue ſenio confectis, ſiue ex vulnere, alioque caſu, ad merendum inualidis, rude dignis, optime conſultum eſt: ingrati forent, impiique, exſules Hiſpaniarum, quos, fortunam CAROLI, ad capeſſendum imperium Barcinone diſcedentis, ſecutos, tam lautis ſtipendiis ſuſtentauit, vt, qui laeti in exſilium, aut pauperes, ibant, nunc in patriam, diuites, ac triſtes, Patre amiſſo, reuertantur. Nec mendici, quod querantur, habent, quorum egeſtati ſapienter non minus, quam benigne, proſpexit. Conquerantur hi de ea, quae in Plauti Trinumo legitur, ſententia: De mendico male meretur, qui ei dat, quod edat, aut bibat; nam et illud, quod dat, perdit, et producit illi vitam ad miſeriam. Duram hanc Comici, et, iudicio Lactantii, deteſtandam, vocem CAROLVS, vt nunquam probauit, ita, habita aequitatis, pro ſua erga egenos, miſericordia, ratione, antiquam illam, de alendis mendicis, quae iam in CAROLI M. ſanctionibus legitur, legem renouauit: Mendici per regionem vagari non permittantur: ſuos quaeque ciuitas pauperes alito: illis, niſi manibus operentur, nullus quidquam dato. Vixit in CAROLO, vt alios Maiores praetereamus, RVDOLPHVS I, potentia non modo quondam maximus, ſed etiam recti verique ſtudio,

dio, ita inclytus, vt, annalium fide, perpetuus iusti amor, summum ei in orbe terrarum imperium conciliarit. Nec vero quisquam recti tenacior, quam CAROLVS. Facilius sol a suo cursu, quam, hic nostri seculi Fabricius, a tramite iustitiae potuisset dimoueri, qui, si non verbis, factis tamen, loca, suppliciis sontium destinata, sic cum MAXIMILIANO I compellauit: Salue, sancta iustitia! probauitque illud FERDINANDI I: Fiat iustitia, pereat mundus. Habuit orbis in CAROLO et ALBERTVM I, qui, vt tria maxime coluit, religionem in sacerdote, virtutem in milite, castitatem in sexu sequiore, ita nihil magis odio habuit, quam, quae tria vno ictu mortifera vulnera infert, calumniam. Vterque enim aureum illud Pythagorae monitum probauit: Quod optimum, idem iucundissimum. Suspexerunt omnes in CAROLO eam in aduersis animi constantiam, quae fuisse traditur in FRIDERICO III. Vt enim huic adpingitur vna columnarum Herculis in basi, cui pedes humani, alter quidem integer, alter autem infractus, firmiter tamen insistant, cum inscriptione: Adhuc stat, ad denotandam, sine dubio, cum fortunae fragilitatem, quam in armis, contra imperii aemulum, Ludouicum, expertus est, tum animi, sibi constantis, firmitatem: ita CAROLO mens fuit, semper sui similis, atque ita aequabilis, vt neque secundis rebus efferretur, neque deiiceretur aduersis, staretque, rupis instar, in medio aquarum collocatae, quae nihil aut ventorum vim, aut rabiem fluctuum, pertimescit. Non defuerunt quidem pericula, non incommoda, quibus, quid fortuna valeat, quid in virtutem possit, vires suas omni conatu periclitari voluit; in CAROLINAM tamen animi magnitudinem adeo nihil potuit, vt haec, grauiter tentata, omnes difficultates feliciter superarit, atque inconcussa, inuictaque, et in vita, et in ipsa morte, perstiterit. Nam, vt alia mala, quae intrepido excelsoque animo excepit, taceamus, quae animi, vbique sibi praesentis, celsitudo fuit, cum Iason hic AVSTRIVS, aureum in Hispanis vellus, non eripiendum alii, sed iure sibi vindicandum, expeditionem, anno seculi tertio, susciperet? cum iter, tam longum, vndique ab

E hosti-

hostibus interclusum, aduersissima anni parte, terra faceret? cum, mense Ianuario, ex Britannia in Lusitaniam nauigaret? cum, Gades praeteruectus, viam, inter Herculis columnas, angustam sibi aperiret, ac dilataret? cum, Neptuno quoque irato, cum ventorum, fluctuumque rabie, decertaret? cum exorta tempestate, labores, molestias, pericula sociorum, impauidus spectaret? cum, monitus ab argonautis, vt sibi in tanta aëris, marisque inclementia, parceret, seque in casulam reciperet, de puppi tamen, CAESAREM breui futurum, et CAESARIS quoque fortunam, nauigationis iam comitem, vehente, spectator operarum nauticarum, non decederet? cum contra aduersarios, tot proeliis, tam acriter, dimicaret? cum ab hoste vndique circumfusus, Barcinone, grauissimam obsidionem sustineret? cum obsessus, et, terra marique, summa vi oppugnatus, victoriam hosti ex manibus eriperet? cum in ipsa Castiliae viscera victor perrumperet, Mantuaque Carpetanorum vltro recederet? cum tristissimos nuncios, de funere PATRIS, FRATRIS que carissimi, acciperet? cum praeter spem atque exspectationem, a medio rerum, cum gloria gestarum, cursu, domum reuocaretur? Quo autem animo casus domesticos absens pertulit, eodem post praesens, et Matri carissimae iuit exsequias, et vulnus, ex praematuro vnici filii, paternarum virtutum, opumque heredis, vulnus, vt ipsa vrnae inscriptio loquitur, lacrymis maius, excepit, ex neptis, deliciarum suarum, funus, paullo ante mortem suam, extulit. Quid est, si hoc non est, firmo rectoque talo stare, in columnae basi? Hoc reuera fuit, CONSTANTIA ET FORTITVDINE, quo dicto familiariter vsus est, et imperii, et animi habenas moderari? Extulimus vero cum CAROLO et ALBERTVM II, amore ciuium, quam armis, tutiorem. Vt enim is, amicos optimam esse vitae possessionem, adserebat, et coram Socero, SIGISMVNDO caritatem ciuium, quae vitae integritate concilietur, firmissimum Principum praesidium, adfirmabat: ita CAROLVS tam fuit carus omnibus, vt, quod Eberhardus, Dux Vürtembergicus, de se gloriatus est, in gremio cuiuslibet ciuium, inermis, et in

soli-

ſolitudine, tuto quieſcere, ac dormire, potuiſſet. Fuit in CAROLO et FRIDERICVS IV moderatione animi, et clementia in hoſtes, ſpectatiſſimus. Iſte, cum, finitimos Sempronio, Günzienſes, Auſtriae finibus infeſtos, deuiciſſet, tantum abeſt, vt oppidum militibus diripiendum, hoſtesque pertinaces, ac ſuae DOMVI pridem graues, ad internecionem delendos, daret, vt victor victoriam, ſeque ipſum, vincere, qua victoria nihil eſt pulchrius, ſciret. Ad milites enim, praedae cupidos, conuerſus, Magnum, inquit, actum eſt opus, ſed reſtat maius, vt, victis hoſtibus, vincamus nos iam ipſos, et auaritiae ſimul, vlciſcendique cupiditati, frenos iniiciamus. Quam vero ſui ipſius potens, quam moderati animi in hoſtes, fuerit CAROLVS, bella Hiſpanica, Gallica, Turcica, non maiore felicitate, quam clementia, geſta, teſtantur. Deſiderat nunc in CAROLO orbis terrarum, et MAXIMILIANVM I, in primis ſapientem, qui, quod litteris mandauit, idem in omni vita, conſiliis, actionibusque, conuenienter expreſſit, ne fruſtra illud familiare in ore habuiſſe videretur: Tene menſuram, et reſpice finem. Floruit in CAROLO VI et CAROLI V, cum inuictum robur imperii ac potentia, tum in ſuos, milites, ciuesque, amor et pietas. Vtrumque Gaditanum Herculem ex vero dixeris, vtrumque et Antoninum Pium. Quinto cum aliquando, in expeditione contra Tunetanos, nonnulli deſperatum, periculique plenum, conſilium darent, ille, vt ciuium ſanguini parceretur, reſpondiſſe fertur, Vnum ſe malle ſeruari ciuem, quam barbaros mille profligari. Sexti vero Hephaeſtion, EVGENIVS, ea moderatione, in bellis gerendis, vſus eſt, vt maluerit ſaepenumero hoſti cedere, quam ſuos obiicere periculo; nulla, quam cruenta, victoria potiri; captos, aut ſaucios, quam caeſos, hoſtes numerare. Quoties iſte inter proeliandum, Iuliana eſt voce vſus: Miles, parce ſanguini! Luget in CAROLO ſuo AVGVSTA ELISABETA et FERDINANDI I caſtitatem. Fuerunt enim in hoc, cum aliae virtutes, tum praecipue coniugii, religioſe ſeruati, ſanctitas, qui, cum a nonnullis reprehenderetur,

quod ANNAM coniugem ad Imperii comitia fecum duceret, grauiter refpondit, Officium honefti Principis effe, in coniugio cafte viuere, a multis plura profundi in libidines vetitas, quam in vitae honeftae coniugalis fumptus. Deploramus omnes in CAROLO et MAXIMILIANI II innocentiam, ac vitae integritatem. Hanc ifte, et nominis exiftimationi, qua nihil pretiofius, anteponendam exiftimauit, cumque obferuaret, a multis curari famam, confcientiam rectae mentis a paucis, manu fua, in menfa, qua Crato, viuentis medicus, mortui laudator, tandem potitus eft, inter alia haec fcripfit: Famae praefer falutem animae, reliqua vanitas, nam omnia praetereunt, praeter amare DEVM. Ad hanc cynofuram cum totum fe CAROLVS dirigeret, ciues fuos, ac domefticos, recte facere, faciendo docuit, cumque imperio fuerit maximus, exemplo, ad quod fe orbis componeret, maior fuit. Quae non vitae fanctimonia? quae non morum facilitas? quae non pietas in Parentes? quae non liberalitas in forores? quae non bonitas in ciues? quae non iuftitia in omnes, in Traiano noftro fuit? Nota funt Vobis omnia, Auditores, eorum, quae Princeps Optimus domi fecit, peritiffimi. Lugemus vero nunc in eodem et RVDOLPHVM II, quanto ex Hifpania in Auftriam, tanto ex hac vita in coeleftem patriam, cum gaudio reuertentem. Quod fi quis fcire cupiat, quae fata CAROLI adolefcentis fuerint, quamque aequo ac religiofo animo, aut quas inter cogitationes, defideriaque, mortem fubierit, is repetat fibi tantummodo in memoriam ea, quae, de RVDOLPHO moriente, annales tradiderunt. Is, morti iam vicinus, ad fuos conuerfus, Mei cariffimi, inquiebat, cum in iuuentute mea, a diuo Parente meo, ex Hifpania in patriam meam transitoriam per legatum reuocarer, tanto gaudio perfundebar, vt fequentem noctem totam infomnem traducerem. Quanto magis mihi nunc laetandum, quia Pater meus coeleftis in aeternam patriam me breui auocaturus eft, vbi nullus eft temporis viciffitudo, aut mutatio, et vbi calamitas et aduerfitas nulla. Tanta vtriusque erat, et in mor-

morte, animi praeſentia, tanta abiturientium alacritas! Tanquam ex hoſpitio, non tanquam ex domo, ex hac vita Catones hi diſcedebant. Coluimus in CAROLO et MATTHIAM Caeſarem, pacis ac concordiae ſtudioſiſſimum. Licet enim tempora huius fuerint turbulenta, ipſe tamen, natura mitis ac tractabilis, paci ſemper ſic inſeruiit, vt litem Auſtriae, cum Bethlenio Principe, aequiſſimis conditionibus componeret, tyrannum autem Thraciae, Pannoniis inhiantem, vt oſtenderet, ſe poſſe, et quiete vincere, et ſuperbos debellare, armis vltricibus, ad pacem petendam, compelleret, hanc vitae cynoſuram ſecutus, Concordia lumine maior. Quodſi vero CAROLINI Imperii exordia cum exitu contendamus, annon, cum imperare coepiſſet, apertum Iani templum reperit, contraque, cum diem obiret ſupremum, Pacificus temporis noſtri AVGVSTVS, annon clauſum reliquit? annon meliori iure moriens, quam olim Septimius Seuerus, gloriari potuit, ac dicere: Turbatam accepi rempublicam, pacatam relinquo? annon iisdem verbis, quibus S. P. Q. R. eidem Septimio parentauit, et nos in praeſens, tali orbatos Principe, lamentari conuenit? CAROLVM aut naſci non debuiſſe, aut non mori. Iudicate vos ipſi, pro ea, qua excellitis, prudentia, Auditores, quid nunc ſpei, ſalutisque, nobis eſſet reliquum, niſi pacatam reliquiſſet Hungariam? Nec modo fortiſſimus hic, vt loquar cum Claudiano, Rheni Pacator et Iſtri, regnis, prouinciisque ſuis, optime ſic conſuluit, ſublatis diſſenſionum ſeminibus, ſed etiam inter alios Principes, conciliata inuicem, mutua animorum conuentione, feliciſſimum Pacificatorem egit. Quid vero dicemus de Pragmatica, vt dici conſueuit, Sanctione? quid de anni M DCC XXIII, in regno Hungariae, de heredibus conſtitutione? Annon has ipſas concordiae cuſtodes eſſe voluit? annon ita domeſticum diſcordiae, quod animo proſpiciebat, malum ſuſtulit? Optandum modo eſt, ne aliud eridos pomum, quod animos Principum, inter ſe alias coniunctiſſimos, diſſoluat, in medium proiiciatur, ne imperium illi, qui auctiorem habuerit gladium, vt Pyrrhus, reliquiſſe videatur, ne, diebus

Fidei, Spei, et Caritatis, mortem eius proxime, veteri instituto, antegressis, cum Principe, concordiae pacisque amantissimo, et fides, et spes, et caritas populorum, Principumque christianorum, intermoriatur. Fuit autem in CAROLO non modo pacis studium, verum etiam proaui FERDINANDI II, indefessa imperii cura et sedulitas, qui adeo non defugiebat molestias, vt, quod diurno labore confici multitudo prohibebat, nocturno insomnis illud perficeret. Accidit enim aliquando, vt coenatus moneretur, parceret iam sibi, et quieti se traderet, ille vero, ostendens complures supplicum libellos, Non, inquit, prius, quam lectis his omnibus, atque expensis. Amat enim, vt MATTHIAE numus, grue, vigilantiae indicio, insignis, memoriae causa cusus, loquitur, amat, inquam, victoria curas: neque datur victoria potiri, nisi, vt idem FERDINANDVS statuit, legitime certantibus. Eripuerunt nobis fata in CAROLO, et auum eius FERDINANDVM III, Pietate in miseros, et Iustitia, insignem, qui, cum obseruaret, adflictos aditu suo arceri, non sine indignatione, satellitium his perstrinxit verbis: Si non vacat miserorum causas audire, ne imperare quidem volo. O singularem pietatem et misericordiam! Didicit hoc vterque ex RVDOLPHO I, qui, cum idem in suis satellitibus animaduerteret, grauius commotus, dixisse fertur: Date, obsecro, hominibus, ad me accedendi, locum et facultatem; non enim ideo ad imperium euectus sum, vt hominibus in arca praecludar. Nec vana fuit iactantia, quando idem FERDINANDVS, testimonio conscientiae domestico persuasus, paullo ante mortem, ita fidenter de suis, quae iuris sunt, actionibus et factis, gloriatus est, se nescire, quid religiosissimus quisque conscientiae arbiter, in iis negotiis, quibus de aequitate ageretur, vel reprehendere in se posset, vel accuratius postulare. Hoc reuera fuit, Pietate et Iustitia imperare. Habes omnino, Sempronium, cur tibi gratuleris, quod tam pium iustumque Caesarem, cum ritu Pannoniarum, regiis honoribus inauguraretur, sinu tuo exceperis. Nec vero tuam in Principem tam bonum pieta-

pietatem vlla ignorabit posteritas. Prius portam posteriorem, quam, anno M DC XLII. deiecta veteri, ex solido posuisti, vna cum lapidibus, aetas consumet, aut inscriptionem, AVGVSTO huic, feliciter regnanti, sacram, vetustas exedet, quam vel Regiae in te benignitatis, vel tuae in Regem caritatis, fideique memoria intercidet. Quae vero CAROLI fuerit vel pietas, vel iustitia, cum in omnes alios populos, tum praesertim in Pannonios, hoc inter alia documenta, praecipue tria Regni Comitia, Posonii celebrata, sanctionesque publicae, MDCCXV, MDCCXXIII, et MDCCXXIX annorum, testantur. Inuidebant nobis eadem fata diutius in CAROLO et FERDINANDVM IV. Vt enim hic, quamuis terris, non tam datus, quam ostensus, spes magnas de se, Germaniae, Hungariae, Bohemiaeque sceptris rite susceptis, concitauerat, fueritque nemo, qui non virtutes in Principe, tot regnis destinato, excelsas admiratus, persuasum haberet, futurum, vt Pro DEO, et Populo strenue, feliciterque, propugnaret: ipsaque porta vrbis nostrae anterior, eo aditu, qui medius, ponteque versatili munitus est, Rege hoc solemniter inaugurato, anno M DC LVII reparata, verbis, lapidi incisis, quanta fuerit omnium exspectatio, testatur: ita CAROLVS, ex Fratre nepos, spem istam, praematura morte exstinctam, feliciter suppleuit, causam, tum DEI, tum hominum, dum vixit, egregie tutatus. Viuum et LEOPOLDINAE erga DEVM pietatis exemplar in Filio, CAROLO, totus terratum orbis veneratus est. Namque, vt reliqua et LEOPOLDI M. et CAROLI nihilo minoris, decora, quae omnem vim orationis excedunt, praeteream, et, grauissimum saltim illud, sanctissimumque nomen, virtutum omnium fundamentum, Pietatem, erga DEVM, obiter attingam, quis vtroque religiosior? quis sacrorum obseruantior? quis sanctitate mentis, quam cum sanguine ipso ex Maioribus hauserat, illustrior? Plena sunt quidem hac de re historiarum monumenta, nec est, qui dubitet, quam religioso vterque in DEVM fuerit animo: euolemus tamen mente in turris, omnium, quas Vienna habet, celsissimae, fastigium, et legamus, quid isthic

LEOPOLDINA pietas, cuius memoria omni aere perennior est, fecerit, quidue scripserit aliquando. Lunam hic ante stetisse, meministis, quam vero LEOPOLDVS, liberata Turcorum obsidione Vindobona, eodem, quo Budam recepit, anno, loco tam augusto, arduo labore, tollendam, CRVCIS que signum, ex aere conflatum, reponendum curauit, manifesto indicio, vnum sibi praesidio esse, qui crucis supplicium, nostro loco, pertulit, IESVM NAZARENVM. Confirmat hoc, incisa aeri, epigraphe, quae in hunc modum legitur: LVnae LoCo, AVgVsto Caesare LeopoLDo, sIgno CrVCIs VICtae, atqVe eX tVrrI sanCtI stephanI, 15 IVLII posItae, CrVX Ista ereCta et eXaLtata est. Demittamus nos loco tam sublimi, et humiliora, propioraque adituri, Sempronium reuertamur, atque, si fide inscriptionum, lapidumque, in re per se clara, indubiaque, opus est, intueamur, quid patres nostri, in primo portae anterioris, forum spectante, aditu, Ludouico Prisomanno, Consule, et Matthia Strausio, Quaestore, incidi curauerint. Haec enim leguntur:

AVgVstIssIMo LeopoLDo
patrI patrIae
pIo IVsto benIgno
eIVsqVe gnato Iosepho I
orbIs et VrbIs sopronIensIs soLatIo
posIta.

Hae sunt tres illae Charites, quae se in LEOPOLDO, inter perpetuos, mutuosque amplexus, deosculatae, imperium eius florentissimum, magno non solum vrbis nostrae, sed totius orbis commodo, reddiderunt. Quid autem in Rege amplius desideres, si pietatem, si iustitiam, si benignitatem colat? Conuertamus porro animum in colossum, e regione curiae, opere satis magnifico, ex voto positum, et SACROSANCTAE TRIADI consecratum, oculosque in statuas defigamus. Quem equidem locum nunquam praetereo, nunquam verba illa,

VnI trInoqVe Deo patrI fILIoqVe et spIrItVI sanCto
eX Voto posVIMVs sopronII,

in-

intueor, quin ſimul de pietate in DEVM, et LEOPOLDINA, et CAROLINA, cogitem. Videtis illic DIVOS CAROLI PARENTES, LEOPOLDVM atque ELEONORAM, in ſtylobate, velut ad pedes DIVINAE MAIESTATIS, proſtratos, genibus ad puluinar inflexis, oculisque in coelum ſublatis, non ſua merita iactare, ſed, oblitos quaſi ſummae dignitatis, quam tenebant in terris, DEO ſupplicare, ſuam humilitatem, atque indigentiam, confiteri, ad DEI miſericordiam confugere, fauoremque, gratiam, opem, ſalutem, de coelo ſuppliciter implorare. Lapides hi ſunt, ſed tamen elingues mentem, coelo deuotam, praedicant. Conferte enim cum hac ſtatua omnes veterum, quas Roma, Graecia, Aegyptusue olim habuit, columnas, pyramides, obeliscos, tituloſque omnium expendentes, iudicate, quam toto ab hac coelo differant. In veteribus magnificentiae multum, iactantiae ſatis, veritatis parum, religionis nihil. Illae enim opes priſcorum Principum crepant; haec LEOPOLDINAE index eſt paupertatis: illae honores diuinos mortalibus tribuunt; haec immortali DEO: illarum conditores ſupra omnes deos ſeſe efferunt; in hac, tot gentium triumphator potentiſſimus, DEO ſeſe reuerenter ſubmittit: illae omnes proſperos ſucceſſus, humanis viribus, quibus nihil infirmius, adſcribunt; haec omnem ſecundiſſimarum rerum, et praeteritarum memoriam, et praeſentium gloriam, et futurarum ſpem, vni attribuit DEI clementiae. Ita, dum LEOPOLDVS, hinc pietate et precibus Numen diuinum ſancte religioſeque colit, hinc omnia belli, paciſque negotia, **Conſilio et Induſtria**, moderatur: non poteſt non imperium bene feliciterque geri, Hungaria, cum ſuis prouinciis, ad legitimum dominum poſtliminio redire, DOMVSque AVSTRIAE potentia in dies maiora capere incrementa. Haec vero eſt illa pietas, quam, ſuae parem, LEOPOLDVS in CAROLO, adhuc puero, atque adoleſcente, vt ſupra ex epiſtola audiuimus, toties praedicauit, quae, praeter ceteras virtutes, in CAROLO conſtanter maxime exſplenduit. IESVM et ille, in cruce ſuffixum, vt ex RVDOLPHO, ceteriſque Ma-

E 5 ioribus,

ioribus, didicerat, pro ſceptro domi, militiae pro ſigno, habuit: cum IESV ſaepius, quam cum hominibus, quod de CAROLO V annales tradunt, locutus, piis precibus, aſſiduisque, DEO ſalutem, cum ſuam, tum ſuorum omnium, quotidie commendauit: IESVM, in rebus dubiis, cum humani conſilii nihil, nihil opis, reliquum videretur, religioſe in auxilium inuocauit, Abrahamique illam, plenam fiduciae, vocem, Dominus prouidebit, cum MAXIMILIANO II, pro vitae regula, vſurpauit: IESV dulciſſimo Nomini, diem feſtum, ad d. XIIX. Kalendas Februarias, ritu ſolemniore, quotannis celebrandum, inſtituit: IESV honori toties publicas ſupplicationes, a quibus nulla aëris inclementia retrahi potuit, decreuit, ac perſoluit: IESV auſpiciis omnia bella, et prudenter ſuſcepit, et fortiter geſſit, et feliciter confecit. Etſi neque duces deeſſent exercitui, neque exercitus ducibus, neque res aliae, bello vtiles: in ſuo tamen EVGENIO, in conſiliis, opibusque humanis, nunquam ponebat fiduciae tantum, quantum in IESV. Meminiſtis, qua religione hunc Hephaeſtionem ſuum, in caſtra contra barbaros, aliquando dimiſerit, cum effigiem IESV, e cruce pendentis, diſcedenti traderet, atque, vt, diuinis auſpiciis, res bene feliciterque caderent, DEO, ſcelerum vindici, cauſae ſuae bonitatem, exercitusque ſalutem, commendaret. Quo ipſo declarare voluit, qua mente Diuinum Numen reuereatur, cuius in virtute plurimum confidat, et quam ſibi contra hoſtes victoriam polliceatur, ſecutus ita veſtigia, non Conſtantini M. tantum, in Chriſto vincentis, verum etiam RVDOLPHI, contra Ottocarum, Regem Bohemorum, dimicantis. Hic enim ſacram crucis imaginem, vt accepimus, tanti fecit, vt, ſignis intextam militaribus, praeferendam in bellis curaret, imo, cum Aquisgrani inauguraretur, religioneque iurisiurandi deuinciendi eſſent proceres, neque adeſſent imperii inſignia, quibus daretur fides, ex aris ſacrum crucis, CHRISTVM ſuffixum gerentis, ſimulacrum deſumpſit, et, conuerſus ad Principes, rei nouitatem admirantes, Hoc, inquit, ſignum, quo ſalutis recuperatae monemur, eſt regni mei ſceptrum: hoc ego, in omnes meos,

meos, imperiique hoſtes, vtar, huius me (non materiem crucis, ſed vim meritumque CHRISTI innuens) auſpiciis tuebor. Digna tanti Principis perſona res, digna omnium imitatione! Qua vero religione in IESVM fuit primus CAESARVM, gentis HABSBVRGICAE, Heros, RVDOLPHVS, eadem et vltimus, CAROLVS SEXTVS. In quo nomine, ſi ordo litterarum permutetur, vt haec latet ſententia: CRVX SALVS ESTO: ita CAROLO SEXTO, IESVS, ſpes, fiducia, ac ſolatium, IESVS, amor, decus, ac delicium, IESVS perfugium, auxilium, praeſidium, verbo, IESVS vnus CAROLO ſalus, tum domi, tum militiae; tum in vita, tum in morte; contra vim ac furorem, tum malorum hominum, tum inferorum, fuit. Neque enim haec, in IESV vno poſita, ſpes ac fiducia fefellit CAROLVM. Nam, vt vnum, ex tam multis, in bello tum Hiſpanico, tum Gallico, tum Turcico, affatim occurentibus, diuini auxilii exemplum proferamus, et pacis tantummodo Paſſarouicenae tempora in memoriam nobis reuocemus, non niſi, diuinis IESV auſpiciis, CAROLVS, eo bello, et rebus Venetorum periclitantibus, aduerſus perfidos ac ſceleratos pactionis Carolouicenae violatores, opem tulit, et Italiam totam metu barbarorum, quam ſpe iam deuorauerant, victricia domi arma circumferens, liberauit, et coelo ipſo, cauſſae optimae fauente, periuriumque Thracum vlciſcente, receptis Tauruni, ac Temeſuariae munimentis, hoſtem bellicoſiſſimum, cladiumque acceptarum ſenſu in rabiem verſum, ex Hungaria, Seruia, Slauonia, Valachiaque, profligauit. Tantum intereſt, iuſtane bella geramus, an minus; diuinisne confidamus viribus, an humanis; votisne ac ſupplicationibus ſimul, an armis tantum, pugnemus. Quam appoſite vates tum quidam, ad illam alludens ſententiam, ex nomine CAROLI SEXTI erutam, de hac ipſa victoria cecinit!

CAROLVS Eugenio CHRISTVM praefecit eunti
Ductorem belli, CRVX, ait, ESTO SALVS.

Di-

Dixit, et euentu CRVX eſt operata SALVTEM,
Barbara gens cecidit, pace triumphus adeſt.
Gloria Chriſtiadum! magnis crux apta triumphis,
Exornat CAROLI nomen, et omen habet.

Paucis vt complectamur omnia, amiſimus in CAROLO, et Amorem Deliciasque illas humani generis, IOSEPHVM, qui, Amore ac Timore, ſic temperauit imperium, vt non modo de auctoritate deperderet nihil, ſceleratis ciuibus non minus, quam hoſtibus, terribilis, ſed etiam, cum diligeret omnes, ac Patrem indulgentiſſimum ſe praeberet, ipſe viciſſim diligeretur ab omnibus. Quam enim carus fuerit orbi alter hic IOSEPHVS, indicant nunc tot vrbium fletus, tot prouinciarum gemitus, tot Principum, populorumque luctus. Vt enim bona non agnoſcimus, niſi amiſſa, et virtutem, quam praeſentem aliquando ne aeſtimamus quidem, ſublatam, noſtro incommodo, ex oculis, deſideramus: ita CAROLVS, exemplo Fraterno, omnibus amabilis, maximum nunc ſui poſt ſe deſiderium apud omnes reliquit. Vniuerſa nunc Europa templum eſt, vbi auguſtis PRINCIPIS OPTIMI manibus parentatur; omnes vrbes vertuntur in delubra, CAROLINISque honoribus conſecrantur: omnes Principes, milites, ciues, ſunt pro ſtatuis, merita praedicantibus, quorum in animis CAROLINI nominis memoria aeternum inſidebit. Verbo, amiſimus in CAROLO perfectum boni Principis, omnibusque numeris abſolutumque exemplar, cui, omnibus Maiorum laudibus eniteſcenti, imperiumque, Conſtantia et Fortitudine, regenti, nihil niſi immortalitas, defuiſſe videtur. Amiſimus Herculem, non Gaditanum modo, ſed etiam Muſagetem.

Hoc igitur Decus orbis terrarum, hoc humani generis Delicium, hoc Pannoniarum Deſiderium, hoc, veſtrum Perfugium, Praeſidium, Patrociniumque, hoc inquam, commune omnium bonum, ex hac vita ſublatum, lugete, vos in primis, multis nominibus DOMVI AVSTRIACAE deuinctiſſimae, clientes, vos, inquam, quae imperante CAROLO, optime

me floruiſtis, nihilque a barbaria timuiſtis, Muſae, talique nunc orbatae Patrono, de vobis tam praeclare merito, Auguſtum hoc funus, quibus decet, aut licet, coronis, ſertis, floribus condecorate. Induite perſonas praeficarum, componite vos ad luctum, ite feſta, lugubri tamen, celebritate exſequias, adeſte inornatae, veſtesque exiles et ſqualentes adſumite, canite hymnos paeanasque lamentabiliter, vosque in choros diſtribuite, ferte aromata, adolete ſuffimenta, et, quidquid odoris eſt, quidquid fragrantiae, honori Statoris, Conſeruatorisque veſtri, conſecrate, atque, cum dignis laudibus parentare nequeatis, religioſa publici luctus conteſtatione, vos a nefando ingrati animi ſcelere, tot mactatae beneficiis, vindicate, nec tam ſortem Maecenatis veſtri, quam veſtram, lacrymis acerbiſſimis complorate. Nihil enim CAROLO mali accidit, ſi quid durius accidit, vobis accidit. Cum CAROLO, quis dubitet, actum eſſe praeclare? Ilie poſito, quidquid habuit caducum ac mortale, aeternum duraturam, coelo receptus, gloriam adeptus eſt, atque, decurſo iam ſpatio, poſtquam deſiderio tot populorum parum, ſuae gloriae ſatis, vixiſſet, aliis inſeruiendo, conſumptus, ex hac turba et colluuione mortalium, ad coeleſte Maiórum ſuorum, omniumque diuorum, concilium coetumque profectus eſt. Vos igitur, tam bene rebus humanis exempto, vos templa, vos arae, vos ſtatuae, flamines, ſodales, eſtote, vosque ipſas memoriae, honorique tutelaris veſtri Numinis conſecrate. CAROLVS coelo ſic illatus, honoribusque diuinis auctus, nihil illa, priſci ritus, conſecratione eget, nihil veſtro ad campum Martium comitatu, nihil pyris magnifice conſtructis, nihil ordinis equeſtris ad certam legem, motu, ac decurſu, nihil hic eſt opus aquila, quae, ſubiectis ignibus, e ſupremo tabernaculi faſtigio emiſſa, animam defuncti deducat ad ſuperos. Conſecret ita coelo Tiberius Auguſtum, vt aliquod numen maieſtati inducat; dicet immortalitati, hoc ritu, Claudium Nero, quod, vt irrideret, fecit; referat in diuos Veſpaſianum Titus, vt dei filius habeatur; inferat ſideribus Titum Domitianus, vt frater dei videatur. Vos, vt ſanctiore imbutae eſtis religione, ita

CA-

CAROLO meritis immortalitati consecrato, coeloque, vnde humano generi datus erat, recepto, christiana deuotae grataequae mentis pietate, iusta persoluite. Insistite vestigiis praeficarum quatuor, quae funus Augustum totidem coronis, aliisque augustalibus ornamentis, incinctum, lugent: quarum vna aquilae bicorporis; altera turris; tertia crucis duplicatae; quarta leonis bifurcati speciem, nouemuirali pileo ornata, gerit, et vnaquaeque, ritu christiano, sic diis manibus iusta exsequiarum facit, vt, pro incolumitate DOMVS AVSTRIAE, pro salute Augustae MARIAE THERESIAE, legitimae regnorum, prouinciarumque omnium, heredi, pro incrementis GENTIS LOTHARINGICAE, pro summe necessario, inter Christianos orbis Principes, pacis et concordiae vinculo, vota certatim, suppliciterque DEO, OPTVMO, MAXVMO, nuncupet. Has, dum acrius intueor, Germaniam, Hispaniam, Hungariam, Bohemiamque, lugentes mihi videre, videor, suis vnamquamque ita stipatam prouinciis, vt harum quaelibet, ancillarum more, suam non modo comitetur dominam, verum etiam, ad luctum composita, casu tam funesto, lacrymis et lamentis muliebriter sese dedit. Adiungite vos illi herae pedissequas, quae, vt ipsa gloriatur:

Aquilae secura sub aliis,

hinc crucem, ex vna rupium, quam corona ornat, prodeuntem, bisque immissam, hinc fascias, in campo rubro, quatuor gerit, totidemque alia regna, antiquitus virtute comparata, numerat, quot Musas veteres finxerunt, et sortem vestram, quae est omnium acerbissima, deplorate.

Sume, Melpomene, tria leopardorum capita, coronis ornata, eademque aurea, in campo caeruleo, in triquetro constituta, age personam Dalmatiae, praedica in CAROLO amorem ac studium erga musas, atque dic:

Gaudent hoc Hercule Musae.

Ca-

Cape, Thalia, ſcutum, teſſellis argenteis, ac rubris, diſtinctum, gere vices Croatiae, lauda CAROLI Pietatem, in Chriſto, cruci ſuffixo, ſpem omnem ac fiduciam collocantis, et profer cum eodem:

Mihi ſpes crux vna ſalutis.

Prehende, Terpſichore, tres canes albos venaticos, in campo viridi decurrentes, age vices Slauoniae, admirare CAROLI ſapientiam, atque pronuncia:

Superauit laude Catones.

Tolle, Calliope, ferratum brachium, frameam vibra argenteam, luge cum Boſnia, venerare in CAROLO virtutem Heroicam, atque ingemiſce:

Heroum ſanguine cretus.

Adſume, Clio, caput apri ſilueſtris, inſerto ori ſpiculo, ex campo rubro, plora cum Seruia, commemora rerum, a CAROLO geſtarum gloriam, atque proloquere:

Volat omnem fama per orbem.

Accipe, Euterpe, tres coronas aureas, et monedulam, transverſo ſupra ramuſculo inſidentem, lamentare cum Halicia, collauda Iuſtitiae ſtudium, atque hanc adde epigraphen:

Fuit hic Fabricius alter.

Praefer, Polyhimnia, inter tres campos caeruleos faſciam geminam, rubris et albis teſſellis diſtinctam, moere cum Vlodomiria, effer, quibus potes, laudibus, magnifica munificentiae opera, atque, tot aucta beneficiis, fatere:

Tumido quoque largior Iſtro.

Indue, Erato, leonis rubri, in campo caeruleo, ſpeciem, ſu-

ſuperne ſtella, infra vero luna, illuſtrem, defle vices Cumaniae, et, cum AVGVSTA ELISABETA CHRISTINA, viduitatem ſuam deplorante, caſtitatem collaudans, adiice:

Gemit orbus coniuge turtur.

Erige denique, Vranie, ſcutum, quaternis faſciis auratis, oblique ſciſſum, lupumque album, in campo rubro, reliquis caeruleis, currentem, indole rebus Bulgariae, et triumphum CAROLO coeleſtem gratulare:

Poſt fata triumphat in aſtris.

Dicite vno omnes ore, quae luctus publici ſit cauſa, indicate, cuius oſſa haec vrna condat, inſcribite marmori hoc monumentum:

Vltimus Auſtriadum iacet hic Habsburgicus Heros,
Euſebies, Themidos, Martis, et Artis Honos.

Sic tamen indulgeamus dolori, Auditores, in rebus, cum ſecundis, tum aduerſis ferendis, moderatiſſimi, ne, quamuis ſit iuſtiſſimus, omnis prorſus ſpei, ſolatiique expertes, videamur. Viuit enim adhuc CAROLVS, viuit in MARIA THERESIA, AVGVSTA PATRIAE MATRE, paternarum, tum virtutum, tum fortunarum, ex aſſe herede, quae, ſupra ſexus ſui dignitatem, omni laudum genere cumulata, ſupra vulgus, omni liberalis doctrinae cultu perpolita, ſicut cum matronis, priſci, recentiorisque aeui, laudatiſſimis, ſapientia certat, ita regnis paternis praeſidium, et Muſis patrocinium omne pollicetur. Diuina, ſine vllo dubio, prouidentia, res humanas ſapienter procurante, factum eſt, vt, dum ANNA IVANOVNA, Imperii Ruſſici Domina, illuſtre illud ad aquilonem ſidus, occidit,

dit, eodem ipſo tempore, MARIA THERESIA ad auſtrum, non Auſtriae tantum, ſed omnibus, quas auito iure obtinet, terris, tanquam ſtella quaedam veneris, lucis praenuncia, quae ſolem orbi terrarum parturit, tenebras lunae corniculanti, induđurum, auſpiciis optimis, oriatur. Haec eſt, de qua verius, quam de Latini Regis filia, cum Marone canere poſſis:

Filius huic, fato diuûm, prolesque virilis
Nulla fuit, primaque oriens erepta iuuenta eſt;
Sola DOMVM, et tantas ſeruabat FILIA
ſedes.

Superabit haec, fauſto nata ſidere, felicitate imperii, omniumque laudum gloria, ANNAM RVSSICAM, vincet laudibus ANNAM Brittannicàm, ipſiusque ELISABETAE, Iacobo Rege generoſioris, famam obſcurabit, et, quod Maiores noſtri in MARIA Hungarica olim, ſpe ſua deiecti, fruſtra ſibi promittebant, id omne MARIA AVSTRIACA, regno Apoſtolico longe dignior, in nobis cumulate implebit. Abſtergite igitur, quoad eius fieri poteſt, lacrymas, Auditores, ſpe meliorum temporum excitati, et CAROLVM, in MARIA THERESIA, tanto patre digna, intuentes, ſuſpicientesque, animos, quantum poteſtis, recolligite. Ponite dolori modum, luctumque, exſpectatione rerum ſecundiorum, temperate. DOMINA haec priſci moris, auitae gloriae, paternae indolis, capaciſſima, HVNGARICAE gentis, artiumque liberalium, amantiſſima, IVSTITIA et CLEMENTIA, quam ſibi teſſeram, pro vitae norma, delegit, regnatura, ſpes noſtras ſuperabit, nosque omnes gaudiis, quae phoſphorus iſte adhuc quadantenus moratur, abunde cumulabit. Hac ſpe, ac potius fiducia, pleni, pro ſalute, nobis ſumme neceſſaria, fortunaque AVGVSTA, DOMVS AVSTRIAE, Deo immortali vota, ſancte religioſeque, nuncupate, reipublicae ſanctioris, ciuilis, ac litterariae felicitatem, ſummo imperiorum conditori, moderatori, conſer-

uatorique, commendate. Atque, vt idem Numen coeleſte AVSTRIAE Genti perbenigne faueat, vt imperium MARIAE THERESIAE, rebus ſecundiſſimis, fortunet, praeſidioque ſuo ſeruet, firmet, protegat, vt DOMVM LOTHARINGICAM, nouis fortunarum acceſſionibus, beet, augeat, cumulet, vt Principum orbis chriſtiani animos, arctiſſimo concordiae vinculo, iungat, regat, ſoſpitet, vt chriſtianae reipublicae, vt Hungariae, vt vrbi, ſcholaeque noſtrae, benigne faueat, optime conſulat, conſtanter benefaciat, vna mecum religioſiſſimis precibus ſupplicate.



II. ORA-

II.

ORATIO IN FVNERE

VIRI

DVM VIVERET

ILLVSTRIS ET MAGNIFICI

IOHANNIS SALOMONIS BRVNNQVELLI

POTENTISSIMI MAGNAE BRITANNIAE REGIS ATQVE ELECTORIS BRVNSVICENSIS ET LVNEBVRGENSIS A CONSILIIS AVLICIS, IVRIS CANONICI PROFESSORIS ET IVRIDICAE FACVLTATIS ORDINARII

ITEMQVE

ACADEMIAE PRO-RECTORIS AVCTORITATE REGENDAE

COMMISSARII

A. D. XV. IVN. CIƆ IƆCC XXXV.

AD D. IOHANNIS HABITA

A

IO. MATTHIA GESNERO

ELOQ. ET POES. P. P. O.

ILLVSTRIS
ET
MAGNIFICE COMMISSARIE
ILLVSTRISSIMI COMITES
PROFESSORES EXCELLENTISSIMI
VENERANDI SACRORVM ANTISTITES
AMPLISSIMI MAGISTRATVS
GENEROSI ATQVE NOBILISSIMI CIVES ACADEMIAE
AMOR NOSTER, SPES PATRIAE
TVQVE RELIQVA VEL CIVIVM HVIVS VRBIS VEL HOSPITVM, SVIS QVIQVE TITVLIS ORNATISSIMA CORONA

Sextus hodie et vicesimus dies est, cum ad superos a nobis abiit *Vir Magnificus atque Illustris* IO. SALOMO BRVNNQVELLVS, *S. R. Maiestatis a Consiliis Aulicis*, *Iuris Canonici in hac Academia Professor Iuridicae Facultatis Ordinarius, et Litterariae Vniuersitati Pro-Rectoris auctoritate regendae Commissarius Regius.* Si in mediocri anima iactura facta esset, si vulgaris esset dolor, ab hoc ipso interiecto tempore lenimentum atque medicinam haberet. Sed tantum in BRVNNQVELLO perdidimus, AVDITORES, quantum in recenti luctu obstupescens dolor et ipse se non capiens, peruidere non potuit. Ad hoc ipsum valuere hi dies, vt per singula eundo aestimare demum calamitatem nostram, et qualis quantaque ea est, talem tantamque ad animum demittere potuerimus. Et si quam etiam ad retundendos acutissimi doloris stimulos temporis illa intercapedo vim habuit: ac nunc quasi rupta cicatrice recrudescit luctus, quem hic ipse apparatus, ipsa perhonorifica Manibus Brunnquellianis praesentia vestra A. A. lenire debebat. Equidem dum inane hoc et destitutum vero corpore feretrum con-

contueor, videor mihi apertam ſubito hanc machinam, et iacentem in ea non iam BRVNNQVELLVM, ſed miſeras BRVNNQVELLI reliquias videre, eo fere habitu, et flebili ſpecie, qua vltimum eum vidimus, cum occupans paullatim mancipium ſuum mors hinc luridum pallorem vegeto corpori induceret, hinc ſplendore ablato rigidos redderet oculos illos, quibus paullo ante vel ad conciliandos ſibi animos, vel ad muneris ſui obeundas partes tam praeclare vtebatur; cum frenaret linguam, vt verba emorerentur intra ipſa labia viri diſertiſſimi, et ad publicam priuatorumque vel ſalutem tuendam vel mouendam voluptatem tam praeclare lingua et ſermone vtentis: cum manus obrigeſcerent fide, calami vſu, liberalitate, praeſtantes: cum adflictum iaceret corpus, quod ipſa ſtatura atque conformatione ſua dignitatem viro atque venerationem conciliaret. Talis, tam lacrumabili habitu obuerſans animo BRVNNQVELLVS ita me perturbat, vt difficile mihi ſit ſuſceptam perſonam perferre. Heu pater! heu lumen huius Academiae! heu decus vnicum! Siccine deſtituis ſpes noſtras? Sicne fiduciam de te conceptam eludis? Hocne fuit, quod de te ſperabamus omnes, qui tuam doctrinam, tuam prudentiam, humanitatem tuam noueramus? Ideone ſummo ſtudio, conditionibus amplisſimis, non ſine magnis difficultatibus huc euocatus es, vt paullo poſt morte a nobis diſcederes? ideo ne tanta nobis aduentus tuus commoda oſtendit, vt tanto ampliorem paullo poſt nanciſceremur lugendi materiem? Conferte A. A. hunc diem cum illo, quo primum ad Spartam ſuſcipiendam huc venit BRVNNQVELLVS. Tum erecti omnes literatae vniuerſitatis ciues non ſine impatientia aduenientem expectabant. Occurrunt equis vecti qui poterant, alii pedibus; reliqua turba aggerem et portam obſident, alacri laetitia et gratulabundi aduentantem excipiunt, deducunt, et ſub noctem muſicis concentibus ipſum honorant, quantique faciant virum, tum rebus caeteris, tum modeſtia praeſertim ſua atque verecundia ſignificant. Nunc quam mutata ſit ab illa rerum facies, non ſine intimo doloris ſenſu videmus. Deiectos vultus cernimus, ſolicitum obſeruamus ſilentium, in ipſo geſtu atque habitu moeſtitiam, lugu-

 bria

bria omnia. Domus, quam paullo ante celebrabat flos ipse iuuentutis nostrae, nunc solitudine et squalore miserandum inconstantiae rerum humanarum exemplum praebet. Atque vt melius appareat, quantam in BRVNNQVELLO iacturam fecerimus, quam iustas proinde lugendi causas habeamus, immoremur, agite, aliquantum tristi licet cogitationi. Percenseamus bona nostra, quae perdidimus; numerum, si potest, ineamus earum rerum, quas vel abstulit nobis vel intercepit ingens illa, quae BRVNNQVELLVM eripuit, calamitas. Idque eo magis faciendum arbitramur, quod eadem etiam consolationis quaedam iaci fundamenta videntur posse. Habet enim hoc luctus eorum, qui cari nobis fuere, vt initio quidem pungat et vehementer stimulet bonorum amissorum cogitatio; deinde vero non minus sit iucunda, quam aliarum recordatio voluptatum, cuius quidem opera reuocare quasi et repraesentare animo ea etiam possumus, quibus iam non aliter, quam sola animi aduersione frui licet. Neque vero inane illud consolationis ac doloris leniendi genus putandum est, cum ipsarum etiam, quae praesentes nobis sunt rerum nihil aliud ad animum nostrum praeter imagines illas, quas cogitatione effingimus, pertineat. *Agite* igitur A. A. obfirmato ad dolorem animo intueamur iam BRVNNQVELLVM nostrum, et ita distribuamus decora ipsius et bona, quae amauimus dum noster erat, quae lugemus amissa, quae contingere nobis optamus in aliis, vt illum *ICtum bonum, bonum ciuem, bonum* denique *litteratae ciuitatis rectorem* fuisse, doceamus

Ac primum quidem non opus est in hoc conuentu ostendere, tria esse, quibus opus sit, vt aliquis in vnoquoque doctrinae aut cuiuscunque adeo artis genere ad fastigium aliquod peruenuiat, natura siue ingenio, tum praeceptis atque institutione, exercitatione denique et vsu: sed ab his omnibus praeclare instructum fuisse BRVNNQVELLVM, facile apparebit, si vitae ipsius rationes paullo repetere altius placeat. In schola natus est, patre felici puerilium ingeniorum formatore, cui generi pro contemtu, quo solent onerari, iisque quibus vulgo obruuntur molestiis, eam saepe attributam felicitatem obseruamus, vti filios

filios habeant tanto honoratiores, quo minoris ipſi apud imperitos aeſtimantur. Vidit noſtra atque patrum aetas ex eo genere Wernheros, Bergeros, Thomaſios, Schurzfleiſchios, ne de pluribus, his praeſertim qui ſuperſunt, commemorem, magnos viros, qui in eam cogitationem inducere aliquem poſſint, non formari modo, ſed naſci etiam in ſcholis praeclara ingenia. BRVNNQVELLI certe noſtri pater, qui inſtituendae ad humanitatem pueritiae in Quedlinburgenſi Gymnaſio fidelem dedit operam, hac felicitate auctus eſt anno ſaeculi ſuperioris XCIII, vt filius ſibi naſceretur nulli eorum, quos commemorauimus, niſi arctis viuendi ſpatiis excluſus eſſet, ſecundus. Sed filio etiam peropportune accidit, quod eum patrem haberet, qui diſciplina iuuare ingenium, et aetatem teneram praeclaris augere inſtitutis poſſet. Succeſſit deinde patri, quo iuuenis orbatus eſt, vicaria quaſi aliorum opera, quam cupide amplexus noſter, in Ienenſem Academiam ea doctrinae humanioris fundamenta adtulit, quibus deinde ſuperſtrui atque inaedificari poſſent tum vniuerſalia ſapientiae praecepta, quam philoſophiam vocamus, tum legitimae praeſertim ſcientiae, et quae huius vel adiumenta vel ornamenta ex hiſtoriarum ſtudiis petuntur. Cumque nactus eſſet praeſtantisſimos doctores, quorum eruditioni, diligentiae, fidei, ſua ipſe diſcendi cupiditate atque obſequio reſponderet, ac poſt triennium ſic exactum ſimili deinde induſtria Lipſienſes muſas coleret; nihil ſupererat, quam vt ipſo etiam rerum actu, ad quae vel ab ingenio aptus, vel a doctrina paratus eſſet, confirmaret, et numeros ita omnes ICti paullatim impleret. Et cogitauerat ille quidem iſtum quaſi Colophonem legitimae doctrinae addere in patria ſua, et opera forenſi tum iuuare ciues ſuos, tum ſuam ipſe prudentiam augere. Verum enim vero reditum ipſi in Ienenſem Academiam, et ad maiora aditum machinata fuerat caeleſtis prouidentia, quae per eas nos vias ducere conſueuit, quarum flexus omnes atque anfractus praenoſcere ne oculatisſimis quidem datum eſt; exitus vero intuenti a ſumma ſapientia inſtitutas atque diſpoſitas eſſe, facile apparet. Ductore atque comite opus eſt generoſo iuueni in laudatam Academiam ituro; non inue-

inueniunt, quorum ea curatio erat, BRVNNQVELLO noſtro aptiorem. Hic vero videres, quod eſt in Graecorum prouerbio, equum in campum immiſſum, BRVNNQVELLVM adeo cupide, ſtrenue adeo remetientem, quaſi de nouo iurisprudentiae, quos iam decurrerat campos, et deinde cum ad docendos alios, tum ad cauſas in foro agendas ita incumbentem ſtrenue, vt ipſo inuitante vtriusque rei ſucceſſu, et honores petere Academicos, et ſedem ſibi ſtabilem circumſpicere in Ienenſi Athenaeo ſtatueret. Eſt illa maxima, A A. doctarum vniuerſitatum, quae aliquam diu iam floruerunt, commoditas, quod ſe quaſi ipſae alunt,et in ſuo ſibi ſinu educant viros vndecunque ad ſe delatos,qui ſubire paullatim ac deinde plane ſuffici in locum decedentium doctorum poſſint,cum vbi noua inſtituenda ſchola eſt,incredibiles fere difficultates ex inſtructorum ab ingenio,eruditione, et fama hominum inopia obiiciantur; quod quale ſit ſummi viri intelligunt,quibus id negotii datum eſt,vt huic ipſi Academiae noſtre doctores idoneos proſpiciant. Quo autem frequentior eſt Academia, et aemulantibus eadem ſtudia plenior, tanto difficilius eſt in multitudine hominum idem ſpectantium ad faſtigium illud emergere. Tanto igitur magis laudanda non fortuna BRVNNQVELLI, ſed virtus, qua perfecit, adſpirante quidem ſucceſſum Deo, vt ipſe per diuerſos gradus, ſuperato celeriter et perfecto, qui in illa ſchola ſolemnis eſt, honorum curſu, ad Anteceſſoris dignitatem perueniret, et in collegia iuri dicundo, rebusque et litibus iudicandis, cooptaretur. Sapienter autem ibi et hoc conſtitutum eſt, vt iisdem fere ſpatiis gradibusque ad docendi apicem perueniatur,quibus in actu rerum, cauſisque primum agendis,deinde iudicandis,proceditur.Ita noſter,poſt ipſum Docturae,quem ita vocare liceat, honorem, admiſſus eſt ad patrocinia in Curia Ser. Ducum Saxoniae ſuſcipienda; tum quaſi auctis exercitatione copiis extra ordinem iura docere iuſſus; poſtea peritiam, quae inde creuerat, ad Scabinorum, quos vocant, collegium conferre; deinde, poſt noua hinc etiam eruditionis incrementa ordinariam iuris profeſſionem ſuſcipere; ſummam denique iuris omnis prudentiam, his quaſi gradibus auctam, inter Curiae prouincialis Saxonicae Aſſeſſores, et in Con-

Conſilio Sereniſſimorum Principum Aulico explicare. Qui vel hunc ipſum, quem tenuit BRVNNQVELLVS, ſtudiorum pariter atque honoris curſum cogitauerit; ille quanta res ſit ICtus hoc tanto nomine dignus, quantus proinde vir fuerit BRVNNQVELLVS noſter, intelliget. Non ſane legum multarum memoria, et notitia formularum, non qualicunque in cauendo calliditate, aut vafritie in fallendo cenſendi ſunt ICti hodie, (quod quis de illis, quos Tullius non nunquam ridet, forte dixerit,) ſed ea interpretandi leges Romanas, Germanicas, antiquas et nouas peritia, quae ſine infinitis prope litteris et ſtudio incredibili comparari nequit; ea porro ſingularum legum ad ipſa facta applicandarum ſcientia, quam praeſtantiſſimis etiam ingeniis, et multa doctrina nixis, non niſi multo vſu rerum atque exercitatione contingere, ſatis conſtat. Talis igitur tantusque ICtus fuit BRVNNQVELLVS, qualem quantumque ſuſpicari, ſi quis aliunde iudicare non poſſit, fas eſt eum, cui ex omnibus Germaniae partibus certatim homines nobiliſſimi cauſas ſuas, quin liberos ſuos, ſua pignora commendauerint; eum, cui Rex Sapientiſſimus de conſilii ſui, virorum prudentiae laude florentiſſimorum, ſententia, primas dicendi iuris, alteras autem docendi partes in Academia ſua, quam nulla parte optimis quibusque inferiorem eſſe cupit, impoſuerit; quem rebus noſtris adhuc propter ipſam nouitatem imbecillis rectorem moderatoremque praefecerit; quem praeclare ſuſtinere, quidquid impoſitum eſſet oneris atque muneris, quicunque iudicare aliquid poſſunt, vno omnes ore profitentur.

Magna profecto laus, ſed tanto illuſtrior, quod adiunctam illam alteram habuit, cui non nimis bene cum priore illa conuenire, vulgaris opinio eſt; commendationem dico *boni viri* atque *ciuis*. Sunt haec ipſa inter ſe aliquantum diuerſa, cum bonum ciuem vocare non nunquam cogamur, quem virum bonum dicere dubitemus; et boni viri laus negari interdum ſine iniuria non poſſit, quem bonum ciuem nemo facile dixerit. Sed iſta ſubtilius hic quidem non diſputamus. Bonum ciuem BRVNNQVELLVM fuiſſe confirmamus, hoc eſt, cum virum, qui et ex animi ſui ſententia certoque propoſito vtilis eſſe vel-

let tum vniuerſim reipublicae, tum ſingulatim quibuscunque poſſet, et egregiam eius rei facultatem atque copiam haberet. Poterat ſane aliquis conferre in ipſum Catonianam oratoris definitionem, et ICtum, qualis ipſe fuit, dicere virum atque ciuem bonum, iuris diuini atque hůmani peritum: adeo ille consilia omnia atque actiones ad communem referre vtilitatem conſueuerat. Habebat illius conſuetudinis a firma animi inductione profectae fundamentum pietatem aduerſus immortalem Deum, qua a teneris inde vnguiculis imbutus fuerat, quamque deinde ab ipſa ratione, tum etiam a ſoceri ipſius contubernio confirmatam atque a ſuperſtitione puram, tota vita magis exprimebat, quam diſputando et ritibus quibusdam obeundis prae ſe ferebat. Quae non eo pertinent, A. A. quaſi parcus templorum cultor, et contemtor publicarum ceremoniarum fuerit; nemo enim hac etiam in parte honeſti atque decori obſeruantior. Sed illud volumus, pietatem illius non ita anguſtis limitibus circumſcriptam, totius potius vitae atque omnium actionum magiſtram, quam anxiam cerimoniarum cuſtodem fuiſſe. Quod de ſocero modo innuebamus, illud eiusmodi eſt. Quicunque nouerunt GVIL. HENR. BRVCKNERVM, illuſtri dignitate et meritis virum, norunt autem qui per hoſce triginta amplius annos Ienae fuerunt, iidem ſciunt, virum eſſe, vti doctum et ſapientem, ita in primis, nemine, quod audiuerim, contra diſputante, pium; et quod caput eſt, pium ſine oſtentatione, ſine reprehenſione aliorum, ſine aſperitate, ſine affectatione denique, et quaecunque alia vitia non tam comitari, quam infamare pietatem ſolent. Huius viri hac laude, quod diximus, conſpicui, filiam, caſte et pudice habitam, atque a ſaeculi corruptela puram, quod vxorem ſibi expetiit, impetrauit, habuit, quod cum hac vxore, cum hoc ſocero, ſuauiſſime coniunctiſſimeque vixit, nonne ipſum quoque religioſae pietatis in BRVNNQVELLO noſtro ſignum eſt? Hunc ſocerum igitur imitatus, quin ſanctis Chriſti Dei praeceptis obſecutus, primo ſe ſuumque animum formare ſtuduit, deinde familiam bene ad felicitatem tum quae hac vita continetur, tum quae poſt ſperatur, gubernare; hinc egreſſus ciuibus ſuis quacun-

quacunque posset re vel opera commodare. Vnde factum est, vt domum ipsius non modo percontandi causa, tanquam ad oraculum quoddam confluerent homines, sed etiam ad opem, quae a bonis ciuibus atque amicis speratur, petendam. Neque sane quisquam ab eo culpa ipsius tristis discessit, qui suam felicitatem interpretaretur, si posset prodesse quam plurimis. Senserunt propitiam hanc et promtam ad iuuandum voluntatem viduae complures mulieres, et destituti parentibus liberi, qui grati agnoscunt, per illum factum esse, vt minus sibi viderentur miseri: quorum precibus quoque, speramus, hoc dabit Deus, vt adflictissima BRVNNQVELLI familia in aliis inueniat non minus praesidii, quam in ipso alii saepe habuerunt. Sciebat nimirum BRVNNQVELLVS, etiam ita remp. cui natum se putabat, nauari, si singulis opem praestaret, his praesertim, qui indigere ea praeter caeteros, aut opportuni esse iniuriae viderentur. Caeterum ita se instituerat, vt ad publicam vtilitatem et patriae commoda intentus semper esset, tum ipso vitae genere atque instituto, quod totum ei impenderetur, tum quod commoda sua et voluptates illi condonaret. Dubito equidem, A. A. an ea, quae dicturus sum, satis probare, quin declarare etiam omnibus possim: sed quid sentiam tamen, in conuentu praesertim humanissimorum hominum, audebo eloqui. Quantumuis amarae sunt radices humanioris doctrinae, adeo quidem, vt pauci deuorare molestiam, qua ad fructus dulcedinem peruenitur, sustineant: ipsae tamen illae litterae, cum fideliter semel perceptae atque pleniore haustu gustatae sunt, nescio quae delinimenta habere mihi videntur, vt vix a se dimittant amatores suos, sed sibi solis per otium et quietem a forensi strepitu remotam, adhaerescere eos subigant, et Lotophagorum vel Sirenum adeo fabulam in illis agant. Quod quidem paucis quibusdam contingere, qui vel ad has ipsas litteras docendas animum deinde appellant, vel otium suum illis oblectent, et optabile est, et ferendum facile. Interim laboraret respublica, si praestantissima ingenia, quae sola fere iis rebus capiuntur, inter Sirenum istarum complexus consenescerent. Quare viri fortes et boni ciues esse, et rei publicae amo-

amorem ſuae voluptati praeferre, cenſendi ſunt, qui agunt, quod BRVNNQVELLVS noſter egit. Haud ille profecto tralaticiam nec infelicem in antiquitate Romana, et optimis ſcriptoribus cognoſcendis operam poſuerat. Loquuntur hoc tum aliae viri commentationes, tum illa, quae prima in hac ſchola, rerum vero humanarum pene vltima illi fuit, in qua conſilium aperuit de legibus in iuris pandecten a Triboniano relatis eo ordine atque tenore, quem Labitti ille aureus index commonſtrat, edendis prout extant hodie integris, et diuerſo adnotationum genere illuſtrandis; conſilium pulcherrimum profecto, quod explicari vehementer manſuetiorum litterarum et ſolidae iuriſprudentiae intereſt; ſed idem tale, quod nec in mentem venire, nec probari potuit, niſi humaniſſimo viro, et Alciati atque Cuiacianae doctrinae aemulo. Quam vero difficile ſit illis deliciis imbuto homini inde ad aſperam ſe et contentioſam reſpondendi iudicandique rationem conferre; non obſcurum eſſe poteſt, qui deguſtare vtramque rem, vel ſeria certe cogitatione percurrere voluerit. Niſi forte putabimus, iucundius eſſe homini bene nato, ſexcentas vno ſpiritu ineptias, nugas, contentiones, iniurias, turpitudines, inſanias, ſcelera, cognoſcere, ac ſententiam de iis interponere; quam in veteris aeui lingua et moribus cognoſcendis, legumque antiquarum ſententia perueſtiganda, otium ſuum fallere. Haec igitur qui poteſt, et illa tamen eo ſtudio, quo BRVNNQVELLVS noſter, agit, eum profecto, illo ipſo etiam nomine, bonum ciuem, et amabilem his, qui patriam amant, virum eſſe iudicamus. Nam quod alii vel ingenio ſunt pinguiore, quam vt capere illam elegantiam poſſint; vel ad rem et honores illa altera via feſtinandum ſibi putant; horum nihil in BRVNNQVELLVM noſtrum conuenit, qui in doctrina, quam diximus, animum tum pecunia ſuperiorem, tum ambitioni malae impenetrabilem, multis rebus declarauerit, et quoties vel potentiorum voluntas, vel priuatum aliquod commodum pugnare cum generoſo illo honeſto videretur, forti animo atque magno diſplicere principibus, vtilitate aliqua carere, quam parum vereri conſcientiam maluerit. Non eſt huius loci, A. A. per exempla

pla ire; ſed quibus familiarius innotuit BRVNNQVELLVS, ii nihil praeter rem a nobis dici, non ignorant. Habent hoc adiunctum incommodum non nunquam, iuſti tenacesque propoſiti optimi homines, vt ſeueritate ſua atque aſperitate moleſti ſint aliis, atque illa ipſa re interdum ab opportunitatibus reipubl. iuuandae excludantur. BRVNNQVELLI noſtri virtus in ſe tantum fuit rigida, mitis in alios. Hinc pacis, tranquillitatis, concordiae, compoſitionis auctor eſſe, easque res ſuadendo, concedendo etiam quantum eius fieri poſſet, promouere nunquam deſtitit: eaque ipſa re in tantum bonus fuit ciuis, quantum in pace atque concordia bonum eſſe, omnes agnoſcunt. Quidni vero bonum h. e. vtiliſſimum reip. noſtrae praeſertim ciuem eo etiam nomine praedicemus, quod quo tempore nobiſcum fuit, ciues huc allexit alios et numero ſatis magno, et ſplendore generis reliquaque dignitate praeſtantisſimos. Perſane honorificum eſt huic Academiae, naſcenti demum, et nondum rebus omnibus exornatae, legi in matricula tot praeclaros ciues, non ſcribente tantum BRVNNQVELLO, ſed etiam huc pertrahente, in eam relatos: amplum eſt illi ad laudem atque famam in ipſis iam incunabulis parandam, legi in vltimo ipſius programmate inter ciues alios minime poenitendos ſex Illuſtrisſimorum Comitum nomina, qui diſputationum publicarum arenam ipſo praeſidente ingreſſuri fuerant. Quorum aduentum vt debere nos BRVNNQVELLO grati fatemur, ita ſperamus, fieri poſſe, vt aliis quibusdam vel viris vel rebus deliniti, conſilium vel veniendi vel manendi apud nos non mutent, ſed quae in BRVNNQVELLO amiſerunt et ipſi, ea alicunde reſtitutum primo quoque tempore iri, nobiſcum confidant.

Sed ſupereſt, vt bonum etiam fuiſſe BRVNNQVELLVM *litteratae ciuitatis* noſtrae *rectorem* oſtendamus. Quam difficile ſit, praeeſſe hominibus, nullumque animal ita aegre alienum imperium pati, non opus eſt Xenophontis vel aliorum philoſophorum auctoritate confirmare, cum ſatis hoc experiantur, qui vllam imperii cuiuscunque partem vnquam attigerint. Inter homines porro neſcio an difficillimum ſit, imperio continere

tinere eos, quos vel calida aetas reddit inquietiores, vel prima libertatis vſurpandae facultas ferociores, vel variarum rerum cognitio callidiores, vel ingenii, generis, ac familiae, opum ac reliquarum copiarum fiducia audaciores, vel, quae vltima claſſis eſt, ipſa paupertas et omnium verum deſperatio ad conandum proiectiores. Hoc igitur genus hominum, aut potius haec tam varia hominum genera, ita regere, vt neque ſeruili nimis diſciplina virtutis igniculi opprimantur, neque in licentiam pernicioſam effrenis erumpat audacia; hoc vero conſummatae cuiusdam prudentiae atque ſapientiae opus eſt, qua qui valeat, eum in ſummis adnumerari hominibus debere, equidem arbitror: idemque eam ipſam laudem BRVNNQVELLO noſtro deberi, confirmo, quibusque rebus illud conſecutus ſit, breuiter indicabo. Induxerant in animum, iuſtis illi quidem de cauſis, ciues noſtri, eum eſſe BRVNNQVELLVM, qui et poſſet ſibi conſulere propter prudentiam non doctrina modo, ſed longo ſatis rerum vſu comparatam, et vellet, propter probitatem et ſtudium, quod modo laudabamus, publicae ſalutis. Huic ſi quis repugnaret, ille non tam magiſtratum contemnere videbatur, quod ipſum iam ſatis graue eſt, ſed ſolum cum eſt, non ſatis ſemper validum; quam ſuam ipſe ſalutem, quod nemo niſi ſtultus facit, impugnare. Acceſſit naturae quodam munere, cui diligenter ille obſecutus fuerat, ſingularis prope humanitas, et facillima candoris fides, quum ille expoſitus omnibus atque obuius nudum quaſi pectus, et plenum amoris ac beneuolentiae animum cum honeſtiſſima inſeruiendi voluntate oſtenderet. Quod vt virtutis opus etiam fuiſſe non negamus; ita naturae atque felicitatis cuiusdam diuinitus adiunctae partes qui hic agnoſcat, is vel eo nomine nihil quidquam de laude viri ſummi detrahit, quod ea etiam, quae virtuti tribuuntur, diuinae in ſe bonitatis opera eſſe, ipſe pro ſua modeſtia agnoſcebat. Interim propter ipſas, quae commemoratae iam ſunt, cauſas, feliciſſima regiminis ipſius erant auſpicia. Apparebat vos, huius litteratae vniuerſitatis CIVES, vos enim alloquor, *gaudium noſtrum atque deliciae, vnicumque doloris noſtri ſolatium, Generoſa atque Nobilis egregiorum ad omnem*

omnem laudem iuuenum corona, apparebat, inquam, ita amari a vobis BRVNNQVELLVM, vt indignum putaretis agere quidquam, quo ille contriſtaretur, quem nihil ferre conſtaret moleſtius, quam quo veſtra labefactaretur felicitas. Macte iſta virtute eſtote, cariſſima capita, feliciſſimam illam animi adfectionem nunquam deponite, beatam nobis porro creſcentem hanc rempubl. noſtram iſta virtute, pudore iſto, iſta in amantiſſimos veſtri patres beneuolentia, praeſtate. Redeundum eſt ad BRVNNQVELLVM. Ille reliquas etiam muneris atque magiſtratus ſui partes ita diligenter, alacriter, fideliter, exſequebatur, vt in ſpem veniremus omnes, feliciter euenturum Academiae, quod hoc potisſimum viro moderante illa conſiſteret, et formam quaſi ſuam acciperet, putaremusque magiſtratum BRVNNQVELLI non in praeſens modo vtiliſſimum huic Academiae, ſed ad omnem quoque poſteritatem futurum, idque maiori aliquanto iure augurari videbamur, quam coeli, ſub qua naſcuntur homines, conformatio vim ad totius vitae curſum habere olim credita eſt. Sed aliter ſcilicet Deo viſum. Heu! funus illius ducimus, quo cum purpura et ſceptris praeeunte, pompam frequentem inaugurandae Academiae cauſa ducturos nos paullo poſt ſperabamus: heu! mortuum detulimus in Paullinam aedem, vbi praeſidente illo, prima inaugurationis illius ſolemnia nos obituros arbitrabamur. Heu! fallaces hominum ſpes! heu inania conſilia! in vno BRVNNQVELLO *ICtum optimum, ciuem optimum, optimum huius litteratae ciuitatis rectorem*, amiſimus.

Sed reprimamus dolorem, et remedia potius illius leniendi, quam exaſperandi rationes adhibeamus. Si parum hic valet communis mortalitas, quae perpetuam potius lugendi materiem ſuppeditet, quam conſolandi argumentum: at illud cogitemus, quaecunque nobis eueniunt, ea diuino conſilio euenire omnia, et aut ipſa bona eſſe, aut medicinae et remedii, ad maiora vel occupanda vel ſananda mala rationem habere, aut ad commoditatem aliquam conſequendam pertinere. Si plus ſemel contigit, vt imperatore in acie caeſo, victor tamen

men exercitus discederet; si patre intempestiue, vt videbatur, defuncto, tanto laetius saepe familia effloruit: quidni acerbissimus, quantum nunc aestimare licet, casus, occultas iam quidem certas tamen futurae felicitatis rationes continere possit? Consoletur nos Potentissimi Regis nostri, Patriae Patris Indulgentissimi, fausto nuper pede Germanicam ditionem suam ingressi, prouidentia, cuius nutu primo curatum est, vt mori non videatur, non desit certe, qui hanc Academiam auctoritate et consilio regat; deinde vt hac ipsa funebri pompa instituta intelligant omnes, honoratissimos velle Regem Indulgentissimum, et viuos et mortuos, qui praeclare in rei huius publicae procuratione versantur. Quid amantibus contingere soleat, recordemur iterum, A. A. His si in ipso principio luctus, et inter primas doloris faces atque stimulos, imago forte obiiciatur absentis aut mortui adeo amici, exclamant, et in flebiles soluuntur querelas. Ast paullo post in eadem imagine consolabilem moeroris sui oblectationem quaerunt, inueniuntque: ipsa illa loca frequentant, reliquias illas tractant, quae monumentum aliquod amici habent; lamentationis et fletus paullo ante materiem in tranquillitatis et placidae cuiusdam ac sincerae voluptatis argumenta conuertunt. Hoc ipsum in BRVNNQVELLO imitemur, A. A. Luctuosam licet nunc et flebilem viri imaginem hauriamus animis, et profunde imprimamus. Quantam ea nunc, damni quod fecimus cogitatione, adfert tristitiam, tantum suauitatis in posterum et iucunditatis adeo habebit: quin neque vtilitate maxima ea res carebit. Animus enim in cogitandis admirandisque illius virtutibus defixus magis magisque ad earum imitationem incitabitur, conformabitur ad exemplum. Sic post fatum etiam suum noster esse BRVNNQVELLVS, bonus et vtilis nobis esse, non desinet.

Tum tu, Pater Optime Maxime, cuius nutu atque voluntate ista nobis obuenit calamitas, medicinam ipse praestantissimam nostris malis adhibebis, et sanctum ac salutare fuisse nobis quidquid hic fuit incommodi, exitu beato demonstrabis. Saluum nobis et incolumem praesta Indulgentissimum Regem nostrum atque Patrem, tuae inter nos maiestatis vicarium, quo saluo infelices nos esse vix possumus; suaeque ipsum domus atque imperii sui felicitate, nos prouidentia ipsius atque beneficiis diutissime frui iube. Tuere, Pater, hanc dicatam publicae saluti sapientiae ac pietatis officinam, atque tenerae instar plantae fouendam ipse atque alendam suscipe. Tuere vrbem, quae hospitium nobis praebet, atque ad omnes illius ordines ornamenta inde atque commoda vt perueniant, effice. Familiae BRVNNQVELLI adflictissimae solatia pariter auxiliaque pro infinita sapientia tua et bonitate suppedita. Totam denique patriam nostram prouidentia tua ita complectere, vt saluo Rege, salua vigeat floreatque respublica!



III.

III.

IOANNIS SAMVELIS MVLLERI

RECTORIS HAMBVRGENSIS

ORATIO

DE

ELEGANTIORI EDVCATIONE.

Vetus querela est, A. V. non nostra demum aut patrum memoria audiri coepta, homines singularum aetatum deteriores nasci, semper a prisca virtute atque integritate magis magisque degenerare, magnamque flagitiorum accessionem ad superiorum seculorum vitia nunquam non fieri. Nemo, mea quidem sententia, elegantius grauiusque eam exposuit, quam Venusinus ille Lyricorum princeps,

Aetas parentum, inquiens, *peior auis tulit, Nos nequiores, mox daturos Progeniem vitiosiorem.*

Neque aliud quidquam innuunt reliqui poetae, qui aureae aetati successisse argenteam canunt, argenteae aeneam, hanc denique fugatam a ferrea, in qua nihil intactum, nihil intentatum sit relictum, quo, si fieri posset, pudor et aequitas e rebus humanis proscriberentur penitus atque exterminarentur. Nonnulli adeo vniuersam rerum naturam sensim deficere contendunt, et fato quodam omnia indies in peius trahi, decrescere non tantum vitam hominum, lethique tardam necessitatem gradum corripuisse, verum ipsam tellurem quoque esse effoetam, et longe minora, quam olim, animantium corpora procreare, vt alia, quae ad corroborandam opinionem suam afferunt, omittam. Non nostrum nunc est, tantas componere lites aut inquirere, adeone inculpata apud antiquos vitae fuerit sanctitas, vt seculorum, quae propius a nobis sunt disiuncta, moribus, si numerum etiam bonorum spectare velis, tantopere anteferri mereatur.

Sed pone, quod tamen liquido demonstrari vix poterit, at pone, deberi illam gloriam priscis temporibus, descitum esse pedetentim nonnunquam, citato gradu saepius, ab antiqua vitae innocentia, moresque hominum ruisse semper in deterius; gloriari tamen possumus, illuxisse iam tempus illud, vbi meliora de filiis nostris, de natis natorum, et qui ab illis nascentur, sperare, atque adeo confidere queamus, fore vt haud ita longo annorum decursu

toto surgat gens aurea mundo.

Quem-

Quemadmodum enim, qui agrorum atque hortorum saluti consulunt, id inprimis operam dare solent, vt semina atque plantae recte se habeant, ita et honesti parentes cum vitiis suorum temporum pugnaturi, maiori nunc cura atque intentione de filiis recte educandis sunt solliciti. Quoniam igitur a iuuentutis formatione totius reliquae vitae, imo et posteritatis, pendet exspectatio, omnia de grandioribus polliceri nobis possumus, quum maior opera, maior diligentia expoliendae adolescentiae nunc impendatur.

Haud ingratum vobis, A. V. neque a muneris mihi demandati partibus alienum esse arbitror, si de *elegantiori*, quae nunc obtinet, *liberos educandi ratione* pauca exposuero, neque dubito, quin et me pro consueta Vestra beneuolentia propense audituri, et, si ea temporum nostrorum felicitas probata Vobis fuerit, nobis posterisque eandem sitis gratulaturi.

Quando hodiernam filiorum educationem veteri illi longe praeferendam esse statuo, non contendo, neminem antiquorum exstitisse, qui meliora viderit probaritque. Fuerunt nonnulli, qui iusto dolori indulgentes, immutanda quaedam esse vsque ad inuidiam proclamarunt. Sic QVINTILIANVS (*) suo iam tempore requirebat vel praecipue nutricis operam in fingendo pueri ore ac lingua, volebatque deligi non indisertam, quae cum primo lacte simul purum orationis genus et quaedam liberalioris doctrinae elementa instillare posset. Quales nostrates nutriculae esse soleant, notum est et referre pudet. His tamen ad nostram vsque aetatem ingenti suo damno concrediti sunt pueri, donec tandem, posteaquam tot Gallorum millia religionis causa e patriis finibus expulsa, ad nos commigrarunt, tales mulierculae suppetere nobis coeperunt, cuiusmodi M. Fabius exigit. Ista enim natio, si qua alia, omnium confessione est politissima, ita vt tenuioris etiam

(*) Institut. Orator. Libr. I. cap. 1.

ſortis puellae generoſos pueros ad vitae venuſtatem inſtituere valeant. Formant hae os tenerum, aſſuefaciunt eos ab incunabulis ad ſermonem gallicum, in quo creſcente aetate eos faciunt progreſſus, vt, quando germanice etiam loquentes audias, non poſſis non Gallos eos putare. Hae lepidis fabulis atque narratiunculis, quarum magnam ſemper copiam in promptu habent, longi temporis taedia leniunt, audiendique ſtudium accendunt, ita vt earum diſciplina ſubigere eum quaſi ac praeparare ad reliquarum ſcientiarum cultum videatur.

Dura nimis ſine dubio atque aſpera maiorum noſtrorum fuit educatio. Imitabantur illi non ſolum Romanos, quorum adoleſcentes, anteaquam in viros transierant, ſub rigida paedagogi cuſtodia continebantur, ſed ipſos propemodum Spartanos, quorum filii nulla alia veſte, niſi pallio, circumdati nudis pedibus incedere, hiemis frigora, feruidiſſimum aeſtatis calorem omnesque tempeſtatis iniurias tolerare, nuda humo ſomnum capere, et flagellorum ictus ad necem vsque acceptos ita perferre aſſueuerant, vt non clamores modo, ſed gemitus adeo in poteſtate haberent. (*) Eodem modo maiores noſtri parce nimis duriterque habebant filios praeter aequum et bonum, cibum eis praebebant vulgarem ac promiſcuum, potum tenuem, qui caput non tentaret, veſtes e panno duplici ac villoſo confectas, et vbi eorum aliquid admiſerant, quae fert adoleſcentia, adeo depexos atque exornatos eos dabant, vt per haud exiguum temporis ſpatium meminiſſe poſſent, verbera ſibi eſſe admota. Mittebantur mature in ludum, ſiue rectius ergaſtulum litterarium, cui praeerant magiſtri tetrico aſpectu trucique iracundia, fronte ſenilibus rugis conſtricta, barba opace prolixa et in pectus demiſſa, totoque habitu horridi. Hi operam acerbe exigebant, et ſi quem negligentiorem animoque peregrinantem aut petulantem inuenerant, in omnem conuiciorum amaritudinem effuſi ita eum accipiebant,

vt

(*) CICER. Tuſculan. quaeſt. Libr. 2. cap. 14.

vt tergum vibicibus varium fieret, multusque nonnunquam e visceribus sanguis exiret. Putabant illi, adeo procliuia esse adolescentum ingenia a virtute ad vitium, vt eorum paucissimi, nisi coacti, officium facerent, nihilque esse corruptius puero, cui, vt SENECAE verbis vtar, nihil vnquam est denegatum, cui solicita semper lacrimas abstersit mater, cui de paedagogo satisfactum est. Itaque et ipsi coercebant filios, et a magistris coerceri volebant, neque audebat quispiam apud parentes, ne apud matres quidem, quamquam illae alias, prout sexus est mollior et amoris intemperantior, in huiusmodi iniuriis adiutrices suis esse solent, de praeceptoris seueritate conqueri, nisi qui vibicibus addi volebat vibices.

Maiorem circumspectionem atque prudentiam hodie adhibemus, qui liberalitate, quae multo valentior est ad obtinendum id, quod volumus, quam terror, non magis fidus venerationis custos quam recti magister, nostros retinere cupimus. Enimuero si rem recta nobiscum reputamus via, quum nemini expediat vi ad officium compelli, minime illud conuenit adolescentum ingeniis, quos ad honestatem decusque consectandum excitare volumus. Nam qui didicerunt flagra extimescere, ad illiberalem quandam humilitatem se abiiciunt, quae vires ingenii eneruat, igniculos gloriae exstinguit, et mentem eorum quasi onere depressam humi in sordibus detinet, vt emergere atque ad summa contendere nequeant; aut si natura sunt peruicaciores, timorem in odium vertunt, et in vetitum eo acrius nituntur.

Est indulgendum aliquid condonandumque huic aetati, atque ita hoc, quod patres sumus, vtendum, vt meminerimus, et nos homines esse et hominum patres, (*) ne, si nimis seuere tractentur, alienori tempore adolescentum more se profundant, qui in adolescentia senum mores prae se tulerunt. Ante omnia curamus, qui parentes sumus, ne mature nimis, et ante duodecimum aetatis annum, ad laborem compellatur puer, aut somnus intempestiue discutiatur, quoniam aliorum lapsae genae, pallidum os, caua lumina, totusque tenerorum corpusculo-

(*) PLIN. Libr. IX. epist. 12.

rum habitus in maciem fluens ſatis prodit, quantum et animi et corporis vires ea feſtinatione frangantur. De mortalitate noſtra cogitandum, nec breuis vita laboribus caducis fatiganda eſt aut abrumpenda.

Quando tamen aetatis progreſſu magiſter quaerendus eſt puero, non mittimus eum in ſcholam publica auctoritate conſtitutam, tam quia in illa e multorum, inprimis tenuiorum, conſortio facile aliquod vitium ei arripere poteſt, quam vt libertatem noſtram, qua nihil maius, nihil praeſtantius, nihil diuinius homini conceſſum eſt, tueamur, publico iudicio noſtrum anteponentes. Neque etiam, quibus paullo lautior eſt res familiaris, ei liberos noſtros concredimus, qui theologiae nauauit operam, ſed politico, quod hominum genus ad ſeculi elegantiam multo eſſe accommodatius, ex ipſo ſtatim nomine apparet. Et inter hos ipſos eos praeferimus, qui ad opiniones vulgo receptas et diſciplinae cuiusdam legibus adſtrictas, tanquam ad ſaxum, non adhaereſcunt, neque commodi ſui ratione adducuntur, vt velut milites auctorati, quae praeſcripta et quaſi imperata ſunt, pertinaciter tueantur atque ad alios propagent. Quum enim ſuperſtitio per omnes omnino gentes diffuſa omnium fere oppreſſit animos, ea autem nunquam recta mente conſiſtere homines patitur, et praeterea maximarum turbarum in republica ſemper cauſa exſtitit, magnopere ſunt laudandi, qui eiusdem ſtirpes elidere et ſemina ipſa in teneris mentibus exſtinguere ſtudent. Hi auctoritatis iugo reiecto cauſas inter ſeſe conferunt, quid in quamque ſententiam dici poſſit, expendunt, et quae ſimillima veri videntur, probant. Nihil autem veri illis quidquam videtur ſimile, niſi quod intellectu ſuo conſequi poſſint.

Quando igitur ex animi noſtri ſententia nacti ſumus praeceptorem domeſticum, huic iniungimus, ne nominum ac verborum declinationibus, multo minus infinita illa atque implicatiſſima regularum, ſcholiorum atque obſeruationum farragine memoriam pueri obruat. Relinquendae ſunt hae nugae illis, qui inter obſoleta atque exeſa veterum linguarum rudera vitam tranſigere decreuerunt. Labore illo, qui ad earum intelli-

telligentiam capiendus est, res longe vtiliores parari possunt. Sufficit, si procedente tempore interpretum praesidio munitus scriptorum romanorum probatissimos legere possit, nec necesse est, vt in scribendo ad aureae aetatis nitorem quam proxime accedat.

Neque enim conciones sacrae latino sermone habentur ad populum, neque in foro ad causas agendas aut sententiam dicendam, neque apud aegrotos ad formulas salutares praescribendas eodem opus est. Imo ab ipsis doctorum academicorum scholis fere exulat haec lingua, vixque ei locus aliquis superest, nisi in disputationibus, vbi tamen rerum magis, quam vocum habetur ratio. Aiunt quidem eius propugnatores, propterea illam addiscendam esse, quoniam eius vsus in omnibus Europae regionibus diffusus sit, isque, qui eam teneat, vbiuis terrarum inueniat, a quibus sine interprete intelligi possit. Sed longe maior hac in re gallici quam latini sermonis est vtilitas, quum ille apud omnes omnino gentes, quibuscum nobis aliquid commercii intercedit, non ab honoratioribus tantum, sed et ab inferioris sortis hominibus hodie percipitur.

Multo minus necessarium videtur esse, vt graecam linguam, quae iam pridem mortua est, magna opera, multo sudore adolescentes sibi parent. Etsi enim negari non potest, multos viros admirabili sapientia longe praestantissimos graece scripsisse; attamen quum vtilissima eorum scripta aut in patrium, aut certe in gallicum, reliqua autem omnia in latinum sermonem sint conuersa, huius linguae discendae labori sine vllo dubio supersedere possunt.

Quum igitur ad vitae commendationem inprimis formandi sint pueri, (vnde et praeceptores nostros nunc morum magistros appellamus, vt, quae praecipua officii sui pars sit, intelligant) nulla autem res maiorem homini contemptum pariat, quam incessus quidam et sessiones deformes, flexi fractique corporis motus, facile perspicitur, ad elegantiorem educationem nihil magis requiri, quam vt mature tales artifices conducamus, qui leges ac praecepta saltandi pueris tradant.

Hi enim eorum membra ac venuſtatem fingunt atque componunt, vt dignitatem aliquam in ſtando, ambulando ac ſedendo ſequantur, vt omnis illorum motus atque habitus ſit aequabilis, ad naturam, non ſibi relictam, ſed perpolitam congruens ac decorus. Et quid praeterea aſpectu eſt iucundius, quam vbi in nuptiali aut quadam alia feſtiuitate turbam aliquam ſaltantium videas? Puella iungitur adoleſcenti, hi primum inflexo poplite ſe mutuo ſalutant, deinde alter alterius prehendit manum, brachium brachio aſſurgit, pedes ad numeros decenter mouentur, hi ſub ſuauiſſimo fidium tibiarumque concentu ſuſpenſo gradu modo vna obambulant, modo ſe dimittunt, nunc tremulo ſaltu in aërem ſe efferunt, nunc toto corpore circumaguntur, modo huc, modo illuc ſe vertunt, nunc fugere ſe videntur, alter fugacis ſtringit veſtigia, tergoque eius imminet, donec iterum iunguntur, ſicque eandem viam ſingulari venuſtate centies percurrunt.

Cum hoc ſtudio recte copulatur ars palaeſtrica armaque tractandi ſcientia. Per eam non ſolum nerui intenduntur, oſſa firmantur, totusque corporis habitus fit robuſtior, ſed animus etiam augetur, audentiorque redditur ad pericula vltro ſubeunda, auertendos ictus, depellendamque aduerſariorum violentiam. Vnde et apud PLATONEM Nicias (at quantus vir!) hanc tanquam vnam ex omnibus generoſo iuueni longe vtiliſſimam maximeque neceſſariam ſcientiam Lyſimacho et Meleſiae commendare minime dubitat. (*) Neque eſt, quod eam non niſi illis, qui caſtra ſecuturi ſunt, profuturam arbitremur. Quum enim, quamdiu quis in academia degit, ſummo ſtudio ſummaque cura cauere non poteſt, vt nunquam prorſus lites cum aequalibus oriantur, ille vero labem nullo vnquam tempore eluendam ſibi aſpergeret, qui ſingulare certamen prouocatus detrectaret, mature paranda eſt ea facultas, quae a vulnerum vitaeque diſcrimine immunes omnibusque metuendos nos praeſtat.

Quoniam vero, vti Horatii aetate, ita et nunc imberbes iuuenes nulla re magis gaudere ſolent, quam equis, hanc etiam

(*) Initio dialogi, qui LACHES ſiue de fortitudine inſcribitur.

iam oblectationem lubentes nostris concedimus. Vnica bestia sine magnis sumtibus alitur, hac facilitate ingentem in eorum animis excitamus ad amorem nostri stimulum, neque dici potest, quam vtilis equi vectatio sit stomacho, hepati, lieni ceterisque abdominis visceribus, quamque praesens contra morbum illum, quo eruditi vexari solent, qui in hypochondriis latere perhibetur, remedium.

Et quid in speciem potest esse pulcrius, quam homo adolescens forma atque aetate florenti, generoso insidens equo, qui chalybem frendens mordet, caputque ardua ceruice et prominentibus venis spectabile obtutu ambiguo vultuque ad pectus procliui, magnanimo fastu superboque gressu, modo huc, modo illuc vertit, qui, prout rectoris fert voluntas, aut tolutim badizat, aut cuius

Quadrupedante putrem sonitu quatit vngula campum,

quique strenue circumagitatus gyrum decenter absoluit? Nonne sibi ipsi et efferentibus sese cupiditatibus facilius imperabit, qui equum, non eum tantum, quo saepius vtitur, sed nouum etiam atque intractatum prociterque exultantem, regere, calcaribus adhibitis incendere, concitatum sustinere, et vel ad nutum suum moderantibus frenis doctus est conuertere?

Quia tamen hoc oblectationis genus paullo est vehementius, auctores iis sumus, vt eam aliquanto leniori distinguant, qualis est aleae pictarumque chartularum vsus, quo non ingenium tantummodo acuitur, sed cuius peritia etiam nemo hodie carere potest, qui ad circulos ac semicirculos virorum foeminarumque principum aditum sibi patere cupit. Accedit et alia, eaque minime centemnenda vtilitas, vt de vniuscuiusque indole e moribus, quos in ludendo prodit, verissime iudicari queat. Id quod veteribus etiam non plane fuit incognitum, quibus testibus *in oculo, in poculo, in ludo, cognoscitur quiuis homo.* Eadem de causa vini vsum mature iis concedimus, vtque singulis conuiuis sanitatem precati singula pocula vno spiritu exhauriant, assuefacimus. Nihil enim est turpius, quam si, vbi adultiores sunt facti, in compotationibus vinum tandem sensus eorum vincat. Vinum quoque moerorem curasque ex

 ani-

animo pellit, nobilem quandam confidentiam efficit, alacritatem, comitatem et acumen ingenii auget, egregiasque cogitationes instillat. Neque enim viuere ac placere possunt diutius, quae scribuntur dicunturue aquae potoribus.

Neque alias oblectationes adolescentibus nostris inuidemus, seu canes ad venandum expetant, seu mundiore vestitu capiantur, seu concentus musicos ament, seu sclopeto destinata ferire studeant, seu tabernas publicas, in quibus potio e fabis arabicis parata diuenditur, et ad saluberrimum corporis motum globuli eburnei impelluntur, frequentare cupiant. Et si vel maxime his in rebus modum excedere, aut sumptuosius quaedam emere videantur, neutiquam grauiori censura, sed leui tantum admonitione opus est, quae ab omni impetu, stomacho atque asperitate est immunis. Non singulae eorum actiones curiosius sunt inspectandae, sed danda opera, vt patres nos esse sentiant, vt audeant nobis credere omnia, a nobis petere et poscere, ne quam aliam quaerant copiam. Sequimur in eo auctoritatem non tam Menedemi alicuius aut Mitionis Terentiani, sed ipsius PLINII, scriptoris grauissimi prudentissimique, qui vult, (*) vt, *quum eos etiam, qui non indigent clementia vllius, nihil magis quam lenitas deceat, aliis ita ignoscamus, tanquam ipsi quotidie peccemus, mandemusque memoriae, quod vir mitissimus, et ob hoc quoque maximus, Paetus Thrasea, crebro dicere solebat:* Qui vitia odit, homines odit.

Sunt, qui et hoc in reliquas aetates praeclarum omen esse ducant, si adolescentes mature de facie in consilium ire, de capillis intorquendis pectendisque et reliquo ornatu soliciti esse incipiant, vt puellis probentur. Neminem enim felicius ad elegantiam mores suos compositurum credunt, quam qui sexus venustioris consuetudine vtatur frequentius. Sed nolo omnia persequi, quoniam hi ipsi, qui elegantioris educationis studiosi sunt, non omnino consentiunt, dum alius alio plura ad eam requirit.

Restat,

(*) Libr. VIII. epist. XXII.

Reſtat, vt quid de ea ſentiâm, paucis exponam. Mirabimini fortaſſe, Ornatiſſimi Iuuenes, quare ipſe hanc inſtituendae iuuentutis rationem, cui ſuffragari nunc viſus ſum, quaeque iucunditate ſua ſe ipſam ſatis commendat, non ſequar. Sed iniuria mihi fieret a vobis, ſi in me vnum huius rei culpam transferretis. Aliter enim viſum eſt iis, qui hanc bonae mentis palaeſtram auctoritate et conſilio ſuo moderantur, quibus quidquid decernere placet, illud et nos rectius putare debemus. Facite periculum, num forte perſuadere iis poſſitis, vt veſtra cauſa leges huic Lyceo praeſcriptas et paucis abhinc annis denuo promulgatas antiquent. Sed vereor, ne inutilem hanc ſumatis operam. Illi enim multis iisque grauiſſimis cauſis permoti educationem illam atque inſtitutionem, quae pro elegantiori vulgo venditatur, minus ſolidam veſtraeque aetati parum conducere arbitrantur. Volunt illi, ſuam coercendae malitiae manere ſeueritatem, volunt in lingua latina et graeca non minus, quam patria praecipuum ſtudium collocari, volunt tempus non deliciis atque otiando, ſed labore et opere tranſigi. Et niſi omnia me fallunt, Veſtrum ipſorum non ſunt pauci, qui nullam praeſentiorem peſtem, nullum certius exitium adoleſcentibus afferri poſſe confitentur, quam ſi nimis eleganter, hoc eſt delicate ac licenter educantur, vt falſa perſuaſione ſeruitutem eſſe credant, praeceptis officii atque virtutis obtemperare. Nemo Veſtrum ignorat, dilectiſſimi Iuuenes, omnium actionum et conſiliorum Veſtrorum Deo immortali rationem eſſe reddendam, qui omnes animorum Veſtrorum receſſus, omnes latebras perſpectas exploratasque habet, quem nihil eorum, quae ſuſcipitis, praeterire poteſt, etiamſi omnes omnino homines ea celare Vobis contingat. Scitis, Vos eius indignationem effugere non poſſe, niſi finem illum, quo conditi eſtis, vt Veſtram nimirum et aliorum conditionem nunquam non perfectiorem reddatis, id quod ſine ſtudio atque opera impetrari nequit, ante oculos ſemper habeatis. Scitis, nos Vobis peractis laboribus honeſtum otium non inuidere, ſed ſcitis etiam, neceſſitates atque vtilitates voluptatibus, ſeria iucundis anteponenda, ac primum de animo excolendo ornando-

nandoque, tum demum de curando corpore cogitandum, operamque et recreationem ita miſcendam eſſe, vt neque illa in triſtitiam et moroſitatem, neque haec in torporem aut petulantiam procedat. Scitis, ipſa diſciplinarum fundamenta propemodum conuelli ac labefactari, ſi linguae earum gentium, a quibus humanitas bonaequae litterae ad nos transmiſſae ſunt, negligantur. Scitis, illos rerum ſuarum nunquam ſecuros eſſe ſemperque fluctuari animis, qui regulas in vocum ſtructura ac compoſitione ſeruandas non tenent, et quamquam ſtolidum ſit illud vnum operis habere, lectionemque optimorum ſcriptorum tantisper omittere; temerarium tamen fore illam artem omnino aſpernari, quae contemtum ſui per totam vitam vlcisci queat.

Inſiſtite proinde viam tot ſeculorum vſu comprobatam, neque temere ab ea decedite, niſi quis meliorem tutioremque commonſtret. Amate doctrinam ſolidam, non eam, qua famam popularem, quae ſtultorum conſenſu ſaepius excitatur, Vobis conficere queatis, ſed qua conſtans ac durabilis vtilitas continetur, quaeque ingenua et inſatiabili delectatione Vos complet. Sectamini virtutem et ſapientiam, ſine qua ſemper miſeri ſunt, quos vulgus beatos praedicat. Non imponat Vobis peſtifera otii dulcedo, non inficiant animos Veſtros languor, deſidia, deliciae, quas grauior moleſtia et diuturnum taedium excipit, ſed hac aetate inprimis indefeſſam bonis artibus impendite operam, qua ingenium, memoria, corpus ipſum maxime vigent, ne olim ad labores perferendos minus idonei aliisque curis distracti habeatis, cur iuuenilis negligentiae Vos pudeat poeniteatque, pudor autem et poenitentia nullum amplius fructum Vobis praeſtare poſſint.



IIII. ORA-

IIII.

ORATIO SOLEMNIS

DE

SVMMIS

THEOLOGORVM IENENSIVM IN SANCTIORES LITTERAS MERITIS

AD

MEMORIAM NATALIVM

ACADEMIAE IENENSIS

PVBLICE CELEBRANDAM

NOMINE

SOCIETATIS LATINAE

DICTA

A

M. PHILIPPO DAVIDE KRAEVTERO

EIVSDEM SODALI HONORARIO

A. CIↃ IↃCC XXXX. AD D. XIIII. CAL. APRIL.

MAGNIFICE
ACADEMIAE PRORECTOR
ILLVSTRISSIMI COMITES
PATRES ACADEMIAE VENERANDI
SVMME REVERENDE SOCIETATIS LATINAE DIRECTOR
EPHORE CONSVLTISSIME
PRAESTANTISSIMI LITTERARVM GERMANICARVM CVLTORES
SOCII CLARISSIMI ERVDITISSIMIQVE
AVDITORES NOBILITATE GENERIS, VIRTVTVM ET DOCTRINAE PRAESTANTIA ORNATISSIMI.

Quoties equidem, *Auditores*, admirandas huius Musarum domicilii origines, ortusque diuinos, mecum recogito: recogito autem saepius; toties in ea me video confirmatum sententia, vix tantum opus aut spe certiore, aut maiore religione non dicam suscipi, sed ne cogitari quidem potuisse.

IOHANNES FRIDERICVS, gentis Saxonicae gloria, in quo veritas omne, quod possit, demonstrasse videtur: qui nec generosi sanguinis periculo, nec callidae stragis immanitate, nec libertatis amissae iniuria, nec iactura terrarum iniquissima, frangi vllo modo poterat, quin euentum sibi parum felicem adhuc sentiens obfirmato animo veritatem ad seros posteros inuictam tradere constitueret: HIC tantus heros et summae pietatis et inauditae constantiae hoc vltimum esse monimentum voluit, vt IENAM nostram defensae tanta sua opera veritati et commodum receptaculum, vbi omnes suas copias colligeret, et locum securum, vnde quam latissime posset vi quadam propria erumpere, dedicaret. Illud enim animo suo etiam atque etiam proposuerat, non tam victoriam de se reportari, quam victo-

victoriae insignia, nec rite hostes triumphare, dum veritas regnaret.

Ab istis vero initiis quum exsurrexerint Athenae Salanae; dubium esse nulla ratione poterit, magnanimum Principem, qui vix vnquam sine Numine vixerat, tum maxime tamen diuinis vsum esse auspiciis, quum vltima ista consilia mente conciperet, atque in his vltimis votis adfectus Ipsius defigeretur.

Quo, quid ad excellentiam huius Academiae augustius, quid ad spem futuram securius dici possit, equidem non deprehendo. Quid vero spem dicam? spem, ducentorum annorum experientia iam confirmatam? spem ab innumeris testibus in omnium terrarum orbem promulgatam? spem extra inuidiae omnes insultus dudum positam? Tanta enim est huius loci celebritas, vt dies me citius deficeret, quam persequi pro rei grauitate vix incepissem, quanta exinde ad omnes partes humanae felicitatis, quae a scientia exspectari potest, accessio facta sit.

Illud tamen vnicum paucis ad animum hodie *Vobis* reuocare fas esto, *haud aliunde maiora sanctioribus disciplinis praesidia, ornamenta plura contigisse; quam, quae Theologorum Ienensium opera inde a felicissimis huius Academiae natalibus instructa vbique terrarum praedicantur.* Ea quidem est huius argumenti dignitas, quae non nisi disertissimum requirat, measque vires longissime superet, cui nec ab ingenii facultate multum natura tribuit, nec ab eloquii virtute laus vlla accedit: quum vero voluntas eorum, penes quos erat, memoriam auspicatissimae lucis, quae hic prima Musis adfulgere coepit, sacro anniuersario celebrare, verba me nunc facere iusserit; hanc saltim a *Vobis*, *Auditores*, gratiam me initurum spero, vt quantum elegantia decesserit orationi, tantum pietate in hanc almam religionis matrem accedere censeatis.

Dicere vero quum iam susceperim de singularibus Theologorum Ienensium in nostra sacra studiis, eximiisque virtutibus; vnde incipiat oratio facilius inueniri posse video, quam quo desinat: tanta est rerum praeclare ab illis gestarum multitudo,

tudo, vt non tam copia, quam modus in dicendo quaerendus ſit. Atque vt, quod caput cauſſae eſt, paucis complectar, in eo me facile confido *Vos* aſſentientes habiturum, vt veritati diuinae ex omnibus partibus ſua conſtet vis atque integritas, quatuor has res eius doctoribus adeſſe potiſſimum debere: diligens eloquiorum DEI ſcrutinium; certam eorum, quae tam intelligentia teneri, quam ſedulo pietatis exercitio peragi debent, ſcientiam; virtutem porro erroris redarguendi; prudentiam denique ſingularem, quae rerum antea geſtarum haud mediocri notitia egregie perficitur. Et, quod primo quidem loco commemorauimus, religioſam voluminum ſacrorum curam; illud adeo mirum eſſe non debet, vt, qui aliter hic vellet ſtatuere, alienus merito a pietate videretur. Ea enim eſt diuinioris ſcientiae felicitas, vt, quum in aliis humanae cognitionis partibus aeque in vitio ſit poſitum, auctoritatibus confidere, atque easdem temere proculcare; hic auctoritate, diuina, eaque haud fallaci, ſtare vnice et acquieſcere tuto liceat. Atque vtinam, tanta ſemper ab omnibus reuerentia exciperentur oracula Numinis, vt difficilius haud videretur nefandis eorum conatibus occurrere, qui ad confirmandum ſcelus ſuum iisdem abuti conſueuerunt, quam illa fide non dubia caſtiſſime retinere. Nunc vero, quum in eum locum res deducta ſit, vt non minor opera in vindicandis DEI effatis, quam in iisdem enucleandis collocanda ſit; quis eſt, qui neget, eos, qui hic apud nos ſacras litteras docuerunt, in hac praecipue cauſſa maxima cum laude verſatos eſſe: qui, poſt excuſſum diuina gratia humanae auctoritatis iugum, cum primis DEVM ipſum loquentem perceperunt: qui fontes ſacros incredibili diligentia prius exhauſiſſent, ſi quidem humanae diligentiae hoc datum eſſet, quam vmbratici olim doctores impuros vix riuulos deguſtarent: qui non inanibus vocum ludibriis, (fuit enim haec quondam fraus nefanda) non decretorum temerariis ſancitis, non leuisſimis credulorum hominum fabulis, ſanctisſima praecepta inuolui, atque hominibus imponi, amplius paſſi ſunt: ſed, quidquid Romanorum imperioſa conſuetudo, quicquid ſacra antiquitas non corrupta, quidquid denique ratio luminis reſidui

residui offerret ad muniendos oraculorum sacrorum aditus, id omne sedulo congesserunt, quo magis deinde illis deliciis secure, pie, ductu ipsius Numinis, vti fruique possent.

Floret hac laude VICTORINVS STRIGELIVS, hac saltim in caussa inter primos egregie versatus. Celebrantur suo merito IVSTVS IONAS, GEORGIVSque RORARIVS, quibus, si plenum Academiae splendorem videre non licuit, aequalis tamen vtique gloria cum reliquis debetur, quos magnus ille LVTHERVS, in perpolienda atque illustranda sanctorum voluminum interpretatione, socios peritissimos, in studiis erga Vates nuntiosque diuinos aemulatores strenuos, hunc etiam, in aeternis ingenii sui monimentis ad posteros integre tradendis, gratissimum post fata discipulum habuit. Iam, quid de MATTHIA FLACIO dicemus? quem prouidentia diuina ex vltimis Illyriae partibus a superstitiosis atque obscuris hominum, ordini sacro adscriptorum, otiis in hanc splendidam Germaniae atque veritatis lucem euocauerat: quantam is industriam, quantam sapientiam, huc attulit? quam scire recessus Scripturae abditos reserauit? quam perspicua breuitate, quidquid ex ore Christi, quidquid ex institutione primariorum Seruatoris nostri discipulorum haurire posset, complexus est? vt tantis meritis maculam, quae fere insedit atque inueterauit in nomine ipsius, si delere penitus noluit, abstersisse tamen videatur. Quam feliciter ERHARDVS SCHNEPFIVS mirae facundiae exquisitam oraculorum sacrorum peritiam iunxerit, quanta pietate NICOLAVS SELNECCERVS ancipitem fortunam vel septies ipsi mutatam hisce studiis munitus tolerauerit; testimoniis confirmare opus non est, quum scripta loquantur. IOHANNIS autem AVENARII memoria ab hoc instituto nostro sine iniuria eo minus abesse potest; quo magis non eius tantum sincerus in DEVM adfectus toti fere Christianorum genti ita placuit, vt ipso, tamquam pietatis suae interprete, variis linguis vti hodieque non desinant; sed eruditis etiam fatendum est, tanta praesidia ab eius tempore exspectari vix potuisse, quanta hic ad faciliorem voluntatis diuinae cognitionem ex linguae sanctae penetralibus expromsit. Immortale

tale nomen, quod SALOMO GLASSIVS ex hisce ſacrarum litterarum ſtudiis retulit, ſi iam ego demum celebrare inſtituerem; verendum mihi vtique videretur, ne illo lepide dicto exciperer, quo noctuas olim Athenas ferri dixerunt. Quae enim legitur in hunc vsque diem erudite conſcripta de oraculis diuinis pagina, quae hoc nomine laudato non exornetur? Quis ſine hoc magiſtro tirocinium ponit ſanctioris diſciplinae? Quis vero etiam eſt, qui hoc depoſito illum cum aliis quibusque grauiſſimis ſcriptoribus in conſilium non adhibeat? Qui vel hoc nomine omnibus admirationi eſſe debet, quod, quum ante ipſum monita, tam multorum, diſperſa quidem, haud ſufficerent ſanctiorum diſciplinarum ſtudioſioribus, in hunc fere omnium oculi etiamnum vnice dirigantur. Neque tamen obſcura cuiquam eſſe poteſt IOHANNIS MICHAELIS DILLHERRI fama praeclara, quem Noribergenſibus, ad quos delatus a nobis eſt, multi, etiam magni Principes, inuidere viſi ſunt, quem ipſe magnus ille Romanorum Imperator ita probauit, vt ſuae partis hominibus etiam exemplo eſſe poſſe iudicaret. Tantum valebat eloquentia: tantum elegantiore doctrina coeleſtis ſapientiae diſcipulos adiuuare poterat. Eadem ſane laude incenſus IOHANNES TOBIAS MAIOR non dubitauit vitam incertis marium fluctibus committere, ne ſcilicet exteri haberent, quo diligentia noſtrorum carere videretur. Quin IOHANNES ANDREAS DANZIVS ne ſic quidem adquieſcendum ratus, niſi et exteri habeant, quod a noſtris deſiderent, non ſolum incredibili opera, quidquid ad ſacra Hebraeorum monimenta ſpectaret, aceruatim ex regionibus etiam diſſitis huc contulit, ſed mira etiam ingenii felicitate ita adauxit, vt Lugdunenſium ex Batauis aemula in noſtrum ſtudia id decoris tantum non nobis eripuiſſent, niſi ſapientiſſima Numinis cura meliora nobis prouidiſſet: hoc ſuperaddens, vt, quam acerbiſſimo Eius fato faceremus iacturam, eam IOHANNIS REINHARDI RVSII meritis inſignioribus laetaremur aliquamdiu reſtitutam. Nondum enim indolere hic deſiit Muſarum cohors praecipiti eius caſu perculſa: maxime vero, quum aliud etiam Prytanei noſtri decus, IOHANNES IA-

COBVS SYRBIVS, ſpei noſtrae poſt Illum datus, non ſine magna quidem Ipſius gloria, ſed et maximo cum luctu noſtro inopinatum funus eſſet efferendus.

Nomina iam *Vobis* dixi, *Auditores*, quae vel audita delectare poſſint: quum dignae ipſis laudes breui oratione comprehendi nequeant. Haec enim animo meo penitus infixa haeret ſententia, cum omnis opera, quae ad conſeruandum rite Palladium illud, coelitus ad omnium ſalutem commiſſum, impenditur, ſumma vtique in laude ponenda ſit; tantas atque tam praeclaras multorum curas omnem orationis virtutem excedere.

Sed alius quoque iam honos cuique Theologorum huius Academiae optimo habendus eſt, quod non ſine magno exquiſitae doctrinae adparatu, quaecumque nos pandectae ſacrae immota fide amplectenda, quae actione exprimenda docent, ita grauiter argumentorum coniuncta vi corroborauerint, ita ſtrenue collatis quaſi in vnum ſignis vrſerint, vt nec mentibus cauſſa vacillandi aliqua, nec pertinaciae excuſationis occaſio vlla relicta ſit. Si enim, quae per volumina tam ampla diſperſa leguntur, animum pungunt, ſi iterata ſaepius vincunt; quanta iam a *Vobis* illa vis reputari debet, quam inſuperabilis, quae ordinato omnium conſenſu in admirationem rapit, quae impetu coniuncto aſſenſum extorquet, affectus corripit, atque erroris etiam ſuſpicionem dirigit. Nimirum diligentiae noſtrae acuendae, permiſit hoc DEVS, vt, quos Ipſe nobis ad perennem voluptatem, ad excitationem perpetuam diſperſit fragrantiſſimos coeleſtis ſapientiae flores, eos auide in vſus colligere noſtros, et, quae noſtri temporis eſt felicitas, collectos animo ſaltim memori recondere debeamus. Quidni enim maioribus, quidni huius in primis Muſarum ſacrarii religioſiſſimis Praeſidibus iſtud operae gratum referamus, qua tantis commodis noſtris prouide inſudarunt?

Quis eſt, quem fugiat PHILIPPI MELANCHTONIS circumſpecta ſedulitas, qua is etiam litterarum in Germania Parens dici meruit. Nam hic etiam Ienenſium honori ſuam addixerat operam, cum timor, quis? neſcio aliter eius mentem inflexiſſet, quocum antea non ſine omine a lethifera peſtilen-

tiae rapacitate bis ipsa Viteberga huc aufugerat. Quid iam porro KIRCHNERI ingenua cura laudabilius, qua suum ipse studium hic ita collocatum esse voluit, vt auctoritatis maiorum, et, quae merito nobis prima habetur, LVTHERI maxime studiosus intelligeretur. Quanta vero in celebratione apud omnes est magnum IOHANNIS GERHARDI nomen? Quanta in hunc omnium desideria? Ille est, quem singulari prorsus DEI dono prius seruatum esse nouimus, quam communi sorte nasci posset: quem fortuna in vtero matris adhuc absconditum paene abstulisset; quem casus alius fere consumeret; cum prouidentia Numinis liberatum commodo sui coetus restitueret praecipuo. Ille est, cuius indefesso labori vel quinque lustra suffecerant, non dicam ad conscribendos libros, sed ad maximas librorum moles consarcinandas: qui profusa eruditione quaecunque amplissime docet, ea limatissimo iudicio seligit atque discernit: cuius seuera in pietatem studia non tantum eruditorum circulis, non spatiosissimis Germaniae regionibus, non populis religione nobiscum consentientibus circumscribuntur; sed vltra maria, quin inter ipsos veritatis nostrae hostes, inter Graecos etiam cognita, meditationibus sanctissimis impleuerunt totum, qua patet, Christianum orbem. Hic tandem est, cuius egregie facta perpetuae omnibus admirationi erunt, magnis animis aculeos addent, inuidiam quoque, si et hoc addere liceat, aeternum angent; obscurare vero nulla vnquam dies poterit. O auspicatum ecclesiae sidus! O decus Academiae fulgentissimum! O felicem quoque Parentem! qui filium relinquere poterat IOHANNEM ERNESTVM, paternae virtutis ex asse haeredem atque non infelicem aemulum, quo vehementissimum leniretur Parentis desiderium. Quem dum prolixius persequitur affectus noster, indignum profecto esset praeterire GODOFREDVM CVNDISIVM, in quo, vtrum concinnam breuitatem an profundum acumen mirari magis debeas, omnino dubium videtur: aut sine amplissima laudum commemoratione IOHANNEM GVILIELMVM BAIERVM nominare, qui cupidos sanctioris disciplinae alumnos foecundissima doctrinae vbertate hic eo vsque innutriuit, donec sapien-

pientisſimus BORVSSORVM REX GVILIELMVS hunc noſtrum Fridericianae ſuae primarium decus conſtitueret, perpetuum ſane futurum, niſi vltimas ipſius curas ſereniſſimi VINARIAE PRINCEPS inflammandae ſuorum pietati efflagitaſſet. Et ſi praeterea ſummam VELTHEMII in refingendis ad ſanctitatem moribus hominum induſtriam, ſi HEBENSTREITI ſubtile ingenium enucleandis perſpicue omnibus, difficillimis etiam exercitatum, recogitamus: quid iam amplius deſiderari a noſtris poterit, quo flectantur hominum mentes, quo confirmetur veritatis diuinae ſcientia? Imo vero, omnes nominandi eſſent, quotquot rerum ſacrarum peritia hanc omnis ſapientiae officinam illuſtrarunt, ſi eorundem induſtriae mea par eſſe debeat oratio.

Quemadmodum autem gloria non minor eſt tueri parta quam quaerere: ſic multorum ex noſtris virtus maleficorum inſultibus prouocata, inſtitutis publice certaminibus, ad rectos de DEO ſenſus piosque cultus integre conſeruandos inclaruit egregie. Quid enim eſt, quod intentatum reliquerit callida malignorum pertinacia? quale genus eſt iniuriae, quod in veritatem non eructauerint? num ſcelus dici poteſt vllum, a quo inſana quorundam errandi voluptas abſtinuerit? Quis etiam locus ab inſidiis impoſtorum immunis prorſus fuit? Non lex tam ſancta, quam non proculcarent: non fides tam certa, quae ab eorum cuniculis tuta eſſet: non ſpes tam promiſſa, quam dubiam non redderent: nec ſolatium tam exoptatum, quod eripere non minarentur. Et, quae ſigillorum apud homines religio eſſe ſolet maxima, diuinis negata eſt. Mutilare, infringere illa non amplius reputatum eſt nefas. Sed, quid ego haec noſtra damna commemoro? rapta ab illis bona noſtra conquerar? cum ipſam (meminiſſe horret animus) ipſam eius maieſtatem, a quo omnibus parta ſalus eſt, impugnare non vereantur. Aut, Chriſtianum nomen multis ludibrio eſſe dicam? cum nec deſint, qui ad tremendam cogitationem ſanctiſſimi DEI ipſius nominis rideant. Proh DEVS immortalis! tantas hoſtium cateruas, tam deſperatos ſceleſtorum furores quis non miretur incredibili noſtrorum virtute atque inſupe-

rabili constantia ita omnes confectos esse, vt, qui antea interitum bonae causae minabantur, veritatis vim inexpugnabilem nunc extimescentes vix audiantur; obmutescant; quorundam ne quidem amplius etiam nomen supersit.

Atque hic quantum valuerit Antistitum veritatis Ienensium fortitudo maxima, etsi perspectum esse debeat omnibus: nomina tamen insignia a nobis in dicendo praetereunda non sunt. Multa quidem superiore loco iam laudauimus, non repetenda: alia dicemus inferius. Hic agmen ducit NICOLAVS AMSDORFFIVS et genere et infula nobilis. Iam praesto est TILEMANNVS HESHVSIVS, quantos ex iustitia animos fides inspirare possit, prolixe exponens. Docet REVDENIVS, quibus signis Christus Imperator summus, qui sua ipsi dant nomina, duci atque confirmari velit. Hostes excipit intrepide GEORGIVS MYLIVS, acerrimus libertatis Euangelicae vindex. Reprimit etiam strenue PETRVS PISCATOR. Fortiter irruit ALBERTVS GRAVERVS. Nec segnis est IOHANNES MAIOR. Acriter vrget IOHANNES HIMMELIVS. Confundit ordines quasi conglobatos IOHANNES MVSAEVS, atque acies aduersariorum concatenatas perrumpit. Turbat CHRISTIANVS CHEMNITIVS. Prosequitur SEBASTIANVS NIEMANNVS. Leniter vero succedens FRIEDEMANNVS BECHMANNVS, ne quidem tutum, quo se, recipiant locum relinquit vllum. Nouissimos impetus refraenat MICHAEL FOERTSCHIVS. WVCHERERVS insidias etiam longinquas detegit. Iam, quos pertinacia satis audaces reddit, curuas elabendi vias taciti quaerentes pereunt. Aliqui, quos poenitere infelicis pugnae coepit, victas porrigunt: nostris seruandos se committunt. Veritas ita ex omni parte victrix nostris in oris gloriosa triumphat.

Reliquum est, Auditores, vt, quam sollicite religionis in hac artium bonarum matre custodes integerrimi nostros homines ad prudentiam, si in re vlla, in sacris profecto necessariam, informauerint, paucis edisseramus. Quam cum prae-
stare

ſtare ars nulla ex ſe ipſa posſit, meminiſſe vero, quae res temporum praecedentium periculo feliciter geſtae ſint, quae ſecus acciderint, egregie conferat: quin illud hiſtoriae genus, quod rerum in orbe ſacrarum vicisſitudines pandit, vtramque hic faciat paginam, dubitari prorſus nequit. Haec ſane pietatem alit, grauitatem decet, ſcientiam illuminat, oblectat in otiis, ſpes vanas eximit, feruorem moderatur, monet in ſecundis eccleſiae rebus, in afflictis erigit. Haec acutos ad praeuidendum, paratos ad occultas impoſtorum fallacias, cautos ad pericula praeſentienda, lenes in corrigendis fratribus, ad perferendos etiam faciles reddit. Haec timide in diuinis ſtatuere, non niſi cum reuerentia de DEO cogitare, tandem ad coniungendum publice piorum ardorem in medium prudenter docet conſulere. Quis iam adeo ineptus eſt, vt has litteras non amet? Quis tam rudis, vt, quo difficilior ad illam hiſtoriae veritatem eſt aditus, eo magis extollendos neget, qui in hoc etiam admirandi ſunt, quod illam primi inueſtigarunt?

Noſtis, Auditores, noſtis illas centurias, quae totum orbem ſuo tempore dare in ſtuporem poterant: a quibus Roma perditisſima, cum propter ſcelerum conſuetudinem atque arrogantiam haud tolerandam erubeſcere non poſſet, victa tamen infamiae conſcientia prae timore palluit atque penitus commota eſt. Mirabile dictu! Quae Auguſtorum potentia terreri non poterat, quin auctoritati eorum pesſime inſultaret; quae flumina ſanguinis teſtium veritatis calidisſime furibunda abſorpſit: ea paucorum quorundam et fere ignotorum hominum liberiori ſtylo ita conturbatur, vt, quibus conſiliis ſalua eſſe, quibus mendaciis tegere ignominiam posſit, anxie quaerat. Et qui ſunt tandem? Principes ſane inuidendi huius operis auctores Iena habuit. Eſt MATTHIAS FLACIVS. (Cur enim bis laudare eum poeniteat, cuius innumera fuerunt bene merendi ſtudia?) Quem, dum cultro abuſum eſſe criminantur aduerſarii, vt ſcilicet habeant, quod praetendi posſit: cogitare vtique debebant, rectius ab iniuſtisſimis obliuionis vinculis tinearumque iniuria aeternos praeſtantisſimorum foetus cultro vindicari, quam ſtrictis enſibus rogisque accen-

ſis ſaeuitum ab ipſis eſt in confeſſores veritatis, atque etiam Lupatinus, Flacii ingenuus ad pietatem magiſter, voraginibus aquarum ſubmerſus. Eſt praeter hunc IOHANNES WIGANDVS, qui ab initiis obſcuris vsque ad Epiſcopatus Pomezanenſis faſtigium euehi meruit. Eſt etiam MATTHAEVS IVDEX vir in tantum laudandus, quantum inuidiae diſplicuit. Iſti, inquam, ſunt, qui Herculea molitione id effecerunt, quod antea quisquam non tantum non ſuſcipere, ſed ne optare quidem auſus fuiſſet. Si vero illi in tanta ſui temporis obſcuritate, tam denſis fraudum nubibus circumſepti, tantum potuerunt: quid Vos tunc futurum fuiſſe putabitis, ſi ad hanc noſtram litterarum lucem pertingere fuiſſet datum, quae fallaces etiam nebulas diſſipat. Docuit exemplo ſuo IOHANNES FRANCISCVS BVDDEVS, Reip. litterariae fulcrum heu! quondam ornatiſſimum. Quae enim fata diuini cultus nunc antiquati tam remota ſunt a cogitatione noſtra, vt eius ſcientiam effugerent? Quae reparati per Chriſtum orbis memoria tam longinqua eſt, quin exploraret ſagaciſſime? quale doctrinae genus in ſacris tam inuolutum, vt ad hiſtoriae lumen non explicaret? quae tandem ad diuinam ſapientiam inueniri hac duce via poteſt, quam ille non praemonſtrauerit?

Haec vero, *Iena*, fuit tua felicitas priſtina, quam incomta hucusque celebrauit oratio. Praeſentem non attigit: cuius nec repetenda veluti memoriae antiquae explicata recordatio, nec lingua mea balbutiens dignum agere praeconem poteſt; quum veſtri videant oculi, quum aures veſtrae percipiant. In illis ſane, quos commemoraui, lucida virtutum exempla ex oculis euanuerunt: haec in praeſentibus illuſtria plane conſpicitis. Illorum ſolidisſimas doctrinas legere ex monumentis, quibus viuunt, debetis: horum aurea dicta etiam ſonora vox tenaci infigit memoriae, et vehementer Vobis comprobari, plauſus quotidiani ſignificant. Quid ergo nominare opus eſt WEISSENBORNIOS? Quid dicere WALCHIOS? quid HALLBAVEROS compellare? quorum grauitatem omnes ſuſpicitis, quos ſummo cum amore, fauentibus cun-


ctis;

ctis; quos vlla publicae ſalutis cura tangit, magnifice, vti par eſt, ipſi iactatis; quorum gloriam famamque tot ſacra loquuntur pulpita reſonantque. Satius erit optare, vt tanta Eccleſiae columina, tam coruſca Muſarum ornamenta diuturna ſint, atque tantorum luminum radiis, longiſſime ſparſis, laetiſſima noſtris coetibus bonorum omnium ſeges magis in dies magisque effloreſcat.

Intelligere Vos iam puto, Auditores, quaenam ex hoc ſcientiarum emporio incrementa pietas ſumſerit, quot fulcra habuerit religio. Haec pars, licet eximia ſit, vna tamen eſt: cui ſi addatis iura, quae diſtribuuntur hominibus, aequiſſima, ſi conſilia viuendi ſaluberrima haud negligatis, praeſtantiſſimi ſapientiae omnis generis theſauri ſi connumerentur: quid iam deeſſe ad gaudiorum cumulos exiſtimatis? quae gratia par tantis beneficiis dici poterit? Maiores noſtri hanc nobis libertatem ſuo ſanguine redemerunt: nos conſeruatam nullo periculo noſtro parui duceremus? illi, quo poſterorum felicitatem praemunirent, profundere omnia viſi ſunt: nos etiam laudibus parceremus? Abſit haec ignauiae macula a nomine Germano! abſit haec, ne quid peius dicam, imprudentia! Hic potius voces congratulantium audire decet. Tam laetam memoriam aequum eſt conceptis votis celebrare. Hic ſupplicationes rite inſtituuntur. Hic precibus etiam de futuris alacriter contendendum. Iſte ſaltem orationis meae finis erit. Tuam vero, DEVS immortalis! prouidentiam ſingularem prorſus, quo tandem modo recte praedicabimus? quae verba beneficiis hisce innumeris digna reperiri poterunt? qui felicitati Ienenſium non annos, non luſtra ſolum, ſed tota ſecula tribuere clementer voluiſti. TVA gratia factum eſt, vt in hunc vsque diem vanis inuidiae moliminibus, irritisque minis ingruentium ſubinde malorum inconcuſſa ſtet huius Athenaei gloria. TIBI etiam futura vnice committimus. TE pro exoptatiſſima ſalute SERENISSIMORVM PRINCIPVM, NVTRITORVM ACADEMIAE INDVLGENTISSIMORVM ſupplices exoratum vehementiſſime cupimus, vt ſub fortiſſimis

HEROVM SAXONIAE clypeis noſtrae religionis decus tutum appareat ſemper atque ornatiſſimum. TIBI precibus humillimis enixe commendamus PRORECTOREM MAGNIFICVM, ciuium amorem, eruditi orbis delicias, cum toto PATRVM CONSCRIPTORVM Ordine ſplendidiſſimo, vt, quam ipſorum nominibus gloriam IENA mutuatur, per Ipſos diuturnam, quin indies auctam laetiſſima perſpiciat. TVIS denique auſpiciis Optimos Commilitones, ſpem totius Germaniae florentiſſimam ducendos feliciter atque protegendos permittimus, qui ſuo exemplo famam, qua dudum Iena excelluit, non demonſtrent ſolum, ſed etiam ſuperent. Sic validiſſima erit TVO praeſidio haec arx veritatis. Sic felix beneficiis TVIS aeternum manebit virtutis ſeminarium ſumma haec votorum eſt, atque eſſe niſi cum hoc meo halitu deſinet nunquam.

DIXI.



II. DISSER-

II.
DISSERTATIONES.

I.


DISSERTATIO
DE
RITV SANCTIORI COETVI OLIM SOLEMNI, ACCLAMATIONIBVS SACRORVM ANTISTITES ELIGENDI

QVA

VIRO
MAGNIFICO SVMME REVERENDO
ATQVE EXCELLENTISSIMO
FRIDERICO ANDREAE
HALLBAVERO
SANCTIORIS DISCIPLINAE DOCTORI AC PROFESSORI PVBLICO ORDINARIO CELEBERRIMO, SERENISSIMI DVCIS SAXONIS ISENACENSIS A CONSILIIS SACRIS, CIVIVM GOTHANORVM ET ALTENBVRGENSIVM IN FLORENTISSIMA HAC ACADEMIA INSPECTORI SPECTATISSIMO ET SOCIETATIS LATINAE DIRECTORI GRAVISSIMO

SVMMAM
DIVINIORIS DOCTRINAE
DIGNITATEM
SOCIETATIS LATINAE NOMINE
GRATVLATVS EST
CHRISTIANVS HENRICVS ECKHARD
IVRIS VTRIVSQVE DOCTOR
SOCIETATIS LATINAE EPHORVS.

IENAE MENSE DEC. A. O. R. CIↃ IↃCC XXXX.



VIR MAGNIFICE

SVMME REVERENDE
ATQVE EXCELLENTISSIME
DIRECTOR · SOCIETATIS LATINAE
GRAVISSIME



SI, quam virtus per ſe pulchra ac ſplendida eſt, tam quoque mirabiles ſui amores excitare creditur; dubitare non potes, VIR SVMME REVERENDE ATQVE EXCELLENTISSIME, quin TVA cauſſa ea omnia fiant, quae iam incredibili voluptate auribus oculisque percipimus. Quid eſt? exſultant omnes laetitia, fauſtiſſimae Muſarum audiuntur acclamationes, et vniuerſae academiae, ſicut mentes oculique, ita ſtudia in TE conuertuntur. Non ita neſcii ſumus, quantas vires virtus habeat, quid admirabilis doctrina, quid ingens meritorum decus valeat, vt non ex honorificentiſſimo iudicio, quod cum ſempiterna TVA gloria SERENISSIMI huius diuinae humanaeque ſapientiae domicilii CONSERVATORES haud ita pridem coniunxerunt, commune hocce gaudium profectum eſſe intelligamus. Quem non commoueat ſplendor gloriae TVAE, tam praeclari, tam inſignis honoris acceſſione mirifice auctus? qui omnium animos, etiam

etiam eorum, qui plane ab honeſtae laudis ſtudio auerſi ſunt, perſtringit. An quis cogitare poteſt de admirabili honorum TVORVM curſu, quin ſimul ſumma quaeuis, excelſa, ampla omnia, animo ſibi proponat, et fortunam ipſam cum virtute certare perſpiciat? Quemadmodum vero magnopere quisque gloriae, meritis partae, fauet; ita quoque iudicio, quo honores iis, quos virtus omnibus venerabiles fecit, deferuntur, vehementer delectatur. Quo ergo laetiſſimae illae voces ſpectant? eo ſcilicet, vt, quum virtus TIBI vnice ad dignitatem, quam cepiſti, ſuffragetur, omnes quoque, qui virtuti ſtudent, ſuffragari TIBI intelligas. Quid aliud, quaeſo, prae ſe ferre videtur mirificus votorum concentus, quam ſummam animorum voluntatumque conſenſionem, qua ad eorum, qui academiae noſtrae ſaluti omnibus modis prouident, iudicium ſuam quisque adſcribit ſententiam? Ita TE, VIR SVMME REVERENDE ATQVE EXCELLENTISSIME, ſumma SERENISSIMORVM PRINCIPVM prouidentia ad ſplendidiſſimum munus prouexit, ſed vna quoque bonorum omnium vox illud TIBI defert, quia his aeque, atque illis probatae ſunt excellentisſimae TVAE virtutes, et ſpectata praeclarisſima TVA in diuinarum rerum diſciplinam merita, vtpote quae quotidianis illorum ſermonibus celebrantur, et praeconiis veluti conſecrantur. Sic ſeſe nobis probent, qui honores conſequuntur, vt ab eorum, a quibus ornati ſunt, voluntate nullius disſideat opinio, ſiquidem illa demum vera ſolidaque felicitas eſt, dignum videri felicitate. Contigit itaque TIBI, quod priſcis ſanctioris coetus doctoribus, quos Patres vocant, accidiſſe nouimus, qui acclamationibus populi ad ſummos in ſacra republica honores ſunt euecti. Proditum memoriae eſt AMBROSIVM (*a*) et HIERONYMVM, (*b*) duo religioſi et coeleſtis veritatis luce

(*a*) vid. PAVLINVS in *Vita Ambroſii.* SOZOMENVS *L. VI. c. XXIV. Hiſtor. eccleſiaſt.* SOCRATES *L. IV. Hiſt. eccleſ. c. XXX.*

(*b*) Ipſe HIERONYMVS *T. IV. P. II. ep. XXVIII. p. 66.* de ſe ait: *antequam domum S. Paulae noſſem, totius in me vrbis ſtudia conſonabant, omnium paene iudicio dignus ſummo ſacerdotio decernebar.* Confer.

GOTT-

ce colluſtrati aeui decora, acclamationibus ad capeſſendam rerum ſacrarum curam vocatos eſſe. Quid AVGVSTINVM, ſtrenuum et indefeſſum purioris Dei cultus vindicem, ad ἐπισκοπῆς amplitudinem prouexit, niſi acclamatio populi? (c) ERADIVM, quem ob egregias, quibus omnes antecellebat, virtutes ipſe Auguſtinus ſucceſſorem ſibi optabat, vna omnium vox ERADIVM EPISCOPVM, ſacrorum antiſtitem, declarauit atque conſtituit. (d) Non male rationes ſubducere videmur, ſi ex his, aliisque exemplis, colligamus, vſu veniſſe apud veteres, qui quarto ſaeculo Chriſti ſequebantur doctrinam, vt acclamationibus illi eligerentur, qui ſacra curandi, legesque diuinas interpretandi, munus ſuſtinerent. At quid hariolationibus, quid coniecturis opus eſt? ſi luculentisſima veterum, qui aeuum illud ſcriptis non minus, quam virtutibus illuſtrarunt, monimenta clarisſime loquantur. Quis locupletior huius rei teſtis eſſe poteſt, quam ipſe AMBROSIVS? quid ait? *in ordinationibus eorum* (ſacrorum antiſtitum) *clamant et dicunt: dignus es, et iuſtus es.* (e) Quin acta ipſa, in quae more, Romanis ſolemni, relatae ſunt acclamationes, quibus ERADIVS ſacrorum apud Hipponenſes praeſul renuntiatus eſt, ad poſteritatis memoriam ab Auguſtino tradita, (f) tam aperte, tam luculenter hoc produnt, vt aliis ad hanc rem teſtimoniis non indigeamus. Sed EVSEBIVS quoque, grauisſimus diligentisſimusque ſcriptor, vti adcurate ritus in ſanctiori coetu receptos adnotauit, ita quoque praeclare memoriam huius conſuetudinis hiſtoriae ſuae monimentis conſignatam reliquit. Relatum enim apud eum legimus ſacerdotii munus FABIANO impoſitum eſſe, quum dignum eum eſſe omnes exclamarint. (g) Nec quarto demum ſaeculo morem hunc viguiſſe, ſed iam longe

GOTTLIEB STOLLE, quem honoris cauſſa nomino, in libello, bonae frugis pleniſſimo, quem inſcripſit: *aufrichtige Nachricht von den Leben der Kirchenvaeter* Cap. XXIV. §. V.

(c) POSSIDIVS in *Vit. Auguſtini Cap. IV.*

(d) AVGVSTINVS *ep. CX.*

(e) AMBROSIVS de *dignitate ſacerdot. c. V.*

(f) AVGVSTINVS *ep. CX.*

(g) EVSEBIVS *L. VI. Hiſtor. eccleſiaſt. c. XXVIIII.*

ge ante inualuisse, ex eo liquet, quod ORIGENES, qui tertio saeculo floruit, dum rationem eligendi sacerdotes sui temporis cum ea, quae Iosuae aetate obtinuit, comparat, *nulla*, inquit, *hic populi acclamatio, nulla consanguinitatis ratio, nulla propinquitatis contemplatio habita est.* (*h*) Ita acclamationes, quibus theatra primum personabant, in sanctissimorum hominum concilia penetrarunt: et, quod mireris, ritus, inter scenicas nugas et ludicras voluptates natus, ad grauissimam rem, electionem nimirum sacerdotum, traductus est. Quamuis vero eam ob caussam veteribus primum adeo sorderet acclamandi consuetudo, vt in turpissimis fere haberetur; postea tamen, quemadmodum fit, vt, quae parum decora et honesta olim visa, a posteris pulchra putentur, tantum illi dignitatis accessit, vt sapientissimis etiam mirum in modum placeret. Etenim non eruditorum tantum vmbracula strepebant acclamationibus, verum in foro etiam, et in ipso amplissimo ornatissimoque Senatorum consessu illae audiebantur, quibus maxima quaeuis negotia conficiebantur. Ecquis ignorat Senatus consulta apud Romanos acclamationibus condita? quod repetitis ex annalium vetustate exemplis eleganter iuxta ac luculenter comprobauit nobile et carum Musis nomen, FRANCISCVS BERNARDINVS FERRARIVS. (*i*) Non maior honos Principum orationibus haberi poterat, quam vt acclamationibus, vti PLINIVS auctor est, (*k*) in Senatu exciperentur, quae, ne intercideret tam illustris rei memoria, aeri incisae in publica acta referebantur. Quid restabat amplius, vt in summo loco sitae essent acclamationes? illud scilicet, vt magistratus, imperii rectores et custodes, et ipsi denique Principes, iis crearentur. Sed hoc quoque Romanis solemne fuisse, satis testantur annales. VALERIANVM Patrum conscriptorum acclamationibus nouo et antehac inaudito exemplo

(*h*) ORIGENES *Homil. XXII. in Numer.*

(*i*) FERRARIVS de *veterum acclamationibus et plausu L. IV. c. II*, quod excellentissimum opus recudi curauit immortale omnis humanitatis decus, IO. GEORG. GRAEVIVS in *Tomo VI. Thes. Antiquit Rom.*

(*k*) C. PLINIVS in Panegyr. c. LXXV. add. ep. IX. L. IV.

plo Cenſorem delectum eſſe, accepimus a TREBELLIO POLLIONE, qui et formulas, quibus conceptae fuerunt, egregie prodidit. (*l*) Si quid video, ipſe C. PLINIVS ſummum et amplisſimum honorem, conſulatum, acclamationibus acceptum refert his verbis: *Vos P. C. proxime deſtinationem conſulatus mei his acclamationibus adprobauiſtis, vt intelligam, etiam atque etiam enitendum mihi, vt hunc conſenſum veſtrum complectar, et teneam, et indies augeam.* (*m*) Sed non diu hoc magiſtratuum honori datum eſt, fortaſſe, quod auguſtius quid prae ſe ferret talis electio, ideoque Principes etiam hoc modo ad publicae ſalutis gubernacula ſunt admoti. TACITVM ſane, ſi FL. VOPISCO, non leui hiſtoriae auguſtae ſcriptori, vti fas eſt, credimus, imperatorem fecerunt voces: *Tacite Auguſte, Dii Te ſeruent: Te deligimus, Te principem facimus, Tibi curam reipublicae orbisque mandamus*, quae a Senatu, quum de deligendo ageretur imperatore, emittebantur. (*n*) Et MAXIMVM atque BALBINVM acclamationibus factos eſſe imperatores, diſerte IVL. CAPITOLINVS ſcribit. (*o*) Quo modo PROBVS ad imperium peruenit? nonne acclamationibus militum, qui tum imperatores adpellandi ius ſibi vindicauerant? (*p*) Haec non efficiant, vt mirari quis deſinat, cur in ſanctiorem coetum migrauerit conſuetudo, acclamationibus ſummos creandi ſacerdotes? profecto non longe repetenda eſt huius rei cauſſa. Qui enim acclamationes indignae videri poterant ſacerdotum electionibus, et alienae ab eius rei grauitate, quum longus vſus et longa conſuetudo omnem deformitatis opinionem, quae fortasſis animis hominum initio inſederat, iam pridem exſtinxiſſet? Quod ſummis magiſtratibus honorificum, quod ipſis Principibus glorioſum credebatur, id parum ſacerdotum creatione dignum haberi non poterat. Tanto magis vero certum eſt, a Romanis morem hunc eos, qui purioribus ſacris addicti erant, accepiſſe, quod his eadem fere, quae Romani tum facere conſueuerant, ſolemnia fuiſſe,

(*l*) TREBELL. POLLIO in Valeriano Patre et filio cap. I.
(*m*) PLINIVS in Panegyr. c. XCV.
(*n*) FL. VOPISCVS *in Tacito c. IV. et V.*
(*o*) IVL. CAPITOLINVS in *Maximo et Balbino* cap. III.
(*p*) FL. VOPISCVS in *Probo* cap. X.

fuiſſe, compertum habemus. Actis, ſeu publicis tabulis, mandatas fuiſſe acclamationes, quibus magiſtratus aut Principes deſignabantur, (id quod Traiani aeuo primum fieri coepiſſe, recte animaduertit vir ſummus, ISAACVS CASAVBONVS, *(q)* C. PLINIVS, AEL. LAMPRIDIVS, IVL. CAPITOLINVS, aliique rerum romanarum ſcriptores, docent. Idem vero in ſacris conciliis obſeruatum eſſe, ex Auguſtino diſcimus. *(r)* Porro easdem formulas vſurparunt Chriſtiani, quibus Romani vtebantur, et quemadmodum hi clamabant, *dignus eſt et fortis et iuſtus,* *(s)* aut *aequum eſt et iuſtum eſt;* *(t)* ita in illorum conuentibus audiebantur voces ἄξιος, vel *dignus eſt, iuſtus eſt.* *(u)* Deinde Romani diligenter adnotare ſolebant, quoties quidque inter acclamandum repetitum eſſet, ceu ex TREBELLIO POLLIONE et FL. VOPISCO liquido adparet. Et hoc quoque imitati ſunt, qui Chriſto, optimo Soteri, nomen dederunt, quod tabulae acclamationum, quibus ERADIO ſummam ſacrorum poteſtatem delatam eſſe diximus, ab Auguſtino epiſtolis ſuis inſertae, manifeſto oſtendunt. *(x)* Videant itaque, quem in ſuam trahant ſententiam, qui, a Graecis hanc conſuetudinem profluxiſſe, ſibi ſine ſponſore credi volunt, et eamdem χειροτονίαν vocari, aut ſaltim cum ea conuenire, contendunt. *(y)* Equidem non ignoro, (cui enim non dictus Hylas?) morem fuiſſe Athenienſibus, quo magiſtratus eleuatis a populo manibus creabantur, quem χειροτονίαν adpellarunt, eumque ſanctiori etiam coetui admodum familiarem fuiſſe, vtpote quod ſatis demonſtrauit doctiſſimus et de antiquitatibus ſacris immortaliter meritus

(q) ISAAC. CASAVBONVS ad *Volcatium Gallicanum de Auidio Caſſio p. 466.*

(r) In actis ordinationis Eradii haec legimus: *A Notariis eccleſiae, ſicut cernitis, excipiuntur, quae dicimus, excipiuntur, quae dicitis: et meus ſermo et veſtrae acclamationes in terram non cadunt. Apertius vt dicam, eccleſiaſtica nunc geſta conficimus.*

(s) VOPISCVS *in Probo c. XI.*

(t) CAPITOLINVS in *Maximo et Balbino c. II.*

(u) AMBROSIVS de *dignit. ſacerdot. cap. V.*

(x) AVGVSTINVS in ep. CX. *dignus et iuſtus eſt dictum eſt vicies.*

(y) v. IVSTVS HENNING. BOEHMERVS, vir illuſtris, in *Iure eccleſiaſt. proteſtant. T. I. L. I. T. V. §. XVIII.*

ritus IOSEPHVS BINGHAMVS. (z) Sed quid, quaeso, simile habet χειροτονία cum acclamationibus? et quam diuersa sunt *porrigere manus* et *edere acclamationes?* quae tamen coniuncta semper fuisse, haud obseruamus. Tanto maiori vero laude digna est haec consuetudo; quanto magis pristinam reipublicae sacrae faciem repraesentat, et quanto clarius ex ea incorruptae integritatis imago elucet. Quid? nonne luculenter illa ostendit, proprium adhuc fuisse vniuerso populo ius eligendi eos, qui sacris praeessent? et nondum hoc vni delatum esse, qui ex libidine munera sacra, veluti Alexander ille Magnus commilitonibus suis regna, diuideret. Cui enim potius hoc debetur, quam ipsi coetui, sacris addicto? cui negare nefas est, quod aliis collegiis permittitur, vt sibi de ornamentis et praesidiis salutis suae prospiciant: quem melius sibi consulere verisimile est, quam quemquam alium, qui libidini suae, non communi vtilitati, seruit: et quid denique aequius, quam vt is, qui praefuturus est omnibus, ab omnibus quoque eligatur. (a) Hinc illae acclamationes, quae non laetitiae tantum declarandae caussa, nec adprobationis gratia, vti nonnulli falso opinantur, sed quia ad ferenda suffragia adprime adcommodatae videbantur, vsurpatae sunt, vt testes essent, omni exceptione maiores, iustae et legitimae potestatis, quae in populo residebat, eligendi sacrorum praesules: quod argumentum prae ceteris clarissimum, recte vrget laudatissimus BINGHAMVS. (b) Quemadmodum vero sapientissimis virorum, diuinitus adflatorum, institutis conuenientissima est haec sanctioris coetus praefectos per suffragia populi constituendi ratio, quam postea nefanda ambitio turbauit, et insana dominandi libido peruertit; ita quoque iure merito electionis formula, quam apud AVGVSTINVM legimus de creatione ERADII, optima visa est AONIO PALEARIO, (c) de quo TV tam praeclare meritus es, VIR SVMME

(z) IOS. BINGHAM in Antiquitat. ecclesiast. L. IV. c. VI. §. XI.
(a) Ita praeclare sentit LEO M. in *ep. X. ad episcopum Viennensem.*
(b) IOS. BINHGAM *in Antiquitat. ecclesiast. L. IV. c. II. §. VI.*
(c) vid. AON. PALEARII *actio in Pontif. Rom.* c. XVI. p. 401.


ME REVERENDE, vt hoc non fortuito factum videatur, quia eloquentissimi huius emendatorum sacrorum vindicis virtus a summo quoque oratore et insigni diuinioris doctrinae interprete, illustrari, omniumque saeculorum memoriae commendari debebat. Vides itaque, non assentationis, non ambitionis voces esse, quibus iam aures TVAE vndique circumsonant, sed TVAE virtutis, quae tam magnifice exsplenduit, et TVORVM meritorum, quibus honores, antea gestos, immortaliter illustrasti. Nihil enim magis ad ampliores honores consequendos prodest, quam munera optime pulcherrimeque administrata, siquidem is, a quo iam profecta sunt praeclarissima in rem publicam merita, ea quoque in dies magis magisque augere potest, et communem salutem quam maxime amplificare. Nae hoc facile quisquam multo ante, vt vates, praedixerit Musis Ienensibus, fore, vt TE splendidissimis honoris, quo iam fulges, insignibus conspicuum videant, si, quod PLINIVS recte dixit, *magistratum magistratu, honorem honore peti (d)* probe perspectum habuerit. Quis non videt ideo summum, quod omnia moderatur, Numen nouum et amplissimum virtutis theatrum TIBI aperuisse, vt, quantum eloquentiae decus amplificasti, tantum quoque sanctioris disciplinae dignitatem sustineres, et a vanorum hominum impetu strenue defenderes. Eat in omne aeuum illustre hoc, et numquam satis praedicandum exemplum, per oratoria ornamenta, per summa, elegantioribus litteris parta, decora ad exquisitae sacrarum litterarum doctrinae laudem HALLBAVERVM NOSTRVM contendisse. Iam tandem bene de se sperare incipient Musae mansuetiores, iam obmutescent barbari istisque infensissimi homines, nec amplius furere et vociferari audebunt, politiores litteras per se quidem pulchras et satis vtiles, nulli tamen ad vllam sublimioris scientiae laudem adiumento esse, sed voculas eiusmodi maleuolorum, aut vilissimae eruditorum plebeculae, cordatiores TVO exemplo acriter repriment et obtundent. Tanto maior, tanto excellentior est diuinae legis in-

 ter-

(d) PLINIVS *in Panegyr. c. LXX.*

terpres, qui interiorem litteraturam cum diuinioris ſcientiae ſtudio coniunxit, qui aliis, a praeſtantiſſimo hoc praeſidio imparatis, veluti caliginem inducit: quemadmodum et veteris iurisprudentiae lumina Q. MVCIVS SCAEVOLA, Cicerone teſte, iuris peritorum eloquentiſſimus, (e) M. CATO, (f) SERVIVS SVLPICIVS (g) et Q. AELIVS TVBERO per oratoriam artem viam ſibi ad id, quod ſummum eſt in iuris ſcientia, muniuerunt. Diu meditati ſumus vota, VIR SVMME REVERENDE ATQVE EXCELLENTISSIME, quibus incitatiſſimae pietatis, qua TIBI addicti ſumus, adfectum publice teſtaremur, quae clauſa pectore huc vsque impatienter continuimus, quum ſplendidum honorum TVORVM curſum videremus. At ita nobis ſecunda quaeuis et optata contingant, vt iucundiſſimo gratulandi TIBI officio omni, qua par eſt, animi reuerentia religioſe fungimur, et pia vota ad TE deferimus. Quorum hanc veluti ſummam facimus, vt aeterna laude florenti virtutis TVAE gloriae ſuperſtes quam diutiſſime ſecundis academiae rebus, et ipſi poſteritati, interſis. Vale.

(e) CICERO *de oratore L. I. c. XXXIX.* in Bruto c. XXXVIIII.
(f) CICERO *L. I. de orator. c. XXXVII.*
(g) CICERO *in Bruto c. XLI. et XLII.* POMPONIVS in *L. II. §. XLIII. et XLVI. D. de Orig. iur.*



II. HER-

II.

HERMANNI SAMVELIS REIMARI

LINGVAR. ORIENTALIVM IN GYMNAS. HAMB. PROF. PVBL.

DE

OPTIMA RATIONE

DISCENDI DOCENDIQVE ELEMENTA LINGVAE LATINAE DISSERTATIO.

§. I.

Fatendum nobis eſt, viam optimam ad latinitatem nondum in ſcholis noſtris teneri. Optimam enim viam appello, qua quam fieri poteſt breuisſime et facillime diſcant pueri, non tantum auctores latinos accurate intelligere atque interpretari, ſed et virtutes eorundem loquendo ſcribendoque aſſequi. A quo fine quam longe abſint inſtituta noſtra ſcholaſtia, certisſimum argumentum praebet euentus. Nam viginti aetatis florentis anni hoc vno fere ſtudio conſumuntur: quibus iam operoſe exactis, vix tamen centeſimus quisque eſt adoleſcentium, quin oblatos meliores auctores latinitatis legens, vbique haereat in exponendo, ſtilumque prodat ipſe variis et grauisſimis vitiis contaminatum. Magno autem hoc incommodo generis humani et litterarum accidere, agnoſcet credo mecum, cui cor eſt; quoniam bona eademque opportunisſima vitae pars vna in lingua, idque corrupte, addiſcenda conteritur: linguae non tantum ceterae, ſed et artes atque diſciplinae vix obiter ſalutantur, vitae agendae ratio plane negligitur. Atque hinc fit, vt cruda ſtudia, ad Academias propulſa, labem ſuam in omne vitae et litterarum genus diffundant.

§. II.

In hac communi calamitate, quod pueritiam, quod tarditatem ingeniorum, quod negligentiam plurimorum accuſamus, nihil eſt. Nam puerilis aetas etiam mediocrium ingeniorum ad linguas vernaculas paucis annis, idque ſine magiſtro, arripiendas, per naturam ſuam idonea et procliuis eſt. Quare naturam ſi ſequeremur, in docendo, citius etiam illa et facilius et melius latina diſceret. Ea ratione equidem motus inquirendum putaui, quo pacto ipſa quaſi natura duce pueruli vernaculam linguam addiſcant, vt inde iudicari posſit, quousque latinae linguae tradendae ratio huic fieri posſit quam ſimillima.

§. III.

Primum obſeruamus, ſolere nos confabulari ſtatim cum puerulis pro captu eorum, ſermone cohaerente, quanquam breuiori-

uioribus ſententiis; interrogando eos frequenter, *quis* hoc dederit? *quid* dederit pater? etc. nullus certe hic nomenclator vocabulorum ſeparatorum ediſcendus proponitur. Inter confabulandum oſtenduntur quidem illis initio res ſenſibus obuiae, de quibus ſermo eſt; ſed quoniam mox audito vocabulo iam poſſunt rem ſignificatam, licet oculis non ſubiectam, animo ſibi effingere, vocabula rerum quondam obuiarum pro ipſis rebus ſubſtitui poſſunt; vt in puerulis, non minus ac ſi res praeſentes eſſent, notionem excitent. Atque hinc fit, vt vocabulum illis vocabulo explicari queat, ac denique vt integram orationem aſſequantur, etiamſi nulla res ſubiecta ſit ſenſibus. Iam illi, cum de rebus cogitant, mente ſimul vocabula earum ſolent voluere, pronique ad cogitata aliis aperienda, primum ſingulas res balbutiendo vocabulis inſignire incipiunt, deinde et paulatim coniungere vocabula, imitatione confuſa eorum, quos loquentes audiuerant. Quo frequentius autem colloquentes audiuerunt, quoque ſaepius ipſi tentarunt audita repetere et aliis narrare, eo citius et expeditius animi ſui ſententiam diſcunt enunciare. Atque ita intra paucos annos, in tanta debilitate virium mentis, ſine moleſtia, imo cum voluptate obtinent, vt quicquid cogitant, promte et feliciter eloquantur, eo pacto, vt eorum, quos audiuerunt, oris preſſum, modulationemque vocis, cum ipſis vocabulis eorumque genere, caſu, temporibus, modis, confuſa imitatione exprimi appareat, ſine vllis regulis grammaticis diſtincte perceptis. Fallit ſane interdum loquentes ſcribentesue confuſa iſthaec imitatio: vnde cuiuis, etiam vernacula lingua accurate ſcripturo, opus poſtea eſt grammatica, quo confuſa cognitio regularum in diſtinctam et minus fallacem tranſeat. Sed tum legentes grammaticam, regulas ſingulas ſtatim clare intelligunt, fideliter retinent, et rite applicant: quoniam habent iam in memoria copiam exemplorum ſingulis aptorum, nihilque agunt aliud, quam vt nota iam ſibi confuſe et prorſus familiaria, euoluant.

§. IV.

Quoniam ſola confabulatione diſcunt pueruli ſermonem vernaculum, nullum mihi dubium eſt, quin et latinam

I 5 linguam

linguam pari ratione iidem addiſcere queant, etiamſi ne voculam quidem aliam admiſcueris. Nam ſi pariter de rebus obuiis primo loquaris, ſubiiciendo res, de quibus verba fiunt, oculis puerorum, breui fiet, vt iam vocabula rerum notarum ſubſtitui rebus ipſis queant, et ita quibusdam notis vocabulis cetera adhuc ignota explicari. Sed et nihil impediet, quo minus loco rerum ipſarum vocabula vernacula primo adhibeas interpretandis latinis. Nam auditis vernaculis obuerſabitur menti imago rerum, quae iam ſub nouis his latinis nominibus concipiendae erunt. Perinde hic res ſe habet, acſi quis tibi narret aliquid de Calliergo quodam, noto quidem tibi per ſe ſub nomine Caii, ſed ſub Calliergi ignoto. Quodſi enim ſemel vel iterum monitus ſis, Calliergum hunc eſſe eundem, quem tu Caium appellas: fiet, vt quoties deinde in narratione Calliergi mentio iniicitur, hominis imago tibi non minus ſuccurrat, atque antea, audito Caii nomine; atque ita tandem appellationi huic prorſus adſueſcas. Sicut vero in ſingulis vocabulis res ſuccedit, ſi latina vernaculis interpreteris, ita in integris ſententiis pariter id locum habere quis dubitet, cum idem vſu quotidiano ſcholarum noſtrarum confirmetur, vbi hoc non poſtremum agitur, vt in exponendis vernaculo ſermone ſcriptoribus latinis exerceantur tirones. Explicatione igitur vernacula confabulationi latinae continuo adiecta, efficietur intra breue ſpatium, vt vix ad decimum quodque vocabulum interprete opus habeat puer: et reliqua deinde facultas intelligendi loquendique latine, haud ſecus ac in vernaculo ſermone, colloquiis ſolis obtinebitur.

§. V.

Via ſane haec in Latium, vti per ſe patens et nequaquam inuia eſt, ita breuiſſima foret, et ad naturalem quam proxime accedens, ſi duces haberemus bonos: hoc dico, ſi eſſent, qui de rebus quibuscunque, etiam obuiis, pure et caſtigate loqui poſſent. Nam quoniam tota res imitatione conſtat, et collocutor vnus, vel certe praecipuus eſt, quem imitentur pueri; accidet, vt cum barbaro barbare, cum ſoloeco ſoloece loqui adſueſcant. Pauciſſimi vero ſunt noſtra aetate, quin ſubinde in haec

haec vitia incurrant latine loquentes: nemo fere eſt, qui ſine arte, ſine meditatione praeuia loquens, eam dicendi elegantiam, quae in ſcriptis veterum ſplendet, aſſequatur. Vnde nihil hoc pacto proficiemus, niſi vt quamplurimi facile diſcant barbariem. Atqui hoc non eſt, quod quaerimus; ſed vt veram caſtigatamque latinitatem citius pueri edoceantur. Iungemus, inquis, huic noſtro colloquio lectionem optimorum ſcriptorum. Audio: ſed magni laboris ac diuturni res eſt, ſtribliginem illam, qua recens imbutus es, prorſus deponere, et quod ſermone familiari tritum eſt, lectione dediſcere. Quin tu, ſi puritatem et elegantiam non ex tuo, ſed ex alieno fundo polliceris, hunc tantum adire tuos iube, vbi ſine lolligine fructus legant. Non tardius aut moleſtius pulchro ſermoni adſueſcimus, quam foedo: nec Lipſienſibus aut Halenſibus pueris maiori labore aut tempore conſtat terſus ille ſermo natiuus, quam Bauaris aut Auſtriacis horridus.

§. VI.

Age igitur, nouos illos et ſuſpectae fidei auctores latinos fugiamus, et vni collocutores noſtri ſint Nepos, Terentius, Caeſar, Cicero, ſimiles. Nam quid aliud, quid melius his praeſtiterint colloquentes? Narrent forte rem geſtam, verba de rebus in vita communi faciant, praecepta morum et vitae honeſtae tradant, diſputent de Deo, et natura vniuerſi. Atqui Nepos, Terentius, Caeſar, Cicero, lecti, reuiuiſcunt quaſi, et coram tecum haec eadem et longe melius agunt. Illos igitur audi frequenter, illorum dictioni attende, ex illis vel illorum interpretibus quaere, ſi quid minus intellexeris, illos iube ſaepius eadem repetere, vt haereant: exſpectatione citius, ſcio, ex ipſorum ſermonibus proficies, vt iam non tantum reddere voces auditas, ſed et integram orationis ſtructuram repetere queas et imitari.

§. VII.

Quanquam vero his et ſimilibus linguae latinae magiſtris quotidie reſonent ſcholae noſtrae; vereor tamen ne ita eos loquentes faciamus, vt homines difficiles aditu et moroſos. Nam antequam in colloquium cum viris tam grauibus, Nepote,

te, Caesare, ceteris, descendere possit tiro, et eorum oracula ex cathedra, tanquam ex tripode, audire: bone Deus! quot ille fatigatur durissimis et inanibus exercitationibus? vt mirum sit, ni deinde taedio vel desperatione afficiatur, postquam admissus nihilo plus intelligere se, nihilo aptiorem se ad colloquendum esse animaduertit. Integrum prius vocabularium, v. g. Cellarianum, memoriae mandandum est: et quoniam, cum ad calcem ventum est, priora iam exciderunt animo, iterum hoc et tertium ediscendum: et tandem aliquando vt haereat, nescio quid nugarum vernacularum, in quibus vocabula haec ordine occurrunt, in latinas conuerti debent naenias. Iungitur huic alia carnificina, vt Grammaticae regulae et exceptiones, structuram sermonis huius adhuc ignoti vocabulis ignotae artis edocentes, magno numero memoriae imprimantur: vno forte hoc solatio relicto nostrae aetati, quod ex illa maiorum stultitia resipuimus post aliquot secula, vt non amplius verbis latinis, sed vernaculis regulae conceptae sint. Neque satis est, Grammaticam linguae ignotae tenuisse, sed antequam vllus scriptor latinus lectus fuerit, iam formulae et exercitationes stili latini ope Lexici et Grammaticae compingendae sunt, quo magis a veterum auctorum lectione et imitatione ad nouum et insolens stili genus multo sudore pueri abducantur. Postremo, vbi tandem post Colloquia Corderiana, aut alia recentioris fabricae perlecta, ad Nepotem acceditur, excutiuntur singula ad puluisculum vsque, grammatica euoluitur, phrases exscribuntur, ediscuntur, imitationes in singula capita proponuntur, vt quadriennium abeat, antequam vnus hic scriptor perlectus vel mediocriter intelligatur.

§. VIII.

Vos, Viri cordati, quibus et ipsis hi viarum anfractus dumetis obsiti perreptandi fuerunt, antequam ad illum, quo splendet oratio vestra, nitorem emergeretis, Vos, qui nunc cognita humanae mentis et linguarum natura cum indignatione recolitis memoriam temporis et operae iuuenilis: Vos, inquam, obtestor, vt ingenue iudicetis, hoccine sit naturam sequi ducem, an in diuersa omnia inutili et aerumnosa contentione diuagari? Enimuero insanire diceretur is, qui infantis

aut

aut pueruli memoriam indice vocabulorum ſeparatorum linguae vernaculae onerare conaretur, nec prius eum capere poſſe dicenda putaret. Potius formulas ſententiasque integras et cohaerentes adhibemus confabulantes cum tenera aetate: ex quarum nexu illa, quanquam exiguis tantum rationis humanae igniculis praedita, et notiones eruit, et vocabula celeriter arripit, et ſtructuram orationis percipit. Dudum obſeruatum eſt Criticis, linguas linguis non exacte reſpondere, vt vocabula latina vocabulis ſingulis vernaculis reddita, vel falſam, vel mancam generare notionem neceſſe ſit: cum contra ex ipſa ſermonis latini cohaeſione clare intelligere diſcamus vocabula, quae nulla interdum nominis definitione exponi poſſunt. Iam nec omnia latinae linguae vocabula omnibus apta ſunt, ſiue eorum vis interior et poteſtas aduerſetur ſibi, ſiue vſus tantum et conſuetudo vetet ea coniungere: quod ſane ex ſententiis integris commode perſpicitur vel nemine monente; ex nomenclatore autem, imo nec ex verboſis obſeruationibus vnquam intelligas. Eſt et ſtructura vocabulorum cuique linguae ſingularis et propria, ex arbitrio vulgi longaque conſuetudine pendens, rationis legibus exempta, et ex vernaculo ſermone nequicquam metienda. Iam fac puerulum omni eſſe vocabulorum latinorum apparatu inſtructum: vbi ad componenda vocabula accedit, antequam lectione latina tinctus ſit et penitus imbutus, nonne ad exemplum ſtructurae vernaculae ſibi familiaris eam conformabit vnice, et latini ſermonis indolem natiuam cum peregrina commutabit? Quod maximum eſt, ne ipſa quidem vocabula haerebunt in mente, ſi velut arena ſine calce, diſſoluta memoriae commendentur. Eorum enim recordamur tantum, quae eadem nunc eſſe agnoſcimus cum illis, quae antea alio ordine percepimus. Sed vbi nullus eſt inter vocabula nexus, ibi nullus ordo, nulla recordatio. Accedit, quod e nomenclatore diſcantur multa vocabula, quae vix poſt annum aut biennium inter legendum auctores occurrent, poſtquam dudum elapſa ſunt menti; multa etiam, quae per omnem vitam plerique haud legant vsquam, ſitque adeo in ſpem certam futurae obliuionis et fallendi temporis cauſſa in iis elaboratum.

tum. Contra, si nulla vocabula ediscant pueri, quam quae nexu sententiarum coniuncta leguntur, et sine negotio infigentur memoriae, et habebunt in lectione vsum praesentem, cum identidem repetita recurrant.

§. IX.

Iam ad Grammaticae tractationem scholasticam veniamus. Tradit quidem grammatica regulas linguae generales, idque vocabulis, quae artis huius auctoribus, non item vulgo solent vsurpari. Generales vero illae regulae et notiones eruuntur ex singularibus exemplis, quatenus inter se similitudine quadam sunt affinia. Quare cum ne ipse quidem auctor grammatices fingere sibi eiusmodi notiones aut condere regulas potuisset, nisi habuisset ante oculos plurima exempla singula, in quibus similitudinem quandam obseruasset: fieri etiam per naturam mentis humanae non potest, vt regulas grammaticas clare intelligant pueri, nisi iam animo complura exempla singula obuersentur, in quibus haec similitudo deprehendi possit. Vnde efficitur, vt regulae grammaticae obscurissimae sint ei, qui nondum multa legit. Est ergo a natura mentis nostrae prorsus abhorrens, vt grammaticas regulas frequenti lectioni praemittamus. Non iam dicam, absurdum fore, si quis linguam vernaculam infanti ope regularum tradere velit, quod omnino per se facile perspicitur: sed fingamus nobis hominem adultum, verum eundem nouum et hospitem in lectione auctorum, qui pulchritudine dicendi eminent. Hunc si artem dicendi per regulas edocere velis, nae ille vereor vt quicquam cernat in his, quod in vsum possit conuertere. At legere illum prius iube optimos oratores, ostende exempla pulchrae dictionis, et aliud cum alio confer, vt concinnitatem illam similem animaduertat, adde etiam, si placet, vocabula artis, singulis apta exemplis: tum demum post obseruationem haud indiligentem singulorum intelliget praecepta artis; siquidem habebit, quae sub istis vocabulis animo concipiat exempla cognita. Enimuero et hoc valde incommodum accidit grammaticae tractationi, quod praeterquam tironis animus vacuus est eius linguae exemplis, quae summatim regula complectitur, etiam nouis

et

et insolitis Grammaticorum vocabulis confunditur. Solemus adeo res per se notas subobscure tantum intelligere, quando multo artificio nouorum vocabulorum velantur: sicut vsu venit nobis venatoriae dictioni minus adsuetis, vt venatores suo more loquentes aut scribentes, etiam de rebus perspectis non capiamus. Quid pueris accidet in grammatica latina, vbi nec vocabula artis intelligunt, et rem ipsam vocabulis significatam, quae per singula tantum capi potest, neglectis singulis, vniuersim multo minus comprehendunt. Caue autem opem hic exspectes a definitionibus vocabulorum : nam hae velut magis etiam praecisae a singularibus, rem adeo magis necessario obscurant. Igitur frequens lectio praemittenda est praeceptis grammaticis, et inter legendum danda primum opera, vt in pluribus exemplis singulis clarae saltem notiones vocabulorum artis huius ostendantur.

§. X.

Tertio quidem loco grauiter peccatur a magistris iuuentutis, quando discipulos ad conuertenda vernacula in latinum sermonem iusto citius adigunt. Vnde enim habebunt hoc, vt recte et apte eloqui possint cogitata, cum nondum suppetat ex lectione, quod explicandae animi sententiae inseruiat. Corradent igitur vndecunque ex lexicis et phrasium thesauris seu aptam seu ineptam dictionem, eamque contra indolem linguae, contraque Grammaticae praecepta, neque ex exemplis sibi familiaria, neque ex regulis intellecta satis, compingent, sine omni verborum proprietate, selectu, elegantia, numero, ambitu; vt plane insolens et impurum loquendi genus inde emergere necesse sit, quod ne vmbram quidem referat vetustatis. Pessimum adeo est, quod ad hanc stili spurcitiem infinito labore et incredibili anxietate contenditur, quodque omni studio adhibito ne sibi quidem ipsis, nedum praeceptoribus suis satisfaciunt tirones: vnde fit, vt qui humanitatis studia amare nondum possunt, oderint iam et execrentur. Ita enim sunt a natura comparati etiam pueri, vt quod minus ipsis succedit, auersentur; tantoque auersentur magis, quo plus operae in eo frustra consumserunt: contra voluptate et studio maiori

iori ferantur in ea, quae assequi se viribus suis posse, facto haud infeliciter periculo, confidunt. Parcamus igitur aetati, tempori, ingenio iuuentutis, nec eam intempestiua diligentia nequicquam maceremus. Longe alitèr sane in vernaculo sermone puerorum formando agitur. Nam vel ipsi sua sponte repetunt formulas, fabulas et res gestas, quas audiuerant, vel iubentur mandata deferre ad alios, vel vrbanitatis aliqua significatione, quam praeiuerant parentes, excipere hospitem, vel narrata ipsis aut praelecta denuo narrare. Ita fit, vt breui abundent copia vocabulorum et dictionum, quas deinde confusa imitatione constructionis, pro arbitrio, ad sui ingenii sensa expromenda connectunt. Iam in latinis collocatores nostri sunt Nepos, Terentius, Caesar, Cicero, vt supra indicauimus. Ex illis igitur breuiores sententiae excerpendae sunt, quae explicentur semel iterumque; deinde versio vernacula a pueris reddatur iisdem verbis latinis, vt quasi repetant monitum Ciceronis aut historiolam. Atque sic ad longiora veterum loca, conuertenda primum in sermonem patrium, deinde ex patrio rursus in latinum commutanda, acceditur. Hae sunt in puerili aetate tutissimae et facillimae stili exercitationes, quas ego vnas, reiectis omnibus reliquis, non tantum probandas video, sed et vsu ipso sum expertus.

§. XI.

Ita explicato, et rursus in suam linguam conuerso scriptore vno alteroue, (quod tanto celerius, tanto iucundius fiet, quo minus nomenclator aut grammaticus aliquis molestus studio huic intercessit) iam vocabulorum, dictionum et constructionis, quantum satis est, memoria haerebit, vt Grammaticae praecepta capi et in exemplis notis clare sisti possint. Neque enim is sum, qui solo vsu accuratam latini sermonis facultatem comparari posse existimet; sed vt suae quilibet linguae vernaculae, quam vsu addidicerat, Grammaticam deinde tractare debet, vt lapsus omnes euitet, ac tum demum iucunde et cum fructu tractare potest, postquam vsum linguae sibi comparauit, ita et in latinis rationes instituendas puto. Enimuero confusa perceptio et imitatio regularum, quae vsui debetur, fallit interdum:

dum: vnde ad accuratum et erroris expertem habitum necesse est, vt confusa haec perceptio et imitatio regularum abeat in distinctam. Liceat autem mihi quod sentio dicere de grammatica tractatione, quae vulgo in scholis obtinet, cum omnia statim etiam minutissima ad grammaticas rationes reuocantur. Huius me fateor nullum perspicere fructum. Nam quando nihil omnino in via hac sine obseruatione praetermittere volumus, tarde admodum progredimur, et lectioni auctorum, quae maximi in linguis est momenti, multum derogamus. Praeterea distractus copia regularum grammaticarum animus, nullam distincte percipit, nedum retinet. Malim duas tantum aut tres praecipuas regulas, in exemplis earum occurrentibus, primum notari, iisque iam penitus perspectis et cognitis ad pauculas alias procedi: vt ita paucas paucis, ignotas notis addendo, nulla discens grauetur molestia, et interea dum omnes persequamur, maiorem semper legendo vsum linguae sibi acquirat. Eiusmodi enim tractatio Grammaticae non admittet facile posthaec in stilo soloecismum. Nam quia nihil legit tiro, nisi auctores optimos, nullam exercitationem stili instituit, nisi expressis eorundem auctorum verbis: non potest memoria vsu optimorum scriptorum imbuta regulis grammaticis aduersum quid suppeditare. Sed quia et cognitio regularum confusa deinde in distinctam transiit, eaedem nunc clarius intellecta propter eam, quae in promtu est, exemplorum copiam, facilius scribenti aut loquenti in exemplo simili venient in mentem, et imitationis, quae ex vsu petitur, facilitatem dirigent, vt aberrare non possit.

§. XII.

Non placet nunc vltra elementa latinitatis rationem docendi deducere, quod in his potissimum mora injicitur tironibus, et corruptae latinitatis semina nunquam posthaec euellenda inferuntur: elementis autem recte perceptis facile est pulchritudinem et vim dicendi scribendique addere. Enimuero, vt exemplo tenerae aetatis et ex natura mentis humanae ostensum adhuc est, hanc viam certo et necessario ad veram latinitatem ducere: ita quiuis intelliget, breuissimam eandem

 esse,

esse, cum tot inania et magis nocitura subsidia praecidantur, vt interea prope decuplos progressus in lectione auctorum, quae vtramque paginam constituere debet, facere liceat. Igitur et in ratione decupla citius ad scopum peruenietur. Sed et facilius atque iucundius ita disci docerique linguam latinam, nemo potest ambigere. Nam nec memoria oneratur infinita multitudine vocabulorum et regularum, quae vel retineri, vel intelligi et applicari nequeant: et tirones ad nullam rem, quae supra vires ipsorum est, adiguntur. Igitur dum ad intelligenda et loquenda latina celeriter et ludendo quasi adducuntur, sentiunt, se sine molestia sua multum proficere, captique voluptate discendi ad strenue pergendum accenduntur. Itaque et docens ferula sua et multis irae commotionibus facile carebit, neque in vocabulis tricisque grammaticis et expurgando Augiae stabulo, seu exercitationibus stili intempestiuis cum taedio corrigendis versabitur; contra nactus discipulos et proficientes, et volentes proficere, cum voluptate officio fungetur suo, nec puluerem scholasticum tantopere accusabit. Quodsi ergo hac ratione et melius, et citius, et facilius, et iucundius latina discuntur, atque ad naturam, quam proxime acceditur, methodus haec velut optima erit ceteris anteferenda.

§. XIII.

Nihil habeo quod addam, nisi vt distinctius, quae tradita sunt, regulis complectar.

1. Primum tiro flectere nomina et verba discat, legendo saepius idem breuius pensum clara voce, audientibus ceteris commilitonibus, donec sine multa opera haereat memoria.

2. Seligantur ex probatissimis auctoribus decem centuriae sententiarum, stilo plano omnes scriptae, et praeclara vitae monita eleganter proponentes. In primis centuriis locum habeant, quae tribus verbis, ordineque verborum naturali rem enunciant: sequantur deinde paulo longiores et pleniores, sed ceteroquin faciles intellectu: agmen claudant, quae traiectione verborum haud omnino difficili, vel figuris dictionis facile resoluendis vtuntur.

3. Has sententias singulas ordine praelegat docens: con-

stru-

ſtructionem per quaeſtiones, quis? quid? vbi? etc. oſtendat, ſimulque vernaculo ſermone interpretetur. Idem repetant diſcentes bis, ter, quater, vsque dum iam a diſcipulis memoriter dici poſſit.

4. Poſt explicationem hanc, nominum verborumque in ſententiis ſingulis occurrentium, flexio iniungatur diſcipulis.

5. Id vt tutius et facilius procedat, oſtendantur ſigna, ex quibus tirones dignoſcere declinationes et coniugationes poſſint: euoluatur in grammatica exemplum, in quod illi inſpicientes ſimili modo flectant id, quod eſt prae manibus, quo minus aberretur.

6. Inter flectendum haec nomina et verba, caſus, perſona, tempus, numerus, qui in ſententia data reperitur, ſedulo notetur et oſtendatur: paulatimque vocabula artis grammaticae in his exemplis obuiis reddantur familiaria: genera nominum initio non per regulas, ſed ex adiectiuo obſeruare doceantur.

7. Ex his exercitationibus, quarto, quinto, et ſexto loco traditis, multae cum progreſſu diſcipulorum, vel omitti plane, vel in difficilioribus tantum, vel certe ſine euolutis grammaticae paradigmatibus, inſtitui poſſunt: genera autem nominum nunquam praetermittenda eſſe facile intelligitur.

8. Poſt has exercitationes, clauſis libris, vbi a praeceptore vernaculam verſionem audiuerint, certent inuicem diſcipuli in reddenda ſententia latinis verbis: et poſtquam noua ſententia ſecundum rationem demonſtratam expoſita et reſoluta fuerit, prior, aut antecedentes omnes, vnius certe decuriae, hoc modo repetantur, vt ſcilicet propoſita verſione vernacula eas reddant latine.

9. Ita per decem centurias pergatur; niſi quod in longioribus et traiectione verborum intricatis ſententiis paulatim etiam adſuefaciendi ſunt diſcipuli, vt interiecta ab iis, quae per naturam cohaerent, diſtinguant: ſic, vt legentes iam perſpiciant ſtatim, id, quod cum praeſenti vocabulo cohaeret nomen aut verbum, poſt interiecta demum exſpectandum et cum illo connectendum eſſe.

10. Nec inutile fuerit, in poſtremis ſententiis figuras di-

ctionis, primo tamen sine additis vocabulis artis rhetoricae, resoluere in simplicem dictionem, donec consultum sit, notam iam exemplorum multitudine figuram vocabulo artis insignire.

11. Post mille sententias hoc modo absolutas, posset quis etiam historiolas selectas ex auctoribus latinis eodem modo persequi. Sed non video rationem, cur non statim ad Nepotem legendum accedatur.

12. In Nepote autem legendo nolim amplius flecti nomina et verba, nisi vbi singulare aliquid occurrit, quod tum ex grammatica ostendendum, euolutis praesertim praeteritis et supinis anomalorum: genera item nominum ex adiectiuis continuo obseruentur.

13. Caeterum in hoc pariter et sequentibus auctoribus constanter ad constructionem attendatur, donec eo acies discentium penetret, vt sine putida illa constructione perspiciat statim inter legendum, quae cohaereant, et quo singula spectent.

14. Constans quoque et perpetua lex esto, vnaque et sola primum stili exercitatio, vt latina germanice bis aut ter, germanica rursus clausis libris latine reddantur: quod vtrumque etiam alternatim viua voce et scripto fieri potest.

15. Post Nepotem Terentius simili modo perlegatur.

16. Tum collecta iam ex Nepote et Terentio exemplorum copia, lusus et iocus erit, grammaticas rationes expedire, in tractando v. g. Caesare, Curtio, Cicerone, aut alio, qui maxime placuerit. Atque ibi parum paruo addendum memineris, vt a tribus potioribus regulis incipiatur, quae quoties exempla earum occurrunt, continuo euoluendae: atque his iam in succum et sanguinem, quod aiunt, conuersis, ad pauculas alias animus adiiciatur, donec potissimis superatis, etiam ad minutias grammaticas discipulorum diligentia dirigi possit.

17. Grammaticas rationes in vno et item altero auctore examinari expediet ita, vt non tantum recte posita ab auctore ad regulas exigantur, sed et si forte tiro vernacula rursus vertens in latina aberrauerit, ex grammatica ostendatur, cur minus ita loqui possimus.

18. Post vnum alterumque auctorem ad Grammaticas rationes examinatum, vbi ad alios ventum est, iam ad proprietatem verborum, elegantiam et interiorem naturam sermonis antiquos ritus etc. attendi debere, atque mox ad poetas legendos, ad liberi stili exercitationes aptum fore discipulum, vel me non monente quiuis intelligit. Nec enim mihi animus fuit alius, quam vt modum ex primis iisdemque maximis difficultatibus eluctandi demonstrarem.

III. IO-

III.

IO. DIETERICI WINCKLERI
PROFESSORIS HAMBVRGENSIS

ANIMADVERSIONVM
SVBSECIVARVM

IN

FABRI THESAVRVM
SPECIMEN PRIMVM.

ANNO MDCCXXXXI.

ACER duplici ratione vſurpatur, tam de ſapore, quam de odore. De ſapore, qualis eſt piperis, aceti etc. vti et cibi dicuntur acres, et *Plinio* acre medicamentum, *eine herbe oder ſcharffe Arzeney*. De odore, vt citreis odor acerrimus, *die Citronen haben einen ſehr ſcharffen Geruch. Plin.* XV. 28.

ACINATICIVM. Locus *Vlpiani* l. ſi quis 9. princ. D. de trit. vino et ol. leg. exhibitur in *Fabro*, vbi huius vocis mentio fit. Pretioſum id alii putant ex acinis ſelectis et bene maturis expreſſum. At vero nullum eſſe potuit de hoc dubium. Alii contra de Lora, *Lauer* accipiunt, quorum verò recte in *Fabro* improbatur ſententia. Non enim ex acinis, ſed ex folliculis et vinaceis acinorum multa aqua maceratis exprimitur, vt aquam magis referat, quam vinum. De hoc *Vlpianus* minime dixiſſet: *vino plane continebitur*, cum nec mulſum contineri velit d. l. Probabilior videtur eorum eſſe ſententia, qui ex acinis vuae ſemipaſſae confectum liquorem intelligunt, qui cuidam ſyrupo vel ſpiritui vini ſimilis eſt. Namque vt *Marcus Aurelius Caſſiodorus* Lib. XII. var. ep. ep. 4. ſcribit: *non collecta ſuſpenditur vsque ad Decembrem menſem, et fatuos humores exſudans magna ſuauitate dulceſcit.* De tali ſucco expreſſo *Vlpianus* merito dicere potuit: *vino plane continebitur*.

ACONITVM herba erat olim in veneficiis crebra, nomen ſortita a nudis cantibus, quod naſci in iis ſoleat, teſte *Ouidio* loco in Fabro citato. Plura vero dantur eius genera, quae videri poſſunt in *Menzelii* indice plantarum luculentiſſimo, et *Bocharti* hierozoico Part. II. lib. I. cap. 15. p. 98.

ADOR male ἄπτοτον ſiue indeclinabile dicitur in *Ambroſii Calepini* Lexico latino, cum toties occurrat genitiuus. vid. *Voſſius* de annal. I. 27. p. 488.

ADOREVM eſt ipſum far, de quo *Plinius* XVIII. 8. *Far, quod adoreum veteres vocauere*, niſi pro adiectiuo ſubſtantiue ſumto accipere velis, vt intelligatur *adoreum ſemen. Columella* de re ruſtica II. 6. ſpecies illius tradit eſſe *cluſinum, vermicu-*

culum duplex et *trimestre*, quod et *alicastrum* dicitur. Far adoraceum *Varro* habet lib. I. de re rustica.

ADSPICERE et CERNERE licet vulgo pro eodem habeantur, diuersa tamen significant. *Adspicere* enim est, intendere ad aliquid oculos; *cernere*, intueri illud, in quod inciderunt oculi. *Cicero* lib. III. de oratore: *neque tanta tamen in rebus obscuritas, vt eas non penitus acri vir ingenio cernat, si modo adspexerit.* Et mox: *vt possitis illa omnia cernere, quae adspexerit.* Item pro Milone: *neque eorum quisquam, quos vndique ex hoc loco intuentes cernitis, vnde pars aliqua fori adspici potest.*

AMOENVS non de locis saltem, sed et de aliis vsurpatur rebus, vti apud *Tacitum* Annal. XIII. 3. 3. *ingenium* dicitur *Senecae amoenum.*

ALIENVS poni etiam solet pro *infesto, inimico.* Opponitur enim *amicus.* Sic *Cicero* lib. I. ad Quintum fratrem ep. 2. fere in fine: *spero fore, studiis non solum amicorum, sed etiam alienorum vt vi resistamus.* Idem lib. X. ad Atticum ep. 13 *obsignata iam epistola superiore, non placuit ei dare, cui constitueram, quod erat alienus.* Et orat. pro Muraena: *vt amicis nostris accusantibus, non etiam alienissimos defendamus.*

ALLEGARE pro *laudare, citare, adducere* non reperitur apud optimae aetatis scriptores, sed quidem apud argenteae. *Plinius* lib. IX. ep. 12. tam multa allegauit, quae ad *rem minime pertinere videbantur.* Idem alibi: *adhibes preces, allegas exempla.* Quando vero legitur apud optimae aetatis scriptores, tum *hominem* significat *priuatum rei priuatae causa ad aliquem mittere.* Vnde male hoc verbo vtuntur nonnulli in republica de legatis publicis.

ALVMNVS denotat etiam *einen Handwercks-Purschen, Handwercks-Gesellen. Tacitus* Annal. XV. 34. 3. *Suttrinae tabernae alumnus.*

ALVVS male, vt mihi videtur, nec vllius auctoris vsu pro *vtero* accipitur in *hymno Ambrosiano*, vti: *aluus tumescit virginis, claustra pudoris permanent.* Et *Io. Freinshemius* in supplementis Curtianis, l. 1. 22. *Obsignatam Olympiadis aluum annulo etc.*

ANIMAL. Cum de partu agitur, *animal* siue partus viuus opponitur *ouo*. v. g. *solus bipedum homo animal gignit*, i. e. foetum animatum, non ouum. *Plinius* X. 63. *Quaecunque animal pariunt, die eine lebendige Frucht zur Welt bringen.* Idem cap. 64. *Quae nec animal nec ouum ex sese generant.* cap. 68.

ANTHROPOPHAGI, populi humana carne vescentes. Tales olim dicti fuere inter Scythas in extremo septentrione. vid. *Plinius* IV. 12. VI. 17. VII. 2. Procul dubio illi intelliguntur, qui postea lingua Sclauonica *Samoiedae* sunt vocati, de quibus legi potest *Adamus Olearius* in itinerario Persico Lib. III. cap. 3. pag. 159. Fuerunt et inter Aethiopes in Africa, v. *Plinius* VI. 30. vbi hodienum reperiuntur *Anziques* dicti, regno Congo vicini. Conf. *Eduardus Lopez* in descriptione Congo et alii plures. In America, et Brasilia quidem, notissimi sunt *Tapuyae* dicti, vti ex recentissimis relationibus constat.

ASSVLAS tabulas fuisse, ex quibus ianuae confici solebant veteribus, *Plauti* ex loco probari potest, nimirum Mostellar. II. 2. 23. *pultando pedibus pene confregi hasce assulas.* Mox enim v. 25. mentis sit *forium.* Patet hinc, minus accurate in *Fabro* per *Spaene* verti hoc vocabulum.

CAEMENTVM vulgo vocant calcem siue lutum aqua illitum, quod lapidibus intersternebatur. E. g. quod apud *Iustinum* l. 11. dicitur *harenae vice bitumen interstratum*, id vulgo vocant *caementum.* Sed veteres semper dixerunt *caementa*, in plurali numero. Tum vero non significabat calcem siue lutum aqua mistum, sed lapides rudes, impolitos, quibus vtebantur in substructionibus murorum atque fundamentorum. Iis opponuntur lapides quadrati et pilares. Dicta autem sunt caementa quasi *caedimenta* contracte a *caedo*, aeque vt a *rado* fit *radimentum*, et contracte *ramentum*, item *a laxo laximentum*, et contracte *lamentum.* Vritur hac voce praeter *Linium* in Fabro citatum *Plinius* lib. XXXVI. cap. 23. *ruinarum vrbis est maxima causa, quod facta calce sine ferrumine caementa componuntur.* *Horatius* lib. III. Od. 1. v. 34.

Iactis

Iactis in altum molibus huc frequens
Caementa demittit redemtor.

Eod. lib. Od. 24. v. 3. *Caementis licet occupes*
Tyrrhenum omne tuis - -

CAPELLA. Vocabulum hoc primo reperitur in *annalibus Francorum Fuldensibus* An. DCCCLXXXI. b. *in capella regis.* vid. et *Io. Bona*, Cardinalis, rerum liturgicarum lib. I. cap. 20. Pro eo *Alexius Colloter de Iantillet* in horis subseciuis non semel *sacrarium* vsurpat.

CERNERE proprie significat *iudicare*, et deriuatur a a graeco κρίνω. Quia autem id, quod oculis videmus, diiudicare possumus, hinc notat etiam *videre*. Sic *decernere* etiam ponitur pro *iudicare*. Sed et quoniam, lites quando sunt, illae per pugnam deciduntur quasi, hinc ponitur pro *pugnare*. Vid. *Suetonius* in Nerone cap. 26. *Liuius* ait *decernere acie* l. 15.

CONCLVDERE tritum valde est, apud varios significare idem, quod *terminare*, *finire*. Sed simpliciter nullo addito nomine numquam reperitur apud veteres. Concludere simpliciter apud *Ciceronem* est *colligere*, v. g. de orat. *conclusi ita*, et lib. I. de fin. *deinde concludebat, sapientiam esse summum bonum.* Idem lib. II. de diuin. *O acutos homines! quam paucis verbis negotium confectum putant! Ea sumunt ad concludendum, quorum iis nihil conceditur.* Posuit etiam *Cicero* pro *includere* lib. II. de fin. *ne bestiae quidem, quas voluptatis causa concludimus. Concludere sententiam* legimus apud *Ciceronem*, non vero ea significatione, qua hodie, sed pro *comprehendere*, *complecti*. v. g. de orat. *natura ipsa circumscriptam quandam comprehendit et concludit sententiam.* Casus tamen si additur, potest pro *finire* accipi. Sic apud *Ciceronem* lib. V. ad famil. ep. 12. *Si vero exitu notabili concluduntur* (ancipites variique casus) *expletur animus iucundissimae lectionis voluptate.*

CONIICERE CAVSAM singulari ratione ICtis videmus vsurpari pro *causam exponere coram iudice*. Sic in *leg. XII. tabb. tit. VII. l. 10. In comitio aut in foro ante meridiem causam coniicito.* Sic et *Gellius* lib. V. cap. 10. *cum ad iudices coniiciendae consi-*

 sten-

ſtendaeque cauſae gratia veniſſet. Inde *cauſae coniectio* leg. 1. ff. de R. iuris: *per regulam igitur breuis rerum narratio traditur, et (vt ait Sabinus) quaſi cauſae coniectio eſt.*

CORDATVS vulgo vocatur homo *fortis, intrepidus, imperterritus.* Nusquam autem legitur in hac ſignificatione apud veteres. Latiniſſimum alias vocabulum eſt, ſed iſtum ſignificat hominem *ſapientem.* Cor enim putabatur eſſe ſedes ſapientiae. Vnde et pro ipſa ſapientia illud vſurpatur. V. g. *Ennius: en cor Zenodoti, iecur Cratetis. Cicero* lib. II. de finibus: *hoc eſt, non modo cor non habere, ſed ne palatum quidem.* Idem l. 1. Tuſc. quaeſt. cap. 9. *aliis cor ipſum, animus videtur: ex quo excordes, vecordes, concordesque dicuntur: et Naſica ille prudens, bis conſul, corculum.* Hinc *cordatus* dicitur *ſapiens, prudens.* Sic *Cicero* l. c. *egregie cordatus homo catus Aeliu Sextus.*

EXPONERE et EXPLICARE non vnius ſunt eiusdemque ſignificationis. Dicitur namque *exponi* quid, quod proſtat palam, ſed *explicari* res, quae reuolutis integumentis denudatur. E. g. merces *exponuntur* in foro palam, *explicantur* vero, ſi eas inſpicere emtor velit. Sic libri in officinis diſpoſiti ordine et a tergo inſcripti *exponuntur*, *explicantur* autem cum aperti proſtant in pergulis. Clare hanc differentiam *Cicero* docet in Bruto: *plura etiam dicta, quam ſcripta, quod ex quibusdam capitibus expoſitis, nec explicatis, intelligi poteſt.* Idem lib. II. de offic. *non vt quaereremus, expoſuimus, ſed vt explicaremus.*

FALX generale nomen eſt, inſtrumentum ruſticum falcatum ſignificans. Quod quia varium eſt, diuerſa etiam in aliis linguis ſortitur nomina. Latine autem vel ex ſubiecta materia, vel ex addito epitheto dignoſcitur. Secundum *Catonem* de re ruſtica cap. 110. et 111. ſunt falces foenariae, *Senſen*, et ſtramentariae: falces arborariae et vineaticae, putatoriae, *Winzermeſſer*, ſyluaticae et ruſticariae. Falcula, quae et *Secula* Campanis, *Eine Sechel.* Nam cum de ſatumo ſermo eſt, vel quando *Varro* lib. I. cap. 50. ait: *in vmbria falce ſecundum terram ſuccidunt ſtramentum,* intelligendum id de falce maiori eſt,

von

von einer Senſen. Virgilius eclog. III. vero cum ait: *Mala vites incidere falce nouellas*, hoc eſt *von einer Hiepen* accipiendum.

MALE FERIATVS pro homine *ſceleſto*, *inepto*, *ſtolido*, numquam apud veteres legitur. Hi ſemper male feriatos dicunt, quibus non conſtat otii ſui ratio. Sic *Horatius* l. 4. od. 6. v. 14. vocat *Troas male feriatos*, i. e. magno malo ſuo otiantes. GELLIVS lib. X. cap. 22. fin. vocat ignauos philoſophos *male feriatos*, qui inerti inanique deſidia cultum et ſtudium philoſophiae mentiebantur.

FLAGELLVM atrox erat olim poenae et quidem ſeruilis, genus. Atrocius *virgae*. *Cicero* pro Rabir. *Porcia lex virgas a ciuium Romanorum corpore amouit, hic miſericors flagella retulit.* Atrocius *ſcutica. Horatius* I. ſat. 3. v. 120.

Nec ſcutica dignum horribili ſectere flagello.

Atrocius *fuſtes*. L. in ſeruorum 10. ff. de poenis. *Ex quibus cauſis liber fuſtibus caeditur, ex his ſeruus flagellis caedi et domino reddi iubetur.* Differentia haec in Germanorum quoque indicari lingua poteſt. Hi enim flagella, *Spitzruthen*, virgam, *Ruthe*, ſcuticam, *Peitſche*, fuſtes, *Prügel* dicunt. Flagella vero ſummas arborum partes fuiſſe, *Seruius* tradit. *Calepinus* flagella etiam aurigarum, *Fuhrmanns-Peitſchen*, eſſe autumat, quae excuſſa clarum reddant ſonum, idque probare conatus ex *Martiali* lib. XIV.

Proficies nihil, hos caedas licet vsque flagello.

et *Virgilio* Aen. V. 579.

- - - ſignum clamore paratis
Epitides longo dedit, inſonuitque flagello.

At vero ſonitus tantum illam nondum probat ſignificationem. Flagellum enim, *eine Spitzruthe*, recens clarum pariter ſonum edit. *Seruius* hunc locum per *virgam* exponit, quae ſonat in morem flagelli.

HOSPES et CAVPO nonnumquam pro eodem habentur, differunt vero maxime apud Latinos. *Hoſpes* enim eſt, qui ex humanitate et amicitia gratis aliquem excipit, cui cum altero ius hoſpitalitatis intercedit. *Caupo* vero is dicitur, qui pecunia aliquem excipit, cuiusque domus patet omnibus.

Apud

Apud Graecos olim, et in Italia hodie paulo honeſtiori hi habentur loco, quam *lenones*, ad quos viri graues non diuertunt. Ex *Aeliano* var. hiſt. XIV. 14. illud conſtat, vbi Stratonicus ab aliquo exceptus laute gratias ei habebat, quod ipſum tecti ſui feciſſet participem, mox vero cum videret, vnum atque alterum introire, atque hoc modo nulli diuertere volenti domum illius non patere: abeamus hinc, puer, inquit ad ſuum famulum, etenim pro columba palumbem nacti eſſe videmur, cum pro hoſpitio pandocheum inuenerimus.

IACTVRAS in plurali numero ſumi pro *ſumtibus* ex *Cicerone* diſcimus, qui coniungit *impenſas* et *iacturas*. Vid. Oratio eius pro Rabirio cap. 16. Eadem ratione in orat. pro *Sylla*: *equidem vehementius laetor, me eſſe cum - - et in qua non maximae iacturae eſſent faciendae.* Item lib. VI. ad Atticum ep. 1. *exhauſta ſumtibus et iacturis prouincia.*

IMPORTVNITAS quid ſit, nemo recte intelligeret, niſi *Ciceronem* legiſſet *importunitatem* opponere *bonitati* orat. VIII. L. III. in Verrem: *vide inter opportunitatem tuam ſenatusque bonitatem quid interſit.* Eſt ergo importunitas non, vt vulgo volunt, *incommoditas*, ſed *ſuperbia* et *crudelitas*. Hinc *Cicero* in VII. or. L. II. in Verrem *importunitatem* coniungit cum audacia: *iſte, quamquam incredibili importunitate et audacia* etc. Hinc *importunus* pro *ſceleſto* ponitur *Salluſtio* bell. Iug. III. *nam vi quidem regere patriam aut parentes, quamquam et poſſis, et delicta corrigas, tamen importunum eſt.*

INSOLENTIA non tam *ſuperbiam* denotat, quam quidem *prodigalitatem*, ſiue in victu illa ſeſe exſerat, ſiue in amictu. Opponit inde Cicero inſolentiae *continentiam* orat. Phil. IX. ante f. *Magnifice Seruius Sulpicius maiorum continentiam diligebat, huius ſeculi inſolentiam vituperabat.*

LIBIDO et IMPVDICITIA videntur eſſe affinia et eiusdem ferme notionis. *Suetonius* tamen diſtinguere videtur in Auguſto cap. 71. *ex quibus ſiue criminibus, ſiue maledictis infamiam impudicitiae facile refutauit et praeſentis et poſterae vitae caſtitate*, i. e. vanos illos rumores facile vanos reddidit vita pudica, ſed infamiam libidinum numquam potuit imminuere. Addit: *circa libidines haeſit poſtea quoque, vt ferunt, ad vitiandas virgines promtior, quae ſibi vndique etiam ab vxore conquirerentur. Impudicitia* enim eſt, cum vir muliebria patitur, aut cum maſculis rem habet: *libido* vero inſanus mulierum amor, cui deditum Auguſtum fuiſſe, multis exemplis Suetonius oſtendit.

IIII.

IIII.

M. GOTTL. FRIDERICI GVDII

V. D. M. LAVBAE LVSATORVM

COMMENTATIO

DE

FELICI REI SCHOLASTICAE STATV PRAESENTI

IN

GERMANIA.

§. I.

Dici non poteſt, quantum reipublicae interſit, REM SCHOLASTICAM integram eſſe. Reipublicae commodum in ſcholis agitur, quas ſeminaria illius omni iure dixeris, in quibus futuri illius ſodales aluntur et coluntur. Haec cum irreparabili ſuo damno ſero nimis experitur vitia, in educandis iuuenibus commiſſa. Liberos enim educandi cura parentibus licet prae aliis debeatur; parentum tamen non omnium eſt, vt, quos genuerunt, ad aequi et iuſti regulam viuere, docere poſſint. Pars eorum deſiderat artem: alii moleſtam, educationi impendendam, operam reformidant: ſunt, qui per negotia ſua publica pariter ac domeſtica, rite obeunda, liberos ſuos ipſi formare nequeunt: quos denique nec arte, nec ſtudio, nec temporis ſpatio, liberis educandis conſecrando, deſtitutos eſſe vides, vix ſibi temperare poſſe ſaepius cognoſces, quo minus modo lenitatis, modo ſeueritatis limites tranſiliant, et, quos emendare debebant, multo peiores reddant. (*a*) *Res* itaque *ſcholaſtica* ita ad rationem dirigenda eſt, vt, quos per parentum ſiue ſocordiam, ſiue inertiam, in primo aetatis flore perire oporteret iuuenes, in reipublicae emolumentum ſanctiſſime foueantur, optimisque artibus ad humanitatem informentur. Diuinam et laude omni maiorem operam illi nauant, qui ſcholaſticum puluerem pertinaci animo deuorant, vt iuuentus in reipublicae ſpem et fructum adoleſcere queat. Maioris quippe pretii eſſe, bene educari, quam bene gigni, prudentiores fatentur omnes: quamuis *Rei Scholaſticae* moderatoribus ex contemtus ſqualore caput extollere vix liceat, adeo, vt multos, *Perſio* canente, vanae ſterilisque cathedrae poeniteat. (*b*) Vtrique iuuentutis ſexui ſollerti educatione opus eſſe, nemo erit, qui infitias ierit: (*c*) in praeſenti tamen in primis maſculae prolis educatio menti noſtrae obuerſatur, per rem ſcholaſticam in melius quotidie prouehenda.

(*a*) Detegit haec obſtacula, per parentum culpam iuuentuti educandae impendentia, Iuris conſultiſſimus *Willenbergius*, in diſſ. iuridica, *de inſufficientia paternae educationis ad vitam ciuilem.* Gedani 1726.

(*b*) Dis-

(b) Discrepantia DEI et hominum iudicia de scholis exposuit cel. *Phil. Theod. Verpoortenius* in orat. quam *Coburgi* in auditorio Casimiriano 1709. habuit, et ibidem typis exscribi curauit. Ab *Hobbesii* criminationibus scholas vindicauit immortali fama inclutus D. *Rechenbergius* in diss. de origine et vsu scholarum, Lipsiae habita, 1684. Felicitatem eorum, qui in scholis docent, superiori anno adsertum iuit acerrimus ille humanitatis vindex, *Gesnerus*, in programmate, quo Seminarium Praeceptorum in Academia Göttingensi alendum, 1738. denuntiauit. Dignum est, quod recolamus *Erasmi* iudicium de dignitate doctorum scholasticorum, in epistola ad *Cordum* in schola maxima cum laude docentem: *Quo alacrius verseris in isto munere, fac memineris, secundum Principes et Episcopos neminem magnificentius posse mereri de re publica, quam ludi litterarii magistrum.*

(c) De filiarum educatione saluberrima consilia dederunt duo Galliae ornamenta, *Fenelon*, et *Rollinus*. Ille quidem in peculiari libro, qui vtilissimo *Lockii* scripto, de liberorum educatione, est adiectus; hic vero in vberrimo commentario, rationem litteras elegantiores discendi et docendi tradente, T. I. cap. 2. Cuius in vernaculam linguam translationem cl. M. *Schvvabio* acceptam referimus.

§. 2.

Rei Scholasticae integritatem fine suo obtinendo metiendam esse, existimo. Enimuero non de omnibus litterariis ludis mihi iam est sermo; sed de iis tantum Musarum domiciliis, quae saeculo a C. N. XIII. Academiis fuerunt opposita, in quibus iuuenes ad artes, quas Academiae sibi adseruerunt, felici cum successu capiendas, sunt praeparandi. (a) Conditionem harum scholarum florentissimam esse iudico, quando non solum commoda pro iuuentute erudienda aedificia exstruuntur, sed quando ii etiam iuuentuti praeficiuntur magistri, qui eam scientiis necessariis formandi arte pollent, et iuuentutis educationem ita prosequuntur, vt reipublicae salus per eam certissime augeri et amplificari queat. (b)

(a) Vid. cel. *Heumanni* conspectum reipublicae litterariae p. 104. Vocabulum latinitatis cadentis *scholaris*, pro studioso artium politiorum ab *Hieronymo* vsurpatum fuisse, obseruat *Cellarius* in curis posterioribus p. 319.

(b) Ad munus scholasticum, cum laude obeundum, quantum requiratur, grauissime docet cel. *Gesnerus* in institutionibus rei scholasticae: quae vna cum lege scholastica Hanouerana, auspiciis Regiis ab ipso haud ita pridem conscripta, a scholarum doctoribus non satis legi possunt, et relegi.

§. 3.

§. 3.

Reipublicae ſalus in ſociorum ſingulorum ſalute poſita eſt, quorum alios imperandi, alios obſequendi gloria manet. At vero eos non modo imperare dicimus, qui ad reipublicae clauum ſedent, et quos ſibi adminiſtros eligunt; ſed parentes etiam, herosque, et maritos, praeterea diuinarum humanarumque legum interpretes, imperantium ordini adnumeramus: qui, licet eis, quos penes ſumma res eſt, ſint ſubiecti, alios tamen habent, qui dictis ipſorum morem gerere debent, liberos puta, ſeruosque et diſcipulos. Quorum ſinguli ſi partes ſuas rite obire didicerint, rempublicam ſane felicem reddunt. Salua enim ſingulorum ſalute vniuerſae ſocietatis ſalus ſarta et tecta conſeruatur.

§. 4.

Hunc finem ſibi praeſcriptum habet res ſcholaſtica. Huc tendere debent praecepta, quae de Deo, eiusque vero cultu, de linguis, et variis ſcientiarum generibus, quae tenerae illi aetati ſunt inſtillanda, in ſcholis traduntur. Hiſce praeceptionibus praeparandi ſunt iuuenes, vt munia ſua quisque adultus adminiſtrare queat.

§. 5.

Neque eſt, quod in Academiis a peritis omnium linguarum et artium magiſtris ſcholaſticae inſtitutionis vitia emendari poſſe ſperes. Illas enim ſi adeant, qui in ſcholis, quas inferiores dicunt, non, quantum ſatis erat, praeparati fuerunt; aeque indoctos et ineptos eos redire videbis, atque illas ſunt ingreſſi. Actum in Academiis agere, res ſi non conclamata, periculi tamen plena eſt. (*a*) Fructus ex Academica inſtitutione capiendus, a profectibus, quos in ſcholis fecere litterarum cultores, quam maxime pendet, quippe quae humanitatis ſtudiis imbutos, probisque moribus bene tinctos, auditores requirit.

(*a*) Hoc prouerbio praepoſteram illam iuuenum diligentiam redarguit, qua in Academiis iis demum litteris vacant, quae in ſcholis addiscendae fuiſſent, cl. *Freyerus* in program. quod Halae 1729. publicauit.

§. 6.

Quibuscumque reipublicae ſalus curae cordique fuit, rem

rem ſcholaſticam ita ad veterem morem reducere conati ſunt, vt illius ope finis hic optimus obtineatur. Pleno ore laudanda ſunt conſilia, quae *Carolus* M. et qui ab eius morte rerum potiti ſunt pro Germaniae ſalute, per rei ſcholaſticae integritatem ſtabilienda et conſeruanda, ſequuti fuerunt. (*a*) Huius auſpiciis natales ſuos multi ludi litterarii in Germania debent: quibus niſi ſcholis praefectorum pigritia reſtitiſſet, horrida illa, et turpis ignorantia, barbarie inualeſcente, bonas litteras nequaquam tam diu obſediſſet. (*b*) Scilicet in tradenda voces latinas legendi, et ad modulos canendi arte plurimi acquieſcebant ſcholarum doctores, quaſi ſummae reipublicae ſaluti eſſet, modulatoribus abundare: qui vero, quod horrendum et turpiſſimum dictu! ne quidem intelligebant ipſi, neque, vt decebat, pronuntiare poterant, quae legebant, et incondita prorſus voce cantabant. (*c*)

(*a*) Imperatorum Germanicorum curas pro ſcholis erigendis laudat *Micraelius* in Hiſtoria eccleſiaſtica p. 561. ſſ. nec non cl. *Schmeizelius* in genuino Academico c. I. et *Heumannus* l. c. p. 94.

(*b*) *Carolo* M. defuncto litterarum neglectum ſucceſſorum ipſius, in primis *Ludouici Pii* ſuperſtitioſae pietati, tribuit *Heumannus* l. c. p. 95 qui etiam p. 87. monet, ſaeculo VI. et VII. litterarum ſtudia non tam ob incurſiones barbarum gentium, quam ob creſcentem ingeniorum peſtem, ſuperſtitionem, deferbuiſſe, quippe quae litterarum non ſolum cultoribus, ſed etiam fautoribus ac Maecenatibus orbem vniuerſum orbauerit.

(*c*) conferatur *Rechenbergii* diſſertatio de ineptiis Clericorum: nec non cl. *Weberi* hiſtoria latinae linguae p. 309.

§. 7.

Summo rerum humanarum arbitro acceptum erat referendum, quod *Reuchlinus*, Saeculo a CHRISTO nato XV. inertibus hiſce iuuentutis ſcholaſticae doctoribus bellum indiceret, reique ſcholaſticae faciem purgare tentaret, linguarum ſtudium ciuibus ſuis de meliore nota commendando, quarum per plura ſaecula expertes fuerant. Quam ob rem a *Melanchthone* germanorum ſtudiorum anteſignanus, et ab *Eraſmo* totius Germaniae vnicum decus et ornamentum reipublicae vocatur. (*a*) Et licet, qui ordini ſacro adſcripti erant, eius coepta ſtomacharentur, impietatis atque exitioſorum errorum notam viro inurentes, qui et intra Germaniae fines, et extra illius termi-

nos doctrina omnes anteire credebatur; (*b*) impedire tamen non poterant, quo minus litterarum, in Italia Graecorum ex ſulum opera renaſcentium, lumen in Germaniam quoque radios ſuos ſparſerit, et quibus immerſa erat, ignorantiae tenebras felici ſidere diſpulerit. Poſthac diuinus *Lutherus* puriorem doctrinam et religionem bonis auſpiciis inſtauraturus, rem ſimul ſcholaſticam, et ſuis, et certiſſimi ſui ſocii, *Melanchthonis*, conſiliis non minus commendauit, quam ornauit, (*c*) optime ratus rem ſacram absque rei ſcholaſticae ſalute ſaluam non manere.

(*a*) Videatur *Weberi* hiſtoria linguae latinae, p. 434.

(*b*) Conferatur *Reuchlini* vita a I. H. *Maio* ſuccincte deſcripta.

(*c*) *Lutherum*, humanioris litteraturae cultorem, elegantiſſima diſſertatione laudauit cl. *Dornmeyerus*, Halae 1703. Ex quantum res ſcholaſtica eiusdem operae debeat, oratione ſaeculari, de inculta et horrida ſuperioris pontificiae, excultaque et florida noſtrae Lutheranae aetatis latinitate, docuit M. *Clauderus*, Gymnaſii Altenburgenſis Rector, 1617. et cl. M. *Wiliſchius* in oratione ſaeculari, quam 1717. in eodem Gymnaſio recitauit, de Luthero, rei ſcholaſticae reſtauratore, quas coniunctim legas in Iubilis Altenburgenſibus, 1717. in vulgus editis: nec non M. *Caluiſius* in diſſertat. de cauſis incrementi litterarii poſt barbara ſaecula, Lipſ. 1698. habita. Sed ante omnia legatur ipſius *Lutheri* ſermo ad magiſtratus, verbique diuini praecones in Germania, de ſcholarum inſtauratione, 1530. conſcriptus, quem *Coeleſtinus* libro ſuo, de ſcholis prudenter inſtruendis, 1558. luci publicae expoſito, praefixit.

§. 8.

Prodierunt ex *Melanchthonis* ſchola ſtrenui magiſtri, qui iuuentutem, litterarum cupidam, linguis et ſcientiis in Germania ita imbuerunt, vt rei publicae inſignem opem tulerint. Flagrabat ſtudium purioris religionis capita, ſcientias et linguas, ſcitu neceſſarias, in ſcholis addiſcendi, Latii et Graeciae ſcriptores perlegendi, et imitandi, vt iuuenes hisce artibus ſatis initiati, Academias digne adire, animosque optimis doctrinis praeclare excolere potuerint: donec triſtiſſimi belli, XXX et quod excedit annos acerrime geſti, ſtrepitus Muſis ſilentium imponeret, quo ſedato non ſtatim adfuerunt, qui collapſam rem ſcholaſticam reſtituerent. Tunc nouum prodibat doctorum ſcholaſticorum genus, quod, vt aliis, ſe deterioribus, palmam praeriperet, loquacitatis et vulgi auram captandi ſtudio abreptum,

abreptum, verba citius facere, quam recte ſentire, et ad antiquorum vtriusque linguae principum exempla, quae cogitabant, exprimere, iuuentutem docebat. Illibata tamen manſerunt nonnulla ſcholarum ſacraria, vt haberent, quae ſequerentur exempla, et ad quae rem ſcholaſticam componerent ſaniores:

(a) Tetigit hoc ſuperiorum temporum vlcus S. R. *Walchius*, in praefat. de corrupta ſcholarum eloquentia, cel. *Facciolati* orationi, de ſtudiis humanitatis, quam in Germania recudi curauit, praemiſſa: nec non cel. *Vockerodius* in diſſ. de recta et antiqua eloquentiae, maxime latinae, ratione, *Güntheri* Latinitati reſtitutae, praefixa.

§. 9.

Noſtro, quod viuimus, ſaeculo reſeruata erat felicior rei ſcholaſticae inſtauratio. Hanc ſibi iam praecipuam legem ſcribunt multi, qui de ſcholis ordinandis praecipiunt, qui pubem ſcholaſticam ad humanitatem inſtituunt, qui in vſum ſcholarum libros edunt, vt in rei publicae vſus iuuenes erudiantur. Nemo hodie habet, quo ignorantiam ſuam excuſet: inertiae et ſocordiae reus fit, qui melioribus veſtigiis inhaerere detrectat. Oras noſtras repetierunt humanitatis ſtudia, quae Italis Batauisque paene reliquerant maiores noſtri.

§. 10.

Quot, quaeſo, ſcriptiones proſtant, quae rei ſcholaſticae naeuos detegunt pariter, et emendant? quot commentationes, ad rem ſcholaſticam rite ordinandam, adprime facientes? Praedicari omni iure meretur doctiſſima praefatio, de ſcholaſticae inſtitutionis naeuis, quam S. R. *Langius* Grammaticae Latinae, a ſe foras datae, praemiſit. *(a)* Si a *Geſneri* inſtitutionibus rei ſcholaſticae diſceſſeris, beate defuncti Hofmanni breuiora de re ſcholaſtica ſcripta, in vnum faſciculum collecta, ſumma laude non ſunt defraudanda.

(a) Cui adiungatur cl. *Brieglebii*, Societatis Lat. Ienenſ. Collegae, oratio, de impedimentis ſtili latini, Ienae 1738. recitata, nec non b. *Hoffmanni* diſſ. de praecipuis ſcopulis in curriculo ſcholaſtico iuuentuti ſtudioſae vitandis. Zittauiae 1712. habita.

§. 11.

Strenuos humanitatis, quae in ſcholis tradenda eſt, vindices, et ſaniores Critices adſertores protulit ſaeculum noſtrum.

ſtrum. Ecquis ignorat *Cellarios*, *Schurzfleiſchios*, *Walchios*, *Cortios*, *Heumannos*, *Gesneros*, *Heineccios*, *Hallbaueros*, *Erneſtos*, *Langios*, *Reinhardos*, et longe plures, qui Romanae linguae caſtitatem ciuibus ſuis omni ſtudio commendarunt, et ad eam conſequendam non praecepta tantum ſuppeditarunt, ſed ſcriptores quoque Romanos nitidiſſime ad Batauorum inuidiam vsque recudi curauerunt, vt, quos humanitatis cultores legant et imitentur, viliſſimo pretio parare ſibi queant. (*a*) Vnde enim latinitas felicius addiſci poteſt, quam ex ſcriptoribus, qui ea aetate libros ſuos confecerunt, qua latinitas maxime floruit? horum lectione iuuentuti nihil prius eſto!

(*a*) Adplaudamus patriae noſtrae, quod philologiae latinae incrementa, inde ab initio huius ſaeculi vsque ad aetatem noſtram ciuium ipſius opera facta, in dies laetius creſcunt. Collaudauit illa cl. *Laurentius Reinhardus* in oratione *Hildburghuſae* 1726. habita, et inſtitutionibus ſtili latini, quas 1728. edidit, adiecta.

§. 12.

Fuit aetas, qua ſtudiorum, quae ab humanitate nomen ſunt adepta, intempeſtiuus pudor corrumpebat Academiarum ciues. Nuntium mittebant iis, quando ſcholis vale dicebant, ad altiora, vt loqui ſolebant, progreſſuri: quaſi litteras meliores vel ſatis excoluiſſent, vel nulla cognatione ſtudia inter ſe continerentur. Redire incipit in oras noſtras ſaeculum illud, quo ſcriptores Romanos pariter, ac Graecos, pro cathedris Academicis explicatos audire, ſtudiisque elegantioribus ſedulo vacare non detrectant Academiarum ciues. (*a*)

(*a*) Quos humanitatis ſtudia non dedecere, doctiſſime adſeruit, ingens, dum in viuis erat, Academiae Ienenſis ornamentum, *Io. Henr. Kromayerus*, in diſſ. de litterarum elegantiorum cultura in Academia diligentiſſime continuanda, quam Ienae 1717. publico examini ſubiecit. Ad audiendam Orationum *Ciceronis* explicationem Academiae Lipſienſis ciues clariſſimus Thomanae ſcholae Rector, M. *Erneſti*, nuper inuitauit, praemiſſa ſcriptione, quod facilius ſit latine ſcribere, quam auctores latinos interpretari, demonſtrans.

§. 13.

Quin immo in Academiis Germanicis illuſtres *Societates* iam congregantur, quarum ſocii politioribus litteris, magis magisque excolendis, laudabilem operam nauant. Laudes noſtras ſuperant *Societates Teutonicae* in Academia Lipſienſi, et Ienenſi,

nensi, eloquentiae patriae studentes, quam per annorum non multorum spatium ab innumeris sordibus repurgarunt. Sed latinam quoque dictionem a barbarie strenue vindicandam sibi sumserunt *Societates Latinae*, quae *Halae*, et in primis *Ienae* propter Salam, paucis abhinc annis collectae sunt. (*a*) Incumbunt ad hoc studiorum genus, qui adsidua philosophicorum praeceptorum tractatione iudicii sui vires ad maturitatem prouexerunt, et hac ratione ab vtilibus, scituque necessariis, inania et superuacanea discernere probe norunt. (*b*) Qui si ad iuuenes in scholis formandos accedant; aut alios, qui bonas litteras in illis artium morumque officinis docent, saluberrimis consiliis, librisque ad hoc studiorum genus rite pertractandum vtilissimis, adiuuent; eximios sane vsus inde in rem publicam redundare, necesse est.

(*a*) Originem Ill. *Societatis Latinae Ienensis* recenset cl. *Weberus* in historia linguae latinae, p. 930. Quid *Sodalitio Latino Halensi* exitio fuerit, ex cultissima praefatione, quam illustr. *Heineccius* rarioribus Latii monimentis, a cl. Fischero publicatis, praemisit, luculenter cognosci potest.

(*b*) Quo de selectu, religiose tenendo, praecepit venerabilis *Moshemius*, tam in oratione, quam de eo, quod nimium est in studiis linguarum et Critices, quam in dissertat. de linguae latinae cultura et necessitate, *Folietae* libris de L. L. vsu et praestantia praemissa. Conf. quoque cl. M. *Rumpfius* in diss. de nimio in linguis studio; nec non cl. M. *Ianus* in diss. de nimio Latinitatis studio.

§. 14.

Philosophia fidissimam rectricem se doctoribus scholasticis praebet, vt optimam artes docendi rationem eligant. Philosophiae ductu ingeniorum delectum instituunt, (*a*) et quomodo attentionem excitare possint, exquirunt. (*b*) Haec praeceptoribus suadet, vt, quae in auctoribus, quos classicos vocamus, legerunt discipuli, disquisitioni ipsorum committant, vtrum veritati respondeant, nec ne? quo modo in vitae vsus lecta conuerti queant? vt hoc pacto memoria non tantum verborum, loquutionumque, sed rerum quoque praestantissimarum copia cumuletur, et iudicandi facultas in primis expoliatur. (*c*) Igitur nec philosophiae omnis expertes discipulos suos in Academias dimittunt magistri, haud ignari, quantum vtilitatis ad ipsa humanitatis studia felici cum successu percipienda,

pienda, adferat philoſophia. (*d*) Tantum abeſt, vt in docendis philoſophiae praeceptis ſcholarum limites transgrediantur, vt potius illius interpretationem in ſcholis ab Academicis recitationibus diſcernere, omni opera nitantur. (*e*) Prae reliquis Philoſophiae partibus, Mathematicum ſtudium haud paucis ſcholarum magiſtris arriſit, vt illud, quantum per iuuenilis aetatis tenuitatem licet, diſcipulis ſuis inſtillent, cum vt iudicium ipſorum et attentionem acuant, tum vt, qui ex ſcholis ad operas alias ſe conferunt, Mathematicis praeceptis ad futuri ſui laboris ſubſidia inuenienda idonei reddantur. (*f*)

(*a*) Quandoquidem Philoſophiae vniuerſae incrementa doctrinae de temperamentis, et ingeniorum diuerſitate non exiguam lucem adfuderunt. Quae de varia ingeniorum conditione, *Pythagora* praeeunte, ſuo iam aeuo docuerunt *Richerius* et *Huartus*, noſtrae aetatis hominibus denuo tradidit cel. BVDDEVS in commentatione, de ingeniorum cultura c. II. § S. ſeq. Laudem quoque merentur cl. *Breſtonini* lucrubrationes, de eo, quod praeceptores decet circa ſua ſcholariumque temperamenta, quas Lipſ. 1737. in lucem emiſit.

(*b*) Vid. M. *Krigelii* diſſertat. de veterum et recentiorum ratione excitandi iuuentutem ad litterarum culturam. Lipſ. 1719. nec non M. *Hilligeri* diſſ. de ſubſidiis attentionis merito et falſo ſuſpectis, Witenb. 1723 editam.

(*c*) Legatur celeb. Vinarienſis Gymnaſii Rectoris, M. *Carpouii*, programma, quo rationem auctores claſſicos tractandi gymnaſticam, ſuccincte expoſuit, Vinariae 1738 conf. quoque cl. *Guttieri* commentatio, de lectione monimentorum graecorum latinorumque acroamatica, quam Lipſ. 1738. eo conſilio foras dedit, vt auctorum illorum lectores moneret, non eorum dicta tantum, ſed ſenſa etiam et cogitata indaganda eſſe.

(*d*) Neceſſarium elegantiorum litterarum cum philoſophia nexum adſerit doctiſſimus auctor programmatis, quod inſtitutionibus ſuis ſtili latini adiecit cl. *Reinhardus*, quem modo laudauimus.

(*e*) Hanc ob cauſſam cl. M. *Erneſti* ſolidioris doctrinae initia, caſto ſtilo latino exarata, in vulgus edidit.

(*f*) Quam ob rem variis ſcholis bene conſtitutis hodie praeficiuntur Matheſeos interpretes. Teſtamur in praeſenti ſcholas prouinciales Saxonicas, quarum alumnis paucis abhinc annis datus eſt, qui Matheſin doceret. Ardent huius ſtudii amore, et ſingulis quique palmam praeripere geſtiunt, vniuerſae Europae, et Germaniae praeſertim, incolae, vt ſaeculum noſtrum Mathematicum adpellare non dubitauerim. Videatur S. R. *Verpoortenii* oratio, de honeſtiſſima gentium Europaearum in prouehendis artibus mathematicis aemulatione, Primitiis Gedanenſibus, numero IX. inſerta.

§. 15.

§. 15.

Laudandus profecto mos est, qui in scholas nonnullas est introductus, vt discipuli, profectibus pares, in singulis scientiis addiscendis, coniungantur. Profectuum enim, qua discentes gaudent, differentia quid eos ipsos, quid docentes magis remorari possit, ego prorsus nescio. Placuit hic singularum artium cultores pro diuersa profectuum suorum conditione in diuersas classes distribuendi modus, nisi me omnia fallunt, primum Directori Paedagogii et Orphanotrophii Halensis; quamuis distributionem illam aliis quoque scholarum doctoribus iam pridem in mentem venisse, et in votis fuisse, facile credi possit: quorum vota tamen sociorum copia destituit, quibus plures illas cateruas, in quas vniuersus coetus est diuidendus, formandas committere potuerint. Enimuero iis abundare curabat Paedagogium et Orphanotrophium Halense prudentissimus eorum Director, vt cuiusuis cateruae emolumento prospiceretur. Tamen non sine mentis laetitia percepimus, laudabile illud institutum aliarum quoque scholarum praeceptores, numero licet pauciores, desiderio tamen et prudentia iuuentutem scholasticam erudiendi nemini secundos, imitari coepisse, vt pro viribus quisque suis linguis et artibus, felicius, quam maiorum nostrorum memoria, erudiri queat. (*a*)

(*a*) Confer relationem, de statu scholae Neustadiensis propter Aischam. 1733.

§. 16.

Renascuntur in Germaniae scholis litterae graecae, quas per annos bene multos ex iis si non exsulasse, saltim in iis obmutuisse, credidisses. (*a*) Firmiter persuasum sibi habent sapientiores scholarum magistri, graecae linguae cognitionem cum romani sermonis notitia arctissimo vinculo coniungendam esse. (*b*) Inuitant auditores suos ad legenda Graecorum monimenta, vt tam linguae huius cognitionem, illustrandis N. F. libris oppido inseruientem, capiant, quam gentium Graecarum res gestas, mores et doctrinam ex ipsis fontibus cognoscant, suamque rerum vtilium notitiam amplificent. (*c*) Ne-

 que

que in consiliis hisce opera ipsorum subsistit; sed ipsi explicando praeeunt discipulos, et quos per raritatem, nimiumque pretium oculis vsurpare paucissimis licuit, auctores, nouiter recusos exponunt singulis. Chrestomathiam graecam foras dedit cel. *Gesnerus:* Xenophontis memorabilia publicae luci exposuit cl. *Ernesti;* Dialogorum a *Platone* conscriptorum manipulum in iuuentutis scholasticae vsum edidit *Müllerus; Aristophanis* Comoediam, quae inscribitur, *Plutus*, recensuit *Stubelius:* Orationum graecarum et Poematum graecorum Syllogas exhibuit *Schroederus:* vt *Schulzii, Hederichii, Vrsini, Reckenbergeri,* Grammaticas graecas, et Lexica graeca, quibus studiosae litterarum graecarum iuuentuti aetate nostra subuenerunt, mente grata potius, quam verbis recolam. Quos de re scholastica optime meritos quin alii sequuturi, suisque operis iuuentuti auctores graecos pariter, ac romanos, sint reddituri, et explicaturi; non est quod dubitemus.

(a) Inter caussas huius exsilii, quas in praefatione, quacum *ξενοφῶντος ἀπομνημονευμάτων βίβλοις*, Lips. 1738. recudi curauit, cl. *Ernesti*, doctissime exponit, iure meritoque refert, quod illa vetus consuetudo enarrandorum in Academiis Graecorum scriptorum paene interierit, in scholis autem nonnullis vnus et alter quidem explicetur, sed ita tarde, vt si quis vnum Hesiodum v. c. integrum explicari velit audire, ei decem aut plures anni opus sint. *Accedit*, inquit, *illud incommodi, quod libri graeci aut tam rari sint, aut tam pretiosi, vt non possit facile in coetu vel mediocri, quem quis velit, Auctor graecus explicari. Itaque bene mereri de iuuentute, et graecis litteris, putandus est, si quis efficere studeat, vt parabiliores graeci libri fiant: quales olim fuisse constat, quum Basileae, multisque aliis locis aut sine interpretatione latina et notis, aut sine notis saltim prodirent, quod interpretatio notarum locum et vim tenere putaretur. Neque enim ignorant docti homines, illis temporibus, quum huiusmodi essent librorum graecorum editiones, graecas litteras egregie floruisse, quum hodie, dum nimis exornamus graecos auctores, in dies propius ad interitum venire videantur. Non est quidem improbanda doctorum hominum opera, qui interpretationibus latinis et notis instruunt auctores graecos, sed laudanda potius: sed quam in latinis auctoribus rationem semper tenuerunt docti viri, vt praeter eas editiones, quae doctorum gratia concinnantur, etiam aliae compararentur, quibus iuuentuti et paupertati consuleretur; eam etiam in graecis tenendam esse existimamus. Ea res fiet, si libri graeci, qui quidem iuuentuti idonei videntur, sine interpretatione edentur, in notis autem is modus habebitur, vt nonnisi necessaria, h. e. quae ad lectionem constituendam, et reliquas difficultates tollendas pertinent, adferantur.*

Hoc quoque loco commemorare iuuat caussas neglecti graecae linguae studii, quas *Moyses du Soul*, homo doctus in Anglia, in medium adfert, in praefatione vitarum parallelarum a *Plutarcho* conscriptarum, quarum nouam editionem, quam *Augustinus Bryanus* molitus fuerat, is ad finem perduxit. Primam culpam transfert in difficilem illam graecorum Lexicorum rationem, in quibus plerumque voces deriuatae ad radices suas sunt relatae, quarum ne peritiores quidem linguae cultores semper sunt gnari. Alteram culpam in eo sitam esse contendit, quod graecae voces nec in Lexicis, nec in ipsis auctoribus lingua vernacula explicentur. Tertiam denique esse docet, quod auctoribus graecis versiones latinae e regione opponantur. Vid. *Noua Litteraria Lipsiensia*, a 1735. p. 496. Non minus conferri merentur, quae cel. *Clericus* in Arte Critica, p. 59, edit. Lipf. versionum censoribus respondit.

(*b*) Docente *Daniele Vechnero* in Hellenolexia.

(*c*) Commendauit graecae linguae studium *Alexander Politus*, graecarum litterarum in Pisano Lyceo Professor, in oratione, de litterarum graecarum necessitate, quam consultissimus *Ienichen* Lipf. 1737. recudi curauit: nec non Iuris consultissimus *Trierius* in dissertat. de vsu graecae linguae, Lipf. 1706. habita.

§. 17.

Sunt, qui teneros iuuenum animos solidiori DEI cognitione imbuunt, et iam in scholis, quantum satis est, eos instruunt, vt certamini cum iis ineundo, qui, rationis licet expertes, ratione superbiunt, eamque libris, adflatu diuino conscriptis, superiorem esse iactant, pares exsistant. Quam ob caussam Serenissimi Principis sui iussu theologiae naturalis compendium adornauit cel. *Reinhardus*. (*a*) Quid enim crebrius vsu venit, quam vt mens, veritatis cognitione non satis obfirmata, perturbetur, iisque cedat, qui veritati sine fronte obloquuntur? in primis, quum ii, qui Iuris prudentiae, Artique medendi, operam suam in Academiis consecrant, partium suarum esse, rarissime existiment, religionis suae capita altius perscrutari, et saluberrimae rerum caelestium doctrinae maiores in dies accessiones facere.

(*a*) Prodiit Ienae 1733. *Reinhardi* demonstratio certitudinis et imperfectionis religionis naturalis, in vsum Vinariensis Gymnasii Principis iussu conscripta.

§. 18.

Ad ipsos fontes sacros multi magistrorum discipulos suos deducunt, tanto studio, vt si non integras tabulas sacras, plu-

rimos tamen earumdem libros ante perlegant quam in Academias conferunt. Ea quippe temporis noſtri eſt felicitas, vt non tantum adminiculis, Codicis S. voces exponendi, reſoluendi, et explicandi adfluat iuuentus; ſed ipſum quoque Codicem S., immo graecam V. T. translationem viliori pretio adquirere poſſit. In ſinum nuper gauiſi fuimus, legentes, maxime reuerendo *Haymanno* in Portenſi ſchola demandatum eſſe, vt alumnis eius codicem S. interpretetur. (*a*) Profanorum quoque ſcriptorum lectionem a doctiſſimo Gymnaſii Lubecenſis doctore, C. H. *Langio*, ea lege inſtitui, vt, quae ſanctiorum litterarum cultori aliquando prodeſſe poſſint, ſedulo adnotentur, ex praefatione didici, qua obſeruationes ſacras, 1737. editas, lectoribus dedicauit. (*b*)

(*a*) Videatur eiusdem conſultatio, de paraphraſi totius codicis ſacri germanica et latina, qua recitationes ſuas, in hiſtoriam creationis Moſaicam extra ordinem habendas, indicit.

(*b*) *Prudentius*, inquit, *ſapientiores tironum magiſtri agunt, qui, cum in linguarum cognitione, tum in lectione auctorum, quidquid vſui eſſe aliquando poſſit, et oſtendunt ſtatim iuuentuti, et in futuros vſus enotant. Idem mihi ſtadium, ex quo iuuenum commodis inſeruire coepi, praeſcripſit tum recti conſcientia, tum muneris religio: hinc factum eſt, vt partim inter docendum, partim inter legendum, tamquam ſpolia quaedam aegyptiaca auferrem, inque ſchedulas deinde coniicerem, quae prodeſſe poſſe ſanctiorum litterarum cultori, aliisque doctorum ordinibus inſeruire, videbantur* κ. τ. λ. Quorſum etiam cl. M. *Henr. Scholtzium*, Breitenaniani Ploenenſis Rectorem, reſpicere, ex Iohanneis, quae ex Theocriti Idylliis collegit, et Hamb. 1735. vulgauit, conicio.

§. 19.

Quid? quod nonnulli ſcholarum magiſtri iuuentutem, ſibi creditam, a teneris, quod aiunt, vnguiculis doceant, cum religionis noſtrae ignaris praecepta illius communicare. Huc eorum magiſtrorum tendit opera, qui, referente cel. *Callenbergio*, linguam hebraeo-germanicam, vt vocant, qua Iudaei hodie in ſcriptis ſuis et colloquiis vtuntur, diſcipulis ſuis addiſcendam proponunt, vt cum Iudaeis de religione ſua ſermones inſtituere queant. (*a*)

(*a*) Vid. *Callenbergii* relationem de tentata Iudaeorum conuerſione, Continuat. XIII. et XV. Ein auswaertiger Schullehrer referirte, er habe kürzlich etliche Schüler auf die Vniuerſitaet dimittiret, welche

che nebst der hebraeischen Sprache auch die iudisch-teutsche Sprache begriffen haben.

§. 20.

Ingenti numero Musarum domicilia aetate nostra adaucta videas. Haec enim in Silesia exstruendi, religioni, a diuino *Luthero* repurgatae, adscriptis, veniam impetrauerat immortali belli, pacisque gloria inclutus, Rex Sueciae, *Carolus* XII. Ludos quoque litterarios plurima orphanotrophia, maioribus nostris prorsus incognita, continent. Potentissimum Daniae Regem Altonauiae Gymnasium nouum nuper constituisse, ex relationibus publicis accepimus. Nec est, cur politiorum litterarum studio in Germania pulchrius in dies efflorescente, magistros hisce praeficiendos tandem defuturos esse, vereamur.

§. 21.

Huc accedit, quod primo loco commemorandum erat, quod rem scholasticam emendandi consiliis grauisſimum pondus hodie addant Reges et Principes. Quis enim nescit ab aula litterarum fortunam pendere? Hi, quo in rem publicam litterariam inusitato amore feruntur, saluberrimis mandatis rem scholasticam muniunt: (*a*) ingeniorum delectum haberi iubent: optimam litteras tradendi rationem praescribi curant: an muneri suo satisfaciant praeceptores, sollertisſime inquiri imperant: immo munificentissime prospiciunt, vt in Academiis iuuenes nonnulli ad munera in scholis docendi rite obeunda, digne praeparentur. Qua de caussa in Academiam Halensem celeberrimum *Cellarium* euocabat serenissimus Borusſiae Rex *Fridericus*, vt humanitatis litteras in ea docendo scholarum magistros formaret. (*b*) Hisce regiis auspiciis in Paedagogio, quod ibidem floret, praeparantur, primaque huius artis tirocinia ponunt, qui scholis posthac sunt praeficiendi. Cuius ad exemplum in Academia Georgia Augusta Praeceptorum seminarium recentisſime condidit Serenisſimus Brittanniae Rex, *Georgius* II, vt de re scholastica optime meriti *Gesneri*, et quicumque eumdem in publico, eloquentiam docendi, munere sequentur, institutione et consiliis meliores litteras non minus ipsimet celebrent, quam alios vicisſim docere discant. (*c*)

(*a*) Prin-

V.

IO. MICHAELIS HEVSINGERI

ILLVSTR. GYMNASII ISENACENSIS DIRECTORIS

EMENDATIONES

ALIQVOT LOCORVM

IN

CORNELII NEPOTIS

VITIS

EXCELLENTIORVM IMPERATORVM.

I.

Miltiad. cap. IIII. n. 5. omnes fere nunc legimus: *auderi aduersus se tam exiguis copiis dimicare.* Hoc an satis Latine dicatur, etsi recte Io. Schefferus in lectionibus Cornelianis p. 31. dubitat; nec ipse tamen, quod Latinius esset, inuenit, nec, eius monitu, quisquam alius quaesiuit. Boeclerus quidem in suis membranis reperit *audere*, idque antea iam veteres libri, Parisienses an. CIↃIↃXIIII. forma prim. et Basileenses, ab Henr. Petri an. CIↃIↃLXIII. cum Hier. Magii adnotationibus vulgati, et a me inspecti, habuerunt; quae vero verbi audere hic esset vis, quum fortasse non satis peruideret, veram scripturam posthabuit. Sed non erat repudiandum, quod ab ipso auctore profectum est. Passiuum *auderi* ab iis inculcatum fuit, quibus intelligere non licuit, quid sit *aduersus dimicare.* Quae vero aures, Latino sermoni adsuetae, illud *auderi aduersus se dimicare* ferre possunt? Quare, vt βαρβαρίζειν desinat Nepos, reddenda ei est vera lectio, *audere aduersus se tam exiguis copiis dimicare.* Ordo verborum, ex mente Nepotis, hic est: *hostes eadem re fore tardiores, si animaduerterent, audere se* (i. e. Athenienses) *aduersus dimicare tam exiguis copiis.* Ita *aduersus* non praepositionis, sed aduerbii significationem habet. Est autem *aduersus dimicare* idem, quod terga non vertere, sed obuiam ire hosti, et pugnandi copiam facere. Ne insolens videatur haec interpretatio, audiamus ipsum Nepotem, ita plane alibi *aduersus* similibus verbis iungentem. Nam Agef. IIII. 6. legimus, *qui aduersus arma tulerant*; et Pelop. l. 3. *qui aduersus resistere audebant.* An non hoc idem est, quod *aduersus dimicare?* Nec aliter ceteri scriptores probatissimi. Plaut. I. Amph. I. 143. *Clare aduersum fabulabor: hic auscultet, quae loquar.* Simile est, quod v. 182. dixit, *contra conloquar.* Idem III. Trin. II. 98. *Qui meo hero aduersus venerit.* I. Merc. II. 5. *Simul autem plenissime eos, qui aduersum eunt, aspellite.* Vide et III. Most. I. 19. et 24. Liuius lib. XXXVII. c. 13. *Posteaquam nemo aduersus ibat.* Catull. ep. XXXXVIII. v. 3. *Qui sedens aduersus,*

ſus, *idemtidem te ſpectat et audit.* Adde Boſium ad Hamilc. cap. II. 2. Quod vero *ſe* pro *ipſos* poſitum dixi, id ab ipſo Nepote didici, cui id familiare eſt. Sic Alcib. IIII. 6. *Nam quum intelligerent*, *ſe* (ipſum) *plurimum prodeſſe reipubl. ex ea eieciſſe.* Milt. III. 1. *Quibus*, *ſe oppreſſo*, *nulla ſpes ſalutis relinqueretur.* Ageſ. II. 5. *Se autem*, *ſeruata religione*, *confirmare exercitum*, *quum animaduerteret*, *deorum numen facere ſecum*, i. e. *cum ipſo*, Ageſilao. Add. Them. VIII. 3. *propter ſe*: ibid. n. 8. *ſi ſe conſeruaſſet.* Atque ita planus, ac ſatis etiam Latinus, erit hic locus.

II. Alcib. cap. II. n. 1. librariorum imperitia hanc, quam omnes fere ſequuntur, peperit lectionem: *Socerum habuit Hipponicum*, *omnium Graecae linguae eloquentia diſertiſſimum.* Pro *diſertiſſimum* alii retinuerunt *ditiſſimum*, vel *diuitiſſimum.* Nam Hipponici diuitias Graeci ſcriptores vno ore omnes, eloquentiam nemo alius praedicat. Teſtimoniis illorum, quae Lambinus collegit, addo et hoc Luciani Timon. p. 105. Graeu. vbi Mercurius caecum Plutum ridet, indignis opes ſine vllo delectu largientem, idque his verbis illi exprobrat: οὐ γὰρ Ἀριστείδην καταλιπὼν Ἱππονίκῳ καὶ Καλλίᾳ προσῄεις, καὶ πολλοῖς ἄλλοις Ἀθηναίων, οὐδὲ ὀβολοῦ ἀξίοις. *Non enim*, (niſi caecus eſſes) *Ariſtide praeterito*, *ad Hipponicum et Calliam acceſſiſſes*, *tum ad multos alios Athenienſes*, *ne obolo quidem dignos.* Non ita de Hipponico loquentem deum, eloquentiae praeſidem, feciſſet Lucianus, ſi *omnium Graecae linguae eloquentia diſertiſſimus*, vel, vt in pluribus eſt exemplaribus, *ditiſſimus* ille fuiſſet: quod, Gebhardo explicante, eſt, ſi Hipponicus luculentas illas diuitias eloquentia et dicendi facultate paraſſet. Vidit hoc Lambinus, qui proinde reſcripſit, *omnium Graecorum diuitiſſimum*, et reliqua verba a mala manu eſſe credidit. Sed quia ille vlcus non tam ſanaſſe, quam ferro recidiſſe viſus eſt; pauciſſimis hanc medendi rationem approbauit. Quod Lambino igitur parum feliciter ceſſit, alia via tentabimus. Iam vero illud certum, et optimorum codicum, Danielis, Schotti et Gifanii, eſtimonio comprobatum eſt, *ditiſſimum*, non *diſertiſſimum* Hipponicum fuiſſe: vnde

Boſius

Bosius etiam in hac voce Lambino adsensus est, nisi quod *ditissimum*, non *diuitissimum*, rescripsit, quum, parum sibi constans, alibi (Phoc. 1. 2.) Nepoti *diuitissimus* vindicet. Deinde nec ignotum est Corneliani sermonis gnaris lectoribus, familiare prorsus nostro periphraseos hoc genus esse, vt Graecos dicat *Graeca lingua loquentes*. Ita Milt. cap. III. 2. *Sic enim putauit facillime se Graeca lingua loquentes, qui Asiam incolerent, sub sua retenturum potestate.* Dion. c. I. 5. *Hunc a Dionysio missum Carthaginienses suspexerunt, vt neminem vmquam, Graeca lingua loquentem, magis sint admirati.* Similia sunt haee Reg. III. 5. *Quos et animi magnitudine, et calliditate omnes, in Africa natos,* (i. e. Afros) *praestitisse constat.* Milt. c. III. 4. *Eos, qui Asiam incolerent Graeci genere.* Quis ergo non suspicetur, Hipponicum quoque ab eo dictum fuisse *omnium Graeca lingua loquentium ditissimum*, vel *diuitissimum?* Ex hac vtique verissima Nepotis manu, quae id ipsum eleganrissime expressit, quod Graeci dixerunt, πλεῖστα. τῶν Ἑλλήνων κεκτῆσθαι Ἱππόνικον, monstrum illud vulgatae scripturae natum est, *omnium Graecae linguae eloquentia ditissimum*, et hinc, vt fecundi sunt errores, *disertissimum:* quod nec vere, nec Latine dicere potuit homo Romanus, Graecarum litterarum peritissimus. Tale aliquid Sallustio accidisse memini, qui, quum Catil. V. 4. scripsisset, *satis loquentiae, sapientiae parum*, non intactus esse potuit a simili librariorum iniuria, qui iam olim *eloquentiae* substituerunt in locum *loquentiae:* ad quem locum legatur Cortius.

III. Conon. cap. V. n. 2. veri simillimum est, Nepotem scripsisse: *Nam quum magnam auctoritatem sibi pugna illa nauali, quam apud Cnidum fecerat, constituisset, non solum inter barbaros, sed etiam inter omnes Graeciae CIVITATIS.* Quum vero grammaticus aliquis haec non caperet, et vocem *ciuitatis*, antiqua terminatione, *ciuitates*, quarto casu, significare opinaretur; hinc factum est, vt, oblitterata vera scriptura, omnia nunc exemplaria, prae se ferant *ciuitates*, quasi omnes ciuitates Graeciae intelligantur, i. e. respublicae. Sed Latini ita loqui non solent, *Conon magnam auctoritatem sibi constituit*

inter

inter omnes Graeciae ciuitates: quia *inter* dicitur, vbi de rebus vel perſonis ſermo eſt, quae ſub eodem genere comprehenduntur, quaeque in eodem numero eſſe poſſunt. Conon vero non fuit numero Graeciae ciuitatum, ſed Graecorum, vel ciuium Graeciae. Non *inter omnes ciuitates* ergo, ſed *apud omnes ciuitates* auctoritatem ſibi conſtituit, vt alibi ſcriptum reperio. Nam Milt. VIII. 4. *magna auctoritas apud omnes ciuitates*, (non *inter*) ipſe nobis dedit. Quia tamen praepoſitio *inter* cum verbo *conſtituit* rectiſſime hic ſociatur; non legendum eſt *inter omnes ciuitates*, ſed *inter omnes Graeciae ciuitatis*. Nec ſatis accurate *barbaris* opponuntur *omnes Graeciae ciuitates*, ſed omnes Graeci, vel, vt noſter loqui ſolet, *omnes Graeciae ciuitatis*. Exempla huius circumloquutionis ſatis iam multa paullo ante attuli: ſuperſunt et alia. Alcib. VII. 4. *Primus Graeciae ciuitatis in Thraciam introiit.* Quem locum poſt alios Boſius a corruptela vindicauit. Reg. I. 1. *Hi fere fuerunt Graeciae gentis duces.* Imitatus hoc, ſi quisquam alius, ſaepiſſime eſt Gellius: quia ita et Graeci loqui amant, quibus Ἑλλὰς ſaepe adiectiui loco eſt, vnde Ἑλλάδα γῆν dicunt. Vide Theogn. v. 247. et Vechneri hellenolex. a me quartum editam, lib. I. part. II. c. VIII. p. 186.

IIII. Vnica littera mutanda eſt Timoth. c. II. n. 1. quod vt omnibus pateat, totum locum adſcribam. *Idem, claſſi praefectus, circumuehens Peloponneſum, Laconicam populatus, claſſem eorum fugauit: Corcyram ſub imperium Athenienſium redegit, ſociosque* idem *adiunxit Epirotas, Athamanas, Chaonas, omnesque eas gentes, quae mare illud adiacent.* Prima vox *idem* paullo poſt, ſine vlla gratia, nullaque perſpicuitatis ratione exigente, repetitur, vt ſatis adpareat, non *idem*, ſed *item* primitus fuiſſe. Corcyram ſub imperium Athenienſium redegerat Timotheus, quum, claſſi praefectus, circumueheretur Peloponneſum: eodemque imperio ſocios Athenienſibus adiunxerat omnes illas gentes, quae mare illud accolunt. Vt igitur ſignificetur, hoc factum eſſe eodem imperio, particula *item* adiicitur, quae eorum verborum loco ponitur, quae repetenda ſunt. Plena enim oratio eſſet: *claſſi praefectus cir-*

summehens Peloponnesum, socios Atheniensibus *adiunxit Epirotas* et reliquos. Hanc vim habet *item* Hannib. VII. 1. *Ille nihilo secius exercitui postea praefuit, resque in Africa gessit; itemque Mago frater eius.* Repete *praefuit* ac *gessit.* Adde ibid. n. 3. Reg. II. 2. Cort. ad Sallust. Cat. XXVII. 2. Atque ita excusatius, spero, *item* hic rescribetur, quam Courtinus id fecit Epam. III. 2. vbi omnes *idem* praeferunt, nec, quare id refingatur, satis magna caussa adparet.

V. Quid sibi velint Eum. c. VII. n. 3. verba illa, *quod et fecit*, a nemine adhuc explicatum video. Dixerat, Eumenem *in principiis nomine Alexandri statuisse tabernaculum, in eoque sellam auream, cum sceptro ac diademate, iussisse poni, eoque omnes quotidie conuenire, vt ibi de summis rebus consilia caperentur. Credidisse eum, minore se inuidia fore, si specie imperii, nominisque simulatione Alexandri, bellum videretur administrare.* Hinc sequitur: *Quod et fecit.* At quid fecit? Nihil aliud certe, quam quod factum esse, iam antea significauerat Nepos. Ergo superuacaneum est, id iterum factum dici. Vocula itaque aliqua excidisse videtur, iudicium Nepotis de hoc facto continens: quum praesertim particula *nam* subiiciatur. Solemne enim illi est, quoties consilium aliquod exposuit, quale illud sibi videatur, vel vno verbo declarare. Sic Dat. VI. 8. *Quo neque acutius vllius imperatoris cogitatum, neque celerius factum vsquam reperimus.* Timol. III. 4. *Neque vero id imperite fecit.* Simile igitur aliquod aduerbium hic supplendum esse, iam pridem suspicatus sum. Si quis tamen omnino tuendam censet vulgatam lectionem, quo modo illa enodari possit, ipse viderit. Equidem eam ita defendi posse opinor, si dicas, *fecit* proximi verbi significationem referre, eiusque repetendi vicem implere, adeoque mentem auctoris esse: *quod bellum etiam Alexandri nomine administrauit.* Vid. de hoc verbi vsu Cort. ad Sallust. Cat. LV. 2. Nec errabis, si verbo *fecit* eam hic vim tribues, quam supra habet cap. II. 5. vbi *et fecisset* est, *perfecisset.* Ita *fecit* nihil aliud erit, quam *id perfecit, id consequutus est.* Sed prior interpretatio magis placet.

VI. Han-

VI. Hannib. cap. X. n. 1. vulgatum est: *Apud quem eodem animo fuit erga Italiam, neque aliud quidquam* egit, *quam regem armauit et excitauit aduersus Romanos.* Si a Nepote profecta fuisset vox *egit*, non dubito, quin sequeretur, *quam vt regem armaret et excitaret.* Henrici Petri certe, et Parisiensia exemplaria habent: *Neque aliud quidquam egit, quam regem armarit et excitarit.* Neque aliter id verbi construxit alibi. Them. V. 1. *Id agi, vt pons, quem ille in Hellesponto fecerat, dissolueretur.* Attic. XI. 1. *Nihil aliud egit, quam vt plurimis, quibus rebus posset, esset auxilio.* Concinit et illud Lys. I. 4. *Nihil aliud molitus est, quam vt omnes ciuitates in sua teneret potestate.* Vbi vero coniunctionem omittit, ibi verbum quoque supprimit. Lys. II. 4. *Contra ea Tissaphernes nihil aliud, quam bellum comparauit.* Paus. I. 4. *Neque aliud scripserunt, quam nomina earum ciuitatum, quarum auxilio Persae erant victi.* Quum itaque venusta haec, sed vulgo parum nota formula, Nepoti non fuerit inusitata; venit mihi in mentem, hic etiam in primis exemplaribus fuisse, *nihil aliud quidquam, quam regem armauit.* Verbum *egit* adiectum est ab aliquo grammatico, cui haec loquendi ratio aut parum Latina, aut explicanda, videbatur. Sed *fecit* potius supplendum fuisset, quam *egit*, ex Ciceron. pro S. Roscio Am. c. 37. *Nihil aliud fecerunt, nisi rem detulerunt.* Confirmat meam coniecturam Gronouius ad Quintil. declam. III. c. 9. vbi quum inuenisset, *indignis vero vocibus contaminatus, nihil amplius aget, quam renuet?* pro insiticio induxit τὸ *aget.* Suffragatur et Burmannus, qui a pluribus membranis suspectum illud verbum abesse docet. Et certe abesse debet, nisi, Aemilium Probum aliquem has vitas composuisse, veri similius putamus. Nec enim aequales Nepotis scriptores illud admiserunt. Liu. l. II. c. 32. *Ventrem, in medio quietum, nihil aliud, quam datis voluptatibus frui.* Id lib. XXX. cap. 35. *Ac, si nihil aliud, vulneribus suis ferrum hostile hebetarent.* Sueton. Ner. c. 43. *Inermem se in conspectum proditurum, nec quidquam aliud, quam fleturum.* Flor. lib. IIII. c. II. 80. *Quum diu pari Marte acies nihil aliud, quam occiderent.* Vid. Parei lexic. crit. p. 787.

M 2 Bur-

Burman. ad Petr. c. 86. extr. Cort. ad Plin. lib. I. ep. V. 5. et quae nuper ad Lactant. lib. III. c. XVI. 1. adnotauit S. R. Heumannus, cui de praeclara hac Lactantii editione plurimum debet iuuentus.

VII. Reliqua breuiter tantum attingam. Miltiad. c. VII. n. 5. orationis ordo postulat *expugnare potuisset*, pro *posset*. Lysand. c. 1. n. 5. pro *fide confirmarat*, rectius scribetur *confirmaret:* quod et Keuchenius expressit. Alcibiad. c. IIII. n. 4. Boecleriani codicis lectionem probo: *Hac Thurios in Italiam peruectus*, pro *ac Thurios*. Praecessit iam, *et in triremem*: nec periodo modus constabit, nisi hac emendatione interpunctio mutabitur. Conon. c. III. n. 1. lego: *Multis enim magnisque meritis apud regem et iam, quum in officio non maneret, valebat.* Vulgo, *apud regem, etiam quum.* Hannib. c. VII. n. 3. *et nunc* factum videtur ex *et iam nunc.* Omnes enim boni scriptores *et iam nunc* dicunt, pro *adhuc*. Vid. Horat. Tursell. de partic. p. 293. Schwartz. postr. et Cort. ad Sallust. Iug. XXXI. 3. CVIIII. 3. Tanto magis vero in Nepote id corrigendum est, quod raro ille *et*, pro *etiam*, adhibuit, Ciceronis, vel suae potius aetatis exemplo, de quo iterum ad Tursellinum Thomasius in *ET*, p. 285. Hinc fere numquam post *non solum* reperies *sed et*, semper *sed etiam*, aut, omisso *etiam*, tantum *sed*. Vnum locum Thrasyb. I. 5. obseruaui, vbi *non solum, sed et* in vulgatis legitur: sed quam facile sit *et* atque *etiam* in scriptis manu libris permutari, satis norunt omnes, quibus illi non plane sunt inuisi. Atque hic finiendum est: cetera, quae his supersunt plura, alio tempore expromendi potestas dabitur.



VI. DIS-

VI.

DISQVISITIO
DE
ORIGINE, NATVRA
ET
VSV NVMERI ORATORII

INSTITVTA

A

M. IOH. CHRISTOPH. MYLIO
BVTTSTADIO-THVR.
ADIVNCT. FAC. PHIL. IENENS. ET BIBLIOTH. ACADEM.
PRAEFECTO, MEMBRO SOC. LATIN. IENENS.
HONORARIO.

§. I.

Diu multumque disputatum fuit ab illis, qui in latinae linguae indolem altius penetrare solent, *an detur quidam numerus oratorius?* quam appellationem exinde ortam esse extra omne est dubium, quia oratores de numero vocum, syllabarum et etiam litterarum solliciti esse debent, si iustos et ad pertractandum argumentum accommodatos satis concinnare velint verborum ambitus. Absit autem, vt intelligamus tam puerilem, quam non nulli, de numeri oratorii indole non satis edocti, somniarunt, (*a*) superstitionem, vt ita vocem, oratoriam, qua obstrictos se crediderunt, omnes verborum ambitus certo et eodem vocum, quin etiam syllabarum et forsitan etiam litterarum numero absoluere, licet, vel ipsa ratione sana iubente; concedamus facile, verborum comprehensiones, siue periodos, nimium non extendi debere, vt vitiosae enascantur τάσεις, quae vltra 8. membra se extendere solent, suntque omnium periodorum diffusissimae, nimis extensae et dilatatae, quas vel robustissimus orator vno spiritu non eloqui possit; vnde semper in vitio poni solet tam enormis circumductio, (*b*) et tales nimiae verborum et sensus extensiones a Grae-

---

(*a*) Quia enim datur *superstitio vel idololatria litteraria*, in eo consistens, si quis eruditis, vel eorum scriptis maiorem, quam par est, tribuit honorem, vel in verbis, ea vltra modum laudando, vel in factis, eruditos superstitiose imitando, et tam illos quam haec superstitiose veneratur; cuius superstitionis litterariae multa collegit exempla venerandus D. Ioh. Christoph. Koecher, Doct. Theol. et Gymnas. Osnabrügensis Rector celeberr. in libello *de superstitione erudita seu litteraria*, Colon. 1728. in 8. pl. 8. sub. nomine Gratiani *Aschpani* latens. Vid. *Bibliothecam meam Pseudonymorum.* n. 37. quem librum, priori editione longe auctiorem eruditissimus auctor addito nomine suo et sub tit. liber singularis *de Idololatria litteraria* 1738. Hanouerae in 8. denuo edidit. Priorem editionem verbose recenset venerandus noster Stollius in der Nachricht von den Büchern seiner Bibliothec part. 6. p. 549 - 554. Posteriorem celeberr. Reimannus *in catal. litterario* p. 748.

(*b*) Vid. Hermogenes *de inuentione* lib. 4. p. 194. et Sturm de *Periodis*. c. 10. Tales varias vitiosas τάσεις vel in ipso Cicerone nonnulli Oratorum obseruarunt e caussa in orat. pro *Roscio* c. 49. *pro lege Manilia* in ora-

Graecorum verbo τείνω *extendo*, τάσεις siue *extensiones* dictae sunt, quaeque a Periodicis ratione magnitudinis differunt. Periodica enim oratio minima plerumque 5. fere membra, maxima 8. habere solet, si autem membra parua sunt, etiam 10. adhiberi posse concedit Gerard. Ioh. Vossius *de arte oratoria* lib. 4. c. 3. sect. 6. p. 66. conf. celeberr. Berger. *de naturali pulchritudine orationis* p. 269. et Sturm *de Periodis* c. 9. §. 1. et c. 10.

§. II.

Relinquamus igitur tam superstitiosam vocum, syllabarum et litterarum numerationem otiosis Iudaeis et quibusdam sacri codicis interpretibus, qui ad conseruandam Scr. S. integritatem, non solum versus in V. (*c*) et N. T. (*d*) singulorum li-

M 4 bro-

oratione Verrina vltima c. 72. quam vltimam tamen τάσιν a vitio liberare omnibus viribus contendit Mechouius *in Tulliolis* lib. 3. c. 24. p. 281. et optima τάσις mihi illa atque a vitio aliena videtur, quam reperimus in orat. 4. Ciceronis *contra Catilinam* c. 11. In Tasibus autem, praesertim antecedentis et consequentis, maxima ratio habenda est, ne scilicet propter nimiam antecedentis extensionem, consequens plane omittatur, quod haud raro in vitiosis Tasibus fieri solet, et parum accuratum Logicum aeque ac minus sollicitum oratorem arguit.

(*c*) Quod studium numerandi versus, voces et litteras, *Gematriam* vocare solent Iudaeorum et Christianorum Critici sacri, et ideo ו Leuit. XI, 42. maius fecerunt Masorethae, quia inito litterarum Pentateuchi numero cognouerunt, ו illud esse mediam totius Pentateuchi litteram. Simili ex caussa ע Ps. LXXX, 14. suspenderunt, quia illam litteram instituta litterarum recensione mediam in Psalmis esse reperiebant. Vid. pluribus Buxtorfius *in Tiberiade, siue commentario Masorethico* Basil. 1665. in 4. c. 14 - 17. Ioh. Terentius, Prof. Franecqueran. in Triade 2 *meditationum suarum* Philologicar. n. 2.

(*d*) Quod Iudaei Gematriam vocare solent, illud Graeci appellant στιχισμόν. Vid. pluribus Montfaucon in *Palaeographia graeca* p. 30. Quidam enim veteris ecclesiae Patres, vel alii sacri codicis interpretes solliciti, Iudaeos imitati, etiam in N. T. versuum, vel vt alii volunt, litterarum quoque librorum singulorum noui federis inierunt, et calci cuiuslibet libri illum numerum subiecerunt, vid. e. caussa editionem N. T. Tigurinam 1559. sed saepe propter confusionem litterarum, praesertim in editione N. T. Argentina, vbi ex defectu typi τῦ ϟ h. e. 90. repositum est λ siue 30. in clausula epistolae ad Titum, item in fine epistolae ad Galatas σλγ pro σϟγ, 1 ad Thess.

brorum numerarunt, eorumque numerum ſingulis libris ſubiecerunt, ſed etiam litteras; nec plane improbamus iſtum Iudaeorum et veteris eccleſiae patrum morem; ortus enim eſt ex pia quadam ſollicitudine de conſeruanda ſacri codicis integritate. Conf. Ioh. Frickii commentationem theologico-criticam *de cura veteris eccleſiae circa canonem Scr. S. et conſeruandam codicum puritatem*. Vlmae 1728. in 4. 1. Alph. pl. 2. adde huius libri recenſionem in der Sammlung von alten und neuen Theologiſchen Sachen 1729. p. 251. ſqq. *Numerus* autem *oratorius* conſiſtit in apto vocum ſelectu et coniunctione, quae ad indicandam et exprimendam materiam, quae pertractari debet, prae aliis ſunt aptae, adeoque verſatur potiſſimum *numerus oratorius* in exterioribus ſtili rite conſtituendis, vt aurium ſanum iudicium inepta vocum collocatione et litterarum rei minus conuenientium ingratiſſimo ſono non laedatur; et talis collocatio *numerus* vocatur, nam quicquid etiam eſt, quod ſub aurium menſuram aliquam cadit, etiamſi abeſt a verſu, (nam id quidem orationis eſt vitium) *numerus* vocatur, teſte Cicerone *de oratore* c. 20. qui graece ῥυθμὸς dicitur, et quid deceat, oratori videndum non in ſententiis ſolum, ſed etiam in verbis. vid. ibid. c. 21. quippe verborum delectum ipſius eloquentiae originem fuiſſe recte ſtatuitur ab auctore *de claris oratoribus* c. 72. Exinde etiam fit, vt ab oratore prudente voces, interdum litterae et vocales tales praeferri ſoleant aliis, quarum ſonus ad rei pertractandae naturam propius quam aliae voces et litterae accedunt, quod infra (§. 8.) et variis exemplis cognoſcemus, vt nimirum rebus aſperioribus voces aſperiores ſeligantur, rebus ſuauioribus, litterae et voces pronuntiatione faciliores et leniores. 2) *Numerus oratorius* ſi obtinere debeat, euitari debent crebriores earundem vocalium, vel litterarum concurſus, ὁμοιοπτῶτα, ὁμοιοτέλευτα, et ſimilia, praeſertim cum eiusmodi fere in pueris tantum laudem inueniant, non aeque in viris, quos virilis et grauis decet eloquentia. Vid. Wehren-

Theſſ. ϛ. γ. λ. pro ϛ. γ. ϧ. etc. vid. pluribus, Eraſmum Schmidium in annotationibus ad 1 Cor. 16. poſt verſum vltimum.

renfelsius *de Meteoris orationis* p. 297. Ferri quidem potest tale ὁμοιοτελεύτων (e) et ὁμοιοπτώτων studium (f) in librorum Romanensium compilatoribus, qui vanis deliciis oblectare solent; non autem in illorum Oratorum scriptis, qui ad veram Eloquentiae laudem contendunt.

§. III.

3) Porro *ad numerum oratorium* requiritur, vt eaedem voces non adeo saepe repetantur, ex qua repetitione auditoribus vel lectoribus oriri possit taedium. 4) In verborum ambitu recte et accurate dimetiendo atque claudendo (g) versatur

 nume-

(e) Interdum tamen ob aliam accedentem caussam duriusculus et ingratus ὁμοιοτελεύτων sonus mitigari et propter latens quoddam acumen commendari solet. Ideo figuram *Antanaclasin* vitiis sermonis annumerare haesito, licet enim in eiusmodi exemplis, quae vulgo ad figuram *Antanaclasin* referri solent, aures aliquo modo ὁμοιοτελεύτοις laedi videantur, animus tamen eo magis, re penitius considerata oblectatur, si cognoscit talia ὁμοιοτέλευτα acumen quoddam continere et aptam quandam allusionem complecti. Ideo etiam grauissimi oratores, et alii auctores classici non spernendi, consulto talem figuram Antanaclasin nonnunquam adhibent, vt nimirum ex istis similiter cadentibus appareat, se indicare velle rerum, de quibus loquuntur, similitudinem, vt enim taceam notissimum illud Ciceronis in epist. XIV. lib. XIV. ad Attic. *Quid ergo: ista culpa Brutorum? minime illorum quidem, sed aliorum brutorum.* Idem quoque lib. 2. epist. 9. ad Quinct. Fratrem ita habet: *Tu vero, vt me et adpelles et interpelles, et obloquare et conloquare velim.* Plautus in Menaechm. II. 1. 24. *dictum facessas doctum*, et in Mercator. II. 3. 20, 21. *igitur hoccine est amare? arare mauelim, quam sic amare?* Cicero lib. 7. *epistolar. ad diuersos* epist. 23. *non solum mihi rata erant, sed etiam grata*, et lib. 3. de offic. c. 9. ad quem locum vide commentarium Manutii p. 364. et lib. 1. de offic. c. 23. *exspectanda quidem magis est decernendi ratio, quam decertandi fortitudo.* Licet haec posteriora exempla non *ad Antanaclasin* commode satis referri queant, quia non consistunt ex ὁμοιοτελεύτοις vere talibus, sed est lusus tantum cum vocibus, per mutationem, abiectionem, additionem vnius alteriusue litterae institutus. De *Antanaclasi* autem vid. prae aliis *Rhetor. March.* p. 154. et Vossius *in institutionibus Oratoriis* lib. 5. c. 2. sect. 2. p. 328. Ομοιοτέλευτα nullo prorsus acumine stipata, sermonis omnino sunt vitia, et numerum oratorium quam maxime laedunt, e. caussa: *non aliquo timore, sed partim dolore* etc.

(f) e. caussa Barclaius *in Argenide*. vid. Weisii tractatus *de Barclaii Argenide et eius stilo.*

(g) Sed multos etiam in consectandis numeris periodorum insanire, erudite,

numerus oratorius, vt nec nimium longis verborum orbibus, nec nimium concisis et breuibus legentium, vel audientium aures taedium enascatur, hoc autem si euitare velit felicius Orator, probe teneat necesse est ex praeceptis logicis, quae ideae ad sensum perficiendum sint prorsus necessariae, et quae accessoriae, quae saluo sensu omitti queant, vel necessario addi debeant; hoc enim si probe calluerit, semper multa paucis dicere poterit, et medium tenere inter minus necessarias et odiosas verborum ambages, et inter nimiae breuitatis obscuritatem. 5) *Numerus oratorius* postulat, vt curiose commisceantur syllabae longae atque breues; si enim longa quadam serie voces se inuicem sequerentur, ex meris syllabis longis, vel breuibus tantum constantibus, vix aut omnino non talem verborum collocationem ferret aurium iudicium, quod teste Cicerone est superbissimum. (*b*) 6) *Numerus oratorius* etiam requirit, vt voces prae ceteris attendendae, vel ab aliis sedulo distinguendae peculiari quadam, et vt vocant *emphatica* pronuntiatione notentur. (*) In metrico sermone praecipuum *numeri oratorii* requisitum est, vt rebus laetis describendis accommodetur metrum,

dite, vt solet, obseruat Caussinus *de Eloquentia sacra et profana* lib. 7. c. 10. p. 367. et quae b. Heineccius *in fundamentis stili latini cultioris* Part. 1. c. 2. §. 29. habet de Periodis apte claudendis per *Dichoreos*, *Antispastos*, *Paeonas*, breuibus tradi potuisse credimus, si auctor generatim praecepisset, Periodos claudendas esse vocibus longioribus et cum grauitate quadam coniunctis.

(*b*) Vid. Cicero *de oratore* ad M. Brutum c. 44. quamuis enim suaues grauesque sententiae, tamen si inconditis verbis efferuntur, offendent aures; vnde et ipse Cicero aurium iudicio obtemperat, scribens et approbans magis *pulcher* quam *pulcer*, *incohoo*, quam *incoo*, quia prior scriptio gratior esse solet auribus. Vid. Cicero in *Oratore* c. 48. et add. de voce *pulcher*. Plautum ex editione Gronouii Tom. 2. p. 67. de posteriori voce Gellius *in noct. Atticis* lib. 2. c. 3.

(*) Vid. hac de re verbose differentem celeberr. Heumannum *in conspectu reipubl. litterar.* c. 3. §. 12. p. 41. Veteres saltim in vocibus sola pronuntiatione distinguendis accuratiores erant, et apertum olim discrimen animaduertebatur in pronuntiatione vocis *mensa* in nominatiuo et ablatiuo, it. inter *fructus* in nominatiuo et accusatiuo. Quos casus hodie pronuntiatio minime distinguit. vid. M. Weise *de stilo romano* lib. 2. p. 203. et Scaliger de caussis lingu. lat. c. 8. p. 20.

trum, laetantis animi indolem imitans, quale eſt dactylicum. (*i*) Ad triſtitiam indicandam ſyllabas mere longas et vocalium atque litterarum ſonos, triſtitiae deſignandae aptos, (vid. §. 8.) vſurpare ſuaſerim. Ad horrorem incutiendum crebriores facere poterunt eliſiones etc. (*k*) Alius tamen omnino in metrico, alius in ſoluto ſermone eſt *numerus*, et phraſes atque conſtructiones poeticae mutant numerum verborum, oratoribus tantum alias conſuetum. Numeri autem, metrum decentis, prae ceteris obſeruantiſſimus eſt MARTIALIS, aqud quem teſte Barthio in *aduerſariis* lib. 5. c. 11. p. 231. abſurdum aliquem verſum, nec vnum quidem reperias, aut qui caeſuram minus obſeruarit.

§. IIII.

Negari autem nequit, dari omnino voces quasdam exprimendae cuidam rei longe aptiores, quam ſi illarum loco alias ſubſtituere velles. Idem dicendum de vocalibus et aliis litteris, quarum aliae ad laetitiam, aliae ad triſtitiam, ad iram et odium deſignandum ſunt aptiores. Quis enim in dubium vocabit? ſonum A potiſſimum conuenire tam horrori, quam terrori, E luctui, I rebus exilibus, tenuibus, gratis et amoenis; O ſubditis rebus, motibus animi indicandis, rerumque magnitudini; V occultis et obſcuris rebus atque triſtibus, moerore et eiulatu proſequendis. Ex conſonantibus L blanditiis maxime conuenit. R irae, et aſperitati indicandae. M auctoritati et dignitati perſonarum. N argutiis proferendis, et ſic porro. Ita etiam nonnullae voces ad ſtilum ſublimem, quam

(*i*) Ouidium igitur, impudicum licet, coram quaſi de aduentu Corinnae, ab ipſo laſciuo amore dilectae, laetari animaduerto, conſiderans numerum poeticum et dactylicum metrum verſus illius:

Ecce Corinna venit tunica velata, recincta.

Et Virgilius egregie ſaltantis equi curſum imitatur, vt illum equum adhuc coram per campum decurrere et his ipſis oculis tuis conſpicere credas, ſi legeris verſum Virgilii:

Quadrupedante putrem ſonitu quatit vngula campum.

lib 8. *Aeneid.* v. 492.

(*k*) Quod apte obſeruauit Virgilius, in deſcribenda vaſta Paſtoris Polyphemi mole, crebras adhibens eliſiones et ita verſum concipiens lib. 3. *Aeneid.* v. 658.

Monſtrum horrens, dum informe, ingens, cui lumen ademtum.

quam ad tenuem aptiores ſunt, praeſertim verba prolixiora maxime decompoſita, dummodo non ſint *poetica* et *dithyrambica*. Stilo enim ſublimi aptior omnino erit vox *contumaciſſimus* quam *contumax*, *effeminatus* accommodatior, quam *muliebris*, *alleuamentum* vox magis idonea, quam *ſolatium*. vid. Wehrenfelſius *de Meteoris orationis* p. 278. Exemplis quibusdam haec in VIII. paragrapho comprobabimus, ſi modo nobis antea licuerit etiam quaedam monere de vocibus, vel ſola pronuntiatione ſua rerum, quas deſignant, naturam apprime indicantibus, vt rem non innui animaduertas, ſed coram quaſi intueri credas. Quis enim vocem *vlulatus*, *eiulatus* etc. audiens? non reuocaret ſibi in memoriam flentium, triſtium atque moerentium mores atque voces, quae plerumque ſaepius repetito ſono *u* refertae eſſe ſolent. Sonitum quoque, quem feruens olla edit, ipſum nomen talis feruentis ollae, eines brudelnden Topffs, qui ſonitum *Ca*, *Ca*, frequentius protrudit, et ideo a veteribus ſine dubio *Cacabus* vocatus eſt, innuit et memoriae noſtrae commendat, vt alias longe plures eiusmodi indolis voces taceam. Attenti igitur ſcriptores, quibus *numerus oratorius* curae cordique eſt, vocum etiam ſonos, quotiescunque opus eſt, rei pertractandae accommodant. Nonne nauem illam, de qua agit Petronius p. 527. et 529. adhuc ante oculos tuos in gyro ſenſim circumagi ab aquarum vortice, et deinde ſubito vnoque hiatu abſorberi tibi videtur, ſi conſideraueris voces, quas de hac naue vſurpauit Petronius, dicens, aqua nauem *circumegit et hauſit*, vbi prior vox lentam nauis circumactum vel ſola pronuntiatione ſua indicat; poſterior vero ſubitam abſorptionem per apertas quaſi profundi fauces, et poſt finitam abſorptionem iterum concluſas; ſyllaba enim *hau* ſine maxima oris et gutturis apertura, (quae vorticis fauces imitatur hoc loco,) pronuntiari nequit, et ſimul deinde magna vehementia os apertum iterum claudit, vt itaque haec deſcriptio reſpiciat quaſi canem famelicum, fruſtum panis ipſi proiectum vno oris rictu excipientem et deglutientem (der ein Stücke Brod auf einmal wegſchnappt). Optime etiam variae illae voces, quas Cicero vſurpat ad deſignandos varios fugae gradus,

gradus, adhibentur, et vel naturali sua pronuntiatione varietatem fugae ostendunt. Verba autem, ad quae respicimus, sunt notissima illa: *Excessit, Euasit, Erupit.* Prima enim vox clandestinam subtractionem et fugam denotare videtur (er hat sich heimlich suspensis pedibus und gantz sachte, damit es niemand merken möchte, fortzuschleichen gesucht) et deinde qua potuit celeritate *euasit*, veloces ceruos imitatus, et quasi fumus in auram euanescens ex omnium conspectu, quemadmodum Virgilius Ecloga III, v. de celeri furacis opilionis fuga apte et commode vsurpat vocem celerrimae pronuntiationis, quae confusum simul furis in furto deprehensi animum indicat, sunt autem verba Virgilii haec: *Quo se nunc proripit ille?* (Wo läufft der Dieb nun über Hals und Kopff hin?) Accedit tandem apud Ciceronem tertius fugae gradus, per vocem *Erupit*, designatus, quae vox sistit fugientem quasi et omnia obstacula siue rerum, siue hominum superantem et perrumpentem, vt fossas, lapides, montes, muros etc. omnibus viribus transilire et post se relinquere conetur, quod turbam hominum ipsi fugienti sese obiicientium omni nisu et vehementia perrumpat (daß er sich nichts aufhalten lasse, sondern sich allenthalben losreisse); nam vox *Erupit* vel sola pronuntiatione sua repetitum conatum et tentatam ex omnibus viribus perruptionem reuocat in memoriam. Apte quoque Cicero in Oratione pro Quinctio n. 13. indicaturus clandestinam fraudem et pecuniae iteratam abalienationem atque consumtionem, vtitur verbo, quod de illis potissimum adhiberi solet, qui alios blandis verbis et arcanis consiliis in insidias pellicere et clam in pericula detrudere conantur, dicit igitur *seuocabat bona*, (er zog das Gut nach und nach heimlich an sich, practicirte es unvermerckt hinweg.) Vt igitur tales scriptores praestiterint, quod in stilo rite formando, requirit celeb. Buchnerus *de commutata ratione dicendi* p. 19. (*l*) Pertinent etiam huc, quae monuimus in differ-

(*l*) Vbi ita habet: *Cum nulla Synonyma tam sint cognata inter se, vt non dissideant aliquid et inter se differant, ea deligere decebit potissimum, quae*

dissertatione nostra de *prudentia oratoris in conscribendis Satyris adhibenda*, §. V. VI. VII. et notae, his paragraphis subiectae, quibus in locis docuimus, characterem dicendi vbiuis, quo fieri potest studio, accommodandúm esse ad pertractandam materiam.

§. V.

O mirabile caput! exclamabis forsitan, sagacissime lector, quod talia crepundia apud Latii scriptores quaerit, quis sibi persuaderet? tot cogitationes auctores classicos propter vnicam tantum vocem coaceruasse, et tantos meditationum ambitus voculis quibusdam inclusisse, quantos tu paullo ante ex voce *excessit*, *euasit* etc. eruere volebas; otiosi vel superstitione oratoria correpti talia cogitationum mysteria in collocandis et explicandis vocibus quaerunt, et nimiam quandam accurationem prae se ferentes, cum Paulo MANVTIO, (*m*) Petro MAFFEO (*n*) vel Iac. Augusto THVANO (*o*) vix paucas lineas quotidie absoluunt. Non inuideo tibi, carissime lector, meliores cogitationes, id mihi saltim concedas necesse est, Exempla illa, quae adduximus,non tam euidenter rerum describendarum naturam fore expressura, si aliae voces substituantur illarum loco, quam quas vsurpatas deprehendimus. Commuta cum voce *erupit* apud Ciceronem verbum *abiit*, et apud Petronium pro *circumegit*, pone *egit*, *agitauit*, *attraxit*, et vide tunc demum, an etiam verba haec rei significandae naturam tam aperte tibi reuocent in memoriam quam priora. Caussam igitur habuerint, oportet, scriptores, cur has potissimum voces et non alias ele-

quae maxime exprimant rem, nitidioraque ceteris iucundaque magis sint, tum compositioni orationis ac numero inseruiant.

(*m*) Quem in vnica saepe epistola conscribenda aliquot menses consumsisse dicunt. Vid. Maruille *Melanges* p. 214.

(*n*) Qui quotidie ex nimia accuratione non plures, quam 14. vel 15. lineas scripsisse dicitur.

(*o*) Quem ex nimia quoque in scribendo circumspectione plus temporis prioribus librorum suorum litteris impendisse tradunt, quam totis posterioribus libris, et tamen posteriores libri maiores aestimantur, quam priores, quos seruilis imitatio et superstitiosa, *vt ita dicam*, affectatio ingratos reddit.

elegerint, vel si etiam forte fortuna illis talia verba se obtulerunt, id tamen sine ingenio, naturae rerum accuratius exprimendae et describendae assuefacto, fieri non potuisse arbitramur, quod absque molesta et laboriosa inquisitione reperit voces proponendae materiae aptissimas, vt fiat quasi structura quaedam, nec tamen fiat operose, vt loquitur Cicero *de oratore* c. 44. Experta est, fatemur, latina etiam lingua vltra modum argutos Criticos et Patronos, qui aeque ac in lingua hebraica (*p*) atque

(*p*) In lingua enim hebraica notissima est Casp. Neumanni, Vratislauiensis, sententia, quam proposuit in *Genesi* et *Exodo linguae sanctae*, Norimb. 1696. in 4. edit. sed laborem suum et Lexicon, ex hypothesi sua concinnatum, non vltra litteram י produxit. Hic autem Neumannus non solum naturalem radicum cum rebus designatis significationem, sed et naturalem litterarum Alphabeti, (quas casu omnes ortas esse putat,) cum rebus figuram et conuenientiam inuenisse videri voluit. Quod e. caussa Adam ab occurrente sibi primum tauro occasionem sumsisset, primam destinare Alphabeti litteram א, quae figura sua formam capitis tauri non solum referret, sed et a nomine bouis אַלּוּף apud Hebraeos dicti (a rad. אָלַף *assuetus est*, quia armenti *dux* vel *ductor* esse solet bos, et iugum pati edoctus atque assuetus est,) nomen *Aleph* accepisse; secundam Alphabeti litteram a figura domus Adami, quae ab initio tecto tantum et pariete quodam a tergo constitisset, ianua adhuc carente, et figuram et nomen suum accepisse, quia post bouem, Adami oculis potissimum se obtulisset eius domus, quae secundae Alphabeti litterae inueniendae suppeditasset occasionem, et sic ceterarum quoque Alphabeti litterarum ludicra prosequitur natalia Neumannus aliique cum ipso sentientes. Praeiuit autem Neumanno in hac sententia Hieronymus, qui magnos impendit labores in epistola 155. ad *Paulam Vrbicam* de interpretatione alphabeti hebraici, vt monstraret, figuram litterarum hebraicarum vbique cum illarum significatione conuenire, cuius tamen opinionem ceu ineptam merito explodit Carpzov. *in introd. in libros V. T.* part. 2. c. 3. §. 6. p. 112. Henr. autem *Mori* conatus, susceptos in der philosophischen und moralischen Cabbala über die 3. ersten Capitel Geneseos laudat et commendat Franc. Mercurius ab Helmont in praefat. ad *Alphabetum suum naturae*, vbi ita habet: Es enthielten die wunderbaren Bücher, die in hebräischer Sprache geschrieben, unter den einfältigen historischen Buchstaben herrliche Geheimnisse der Natur und der Sitten, der geheimen Weissagungen zu geschweigen, wovon der gelehrte Engeländer Morus l. c. so herrliche Proben gegeben, daß man solches nicht ohne Verwunderung lesen könne. Ideo etiam *Helmont* in hac praefatione optat, vt

atque graece (q) naturalem litterarum in figura vel sono cum rebus designatis conuenientiam vbique reperisse sibi visi sunt, sed etiam hic, *est modus in rebus, sunt certi denique fines, quos vltro citroque nequit consistere virtus.* In multis quidem vocibus

vt societas quaedam peculiaris constituatur, quae philosophicam et moralem Cabbalam potissimum in lingua hebraica ad modum Mori excolat. Neumanni etiam sententiam non solum valde laudat Reimannus in *Historia litteraria Germanorum noua* lib. 2. sect. 3. p. 915. sed etiam, quod non immerito miratur celeberr. Heumannus in *conspectu rei litterariae* c. 5. §. 7. not. u. p. 221. magnif. Loescherus lib. 2 cap. 2. tot. *de caussis lingu. hebr.* pro valore litterarum hebraicarum hieroglyphica et Neumanni, Lobkovizii atque Helmontii sententia multa verba facit. Quibus eiusmodi oblectationes placent, illi tales longe plures reperire possunt apud Ioh. Reuchlinum *de arte Cabbalistica* lib. 3. p. 533. vbi litterarum hebraicarum etymologias explicat. Apud Petr. Martinium in *Technologia Grammatica Hebr.* p. 71. sq. Cevalerium *in rudimentis linguae sacrae* ab initio et Zieroldum *in introd. in hist. eccles.* c. 2. p. 89. contra quem tamen conf. Bergeri *Cabbalismum Iudaico-Christian.* c. 2. §. 10. p. 35. sqq. et add. Thom. Bangii *coelum orientale* p. 218. atque Steph. Morinum *de lingua primaeua* exercitat. 2. c. 10. p. 317. vbi litterarum nomina apud Hebraeos explicat.

(q) Linguae graecae naturalem cum rebus designatis conuenientiam, tam respectu figurae et soni litterarum, quam significationis vocum demonstrare tentauit Hermannus von der Hardt in variis scriptis, coniunctim deinde editis sub tit. *Duodecim beneficia Helmstadiensia* etc. 1726. et 1727. et in programmate super Aben Esram 1712. p. 69. in quibus scriptis contra celeb. Christian. Benedict. *Michaelis* probare conatus est, *linguam graecam esse omnium linguarum et ipsius linguae hebraicae matrem*, et maximam habere cum rebus indicandis naturalem conuenientiam. vid. pluribus *Acta Eruditor. Lips. latina et germanica* 1726. et 1727. Quam sententiam iam ante Hardtium fouerat Ioh. Petr. *Ericus*. *Hardtii* autem sententia meris innititur coniecturis, ideo etiam illam nemo post Hardtii tempora defendere conatus est praeter Anton. Iulium *Hardtium*, Hermanni von der Hardt cognatum, in variis commentationibus. vid. b. Wolfii *biblioth. hebraic.* part. 4. p. 317. Et fateor etiam in aliis Hardtii rationes et meditationes iusto subtiliores, vel, vt verius dicam, futiles mihi videri, e. c. cum dicit apud Graecos ideo vocatiuum secundae declinationis in ε desinere, η nominatiui primae declinationis mutari in α, ι vero nominatiui tertiae declinationis in vocatiuo mutari in ι, quia sonus vocantis fere a vel e esse soleret, et cum Ioh. Petro *Erico* de palma foecundi et mira somniantis ingenii contendere voluisse videtur, quippe qui non minus absurda

bus M. Christ. Henr. Weise *de stilo romano* lib. 2. p. 171. naturalem quaerit significationem, e. caussa voces Oculus, Orbis, Ouum, Os, Ordo, ideo cum O, siue rotunda figura incipere, quia et hae res sua natura rotunditatem quandam, adeoque naturalem cum nominibus suis cognationem haberent. Ita et Adytum, Aedes, Ala, Aperire, Apex etc. cum figura aperta incipere putat, quia etiam in adytis, aedibus dari deberet, vt ita dicam, apertio. Idem quoque p. 491. verbo *currere* naturalem cum re designata afferere tentat conuenientiam; dicit enim, illud verbum festinare pronuntiatione sua et nihil morari, vt currentis velocitatem quasi imitetur; Verba *stare*, *constare*, *morari*, firmitatem habere et moram; Vocem (r) *ambiguus* nutare et vacillare; Vocem *certus* in neutram inclinare partem; *Viam altam et arduam* ipsa pronuntiatione ascensus difficultatem repraesentare; *Decliuitatem* praecipitare et facilem in descensu celeritatem indicare; *anhelandi* vocabulum respirationem impeditam imitari, *respirandi* verbum non item, et quae sunt alia similia. Sed licet non plane negemus, in quibusdam vocibus cum re designanda quandam conuenientiam animaduerti; in figuris tamen litterarum, et vocum natura-

absurda quam Hardtius plerumque propugnare solitus erat, e. caussa, Adamo nullam linguam innatam fuisse, sed casu et successiue ab illo linguam graecam inuentam et perfectam esse, et ab ipso primam omnium litteram ω pronuntiatam esse, cum enim primus conspexisset immensam huius vniuersi structuram, maxima cum admiratione exclamasset ω, ω, ω, (was ist das nemlich vor eine vortreffliche Einrichtung, vor ein herrliches Werck, darüber ich mich nicht genug wundern kan) cum Eva ad illum fuisset producta, quam ex carne sua formatam statim oluisset, primum litteram υ, partim admirantis, partim olfacientis notam, ab eo auditam esse. Vid. Reimannus in *hist. litterar. germanor. noua* p. 299. Ecce igitur, suauissime lector, etiam scriptores vigilantes somniare posse.

(r) Quibuscum fere meditationes quorundam Rabbinorum conueniunt, qui dicere consueuerunt: אמת יש לו רגלים *veritas pedes habet*, i. e. *consistit*, quia scilicet litterae vocis אמת omnes firmam habent basin, sed שקר יש לו רגלים *mendacium non habet pedes*, i. e. *non consistit*, quia scil. litterae vocis שקר non firmam habent basin.

turalem eiusmodi nexum quaerere, neque in lingua hebraica, neque graeca id tentantibus satis feliciter et ex voto vbique successit, ideo etiam in lingua latina feliciores progressus hac in re sperandi non sunt, cum lingua hebraica sine dubio prae lingua latina et aliis maiorem sapientiam, et aptiorem cum rebus indicandis conuenientiam naturalemque significationem prodat, omnium quippe linguarum fons et origo, atque ab homine, qui in perfectissimo hominum statu aptissimum naturae rerum designandae nomen inuenire poterat, vsurpata. vid. Gen. II, 20. et tamen NEVMANNI tentamina neque in plerisque, neque multo minus in omnibus lectorum iusto desiderio satisfacere, et fidem, ab auctore datam, liberare potuerunt; sed saepius veluti in syrtibus et vadis haeserunt, et naturalis litterarum et vocum cum rebus conuenientia vbique non satis probari potuit; dubito igitur, aliquem in lingua latina id felicius fore praestiturum, quod Neumannus in lingua hebraica praestare vel omnibus conatibus suis et ingeniosa diligentia, licet parum solida, praestare non poterat.

§. VI.

Si quis autem contendere velit, linguarum naturalem cum rebus designandis conuenientiam, in plerisque nobis adhuc ignotam nonoriri ab istarum linguarum imperfectione, sed ab hominum ignorantia, qui neque satis diligenter, neque satis accurate vocum et litterarum figuram, pronuntiationem et significationem cum rebus suis inuestigare nossent, licet reuera talem naturalem conuenientiam haberent, illi sententiam suam non inuideo; attamen etiam forsitan non sine ratione arbitror, quod talia cogitans, vanis somniis se oblectet. Nam quis me argumentis, omni exceptione maioribus, conuincere poterit? necessario ad Aedes, Adytum et similia designanda, apertam in ima parte litteram, qualis A est, requisitam fuisse, si naturalis consistere debuisset conuenientia. Nonne etiam E et V habet aperturam, et forsitan plures rationes reddi possent, cur E potius,

tius, quam A ad designandas Aedes ab initio adhiberi debuisset, si minutiae ad veritatem stabiliendam quicquam haberent ponderis, quid respondebitur ad voces Domus, Vestibulum? quorum illud nullam plane in prima vocis littera habet aperturam, ergo et domus aperturam vel ianuas habere non deberent, si et in hac voce valeret naturalis nominis cum re indicanda conuenientia, et Vestibulum potius significaret einen Hinterhof, quam einen Vorhof, quia non a parte anteriori, sed posteriori littera V aperturam habet. Taceo alias difficultates, de veris siue hebraicarum, siue graecarum, vel latinarum litterarum figuris, antiquissimis et genuinis, quae nimium sollicitos naturalis litterarum et vocum cum rebus conuenientiae scrutatores praesertim premunt. Figuras enim singularum litterarum et linguarum non solum in accidentali sua forma, sed etiam in essentiali interdum per omnia secula variasse, ignotum illis esse nequit, qui litterarum latinarum historiam (s) vel summis labris attigerunt. Certo igitur ante omnia constare deberet de natiua litterarum, antiquissima et primigenia figura, deque antiquissimis et principalibus cuiuslibet linguae vocibus, nam nec voces esse eiusdem aetatis, sed alias aliis recentiores extra omnem dubitationis aleam positum est. Lingua enim quaelibet sub rerum initia paucis vocabulis contenta esse poterat, sed rebus pluribus inuentis, etiam plures voces circumspiciendae et inueniendae erant, quemadmodum adhuc hodie nobis vrgente necessitate noua quaedam vocabula in lingua latina excogitare licet,

(s) Quam prae ceteris accurate persequuntur Ge. Hickesius in *thesauro grammatico critico et archaeologico linguarum veterum septentrionalium.* Oxonii 1705. in fol. Dan. Papebrochius *in Actis Sanctorum.* Propylaeo ad Tom. 2. Aprilis. Eduardus Bernhard *in litteratura charta magna patente*, Oxonii 1689. Claudius Molinetus *in historia litterarum romanarum, e variis monumentis antiquis descripta*, Paris. 1684. gallice, et Mabiilonius lib. 5. *de re diplomatica*, 1686. nec non b. Burc. Gotthelf. Struv *in Actis suis litterariis* passim, praesertim in Tom. 1. *de criteriis MStorum.*

licet, (t) ad res, quae nostro aeuo inuentae, apte indicandas, si eiusmodi res veteribus ignotae prorsus fuerunt, adeoque nullo commodo nomine ab iis insigniri potuerunt. Prae ceteris igitur ab illis, qui vbique naturalem litterarum et vocum cum rebus conuenientiam crepant, inuestigari et probari deberet, quae voces aliis sint antiquiores et cum ipsa lingua natae; in his enim sine dubio, si qua esset, citius et facilius animaduerti posset naturalis, cum rebus figura, pronuntiatio, et significatio, quam in recentioribus vocibus, quarum inuentores vix vel omnino non talem sapientiam habuerunt, quam Adami posteri, multo minus quam ipse Adam, ideoque etiam rebus non tam commoda nomina, quam illi tribuere potuerunt. Sed satis de his difficultatibus, quae se generalis cuiusdam litterarum et vocum cum rebus conuenientiae obiiciunt inquisitoribus, quas vel maximis laboribus, nec ingeniosissimis suis meditationibus superare poterunt. Pauca etiam hac de quaestione diximus in dissertatione nostra *de elegantia compositionis apud Graecos et Latinos*, Ienae 1736. §. XIII. *an scilicet nomina rebus inhaereant* θέσει, i. e. arbitrario, vel φύσει, i. e. *ex earum natura*, et praeter auctores, ibi allegatos, consulendos esse suademus Borrichium *de caussis diuersitatis linguarum* p. 4. ex edit. b. Iochii, Elingium in *hist. linguae graecae* §. 2. qui etiam corrigit Iamblichum, non satis accurate hac in re differen-

(t) Vid. celeb. Heumanni Diatriben *de iure locupletandi linguam latinam nouis vocabulis*; sed merito priusquam nouas excogitemus voces, dispiciendum est 1) an non sit apud Latinos vocabulum, quod proxime accedat rei, a nobis exprimendae, 2) si tale vocabulum non reperiatur, videndum, an res commode et perspicue circumscribi non possit; si nec hoc fieri queat, 3) vocem graecam cum re exprimenda conuenientem adhibere licet, quod si autem nec vox graeca apta reperiatur, tunc res noua nouo nomine ad flexionem latinam conformato exprimatur, obscuritas autem vbique vitetur. et vt recentior vocis origo statim cognoscatur, formulam adhibere suaserim in eiusmodi vocabulis addendis, *vt nouo vocabulo vtar*, vel alio modo.

rentem, add. etiam Iul. Caesar Scaliger *de caussis linguae latinae*, lib. 3. c. 68.

§. VII.

In vnaquaque autem lingua singulis rebus describendis reperiri potest aptus *numerus oratorius*, nec est, vt cum Rabbinis putes, linguam *hebraicam* potissimum ad conscribendas historias; *Syriacam* ad preces; *graecam* ad Musicam et Poesin; *latinam* ad describenda bella prae ceteris aptam esse. Vid. Marville *Melanges d' Histoire et Litterature* p. 256. Bella etiam apto numero oratorio in Hebraica, Syriaca et aliis linguis describi possunt, quemadmodum Historiarum consignatio etiam a Latinis et Graecis commode praestari poterit, et sic in ceteris. Ex quibus antea dictis simul apparet, *numerum oratorium* non solis oratoribus, sed toti linguae esse proprium, et etiam ab Historicis, Poetis etc. numerum vel characterem verborum, Historicos et Poetas maxime decentem, adhiberi debere, a potiori autem fieri denominationem, quia Oratores prae ceteris solliciti esse debent, vt orationes suas omnibus exornent linguae perfectionibus, et ornamentis, quae donare solet naturalis pulchritudo orationis; crebriorem igitur mentionem factam esse videmus *numeri oratorii*, quam poetici, historici etc. Numerus enim in singulis sermonis speciebus tot et tantas orationi conciliare solet perfectiones, quot et quantas in aptarum vocum selectu, collocatione etc. reperire potest, vt oratio hoc modo naturalem induat pulchritudinem. Hoc si quis considerauerit, facile eundem concessurum mihi esse spero, *numerum oratorium* cum ipsa lingua sua eandem et aeque antiquam habere originem, et neutrum sine altero exsistere potuisse. Qualis enim suauitas ab oratione quadam exspectari posset, ex qua omnis exsularet *numeri oratorii* lepos. Ast, inquis forsitan, lector suauissime, nihil certi de numero oratorio statui potest, alia enim huic, altera illi placere solet verborum collocatio, et aeque temerarium esse cen-

iam idem Virgilius imbrem tenuiter cadentem aptiſſime et ſumma arte ſic deſcribit:

Accipiunt inimicum imbrem rimisque fatiſcunt,

Vbi lenitatem imbris, lenis et crebrior vocalis *i* ſonus aptisſimo numero poetico, vel ſermonis, memoriae commendat. Sed luctum et triſtitiam repetitus vocalis τȣ *u* ſonus, (quam triſtibus rebus deſcribendis prae ceteris aptam eſſe monuimus ſupra §. IV.) noſtrae menti vel ſola pronuntiatione ſua obiicit ille verſus Virgilii, lib. IV. *Aeneid.* v. 667.

Lamentis, gemituque et femineo vlulatu.

Conſidera quaeſo iſtum Claudiani verſum:

Et raucum bibulis inſerpere murmur arenis.

Et *de raptu Proſerpinae* Claudianus eundem verſum repetit, niſi quod pro voce *raucus* adhibeat *tremulus*, cognoſces autem, per voces *raucum murmur* aptiſſime indicari das Rauſchen des Waſſers über die Steine hin, das keinen vernehmlichen Laut, ſondern nur ein dunckles Murmeln von ſich giebt. Per voces *bibulis inſerpere arenis* autem, wie das Waſſer nach und nach unvermerckt ſich in den Sand ſachte hinein zieht, und in denſelben einſickert. Ouidius quoque ſomnum ſenſim et inopinato obrepentem illis, qui iuxta flumen requiem quaerere ſolent, aptisſima ratione hoc verſu expreſſit: *Inuitat ſomnos crepitantibus vnda lapillis.* Vbi non ſolum duae priores voces tarda pronuntiatione ſua indicant, aliquem vel inuitum vndarum murmure ad ſomnum allici; voces autem *crepitantibus lapillis* non poſſunt non lectoribus reuocare in memoriam, quomodo lapilli vndarum curſu allidantur et ſonum quendam edere ſoleant (daß ſie ein Geklappere machen). Ita Poetae ſaepius naturam artificio fingendi vel imitanrur, vel ſuperant. Alia longe plura cumulare poſſemus exempla ex aliis etiam auctoribus, ſi quis allegata ad rem illuſtrandam ſufficere non putaret. Quaedam collegit etiam Barthius *in aduerſariis* lib. 49. c. 13.

§. IX.

Addere nunc etiam vellem reliqua, quae ad reg. 2. 3. 4. 5. et 6. *de numero oratorio* illuſtrandam facere poſſent, nec non varias aliorum auctorum de *numero oratorio* ſententias proferre in medium, examinare et conciliare. Agendum quoque adhuc eſſet de auctoribus quibusdam graecis et latinis, qui *numeri oratorii* vel prae ceteris ſtudioſi, vel illius nimium negligentes fuerint, et quae alia ſunt huc ſpectantia; ſed video tractationem ſub manu creuiſſe, vrceum a me inſtitutum eſſe, amphoram autem exiiſſe, et vereor, ne aliorum ex ſocietate noſtra laboribus, huic faſciculo inſerendis, locum praeripiam, ſi vel ſolus quisquiliis meis aliquot plagulas in vno faſciculo occupare vellem. Perducam igitur hoc, ſi arriſerit, argumentum ad finem in vno alteroue ſubſequentium faſciculorum, rogans modo obſeruantiſſime lectores, ne mihi vitio vertant, ſi interdum ad linguam latinam illuſtrandam ex hebraica, graeca, vel aliis linguis quaedam vocauero in ſubſidium; vt enim lingua lucem afferat linguae in variis, vel ipſa ratio ſana ſuadet, vel neceſſitas propter linguarum cognationem poſtulat.



VII.

VII.

M. IO. GASP. EVERARD. WINEKENII

ILL. GYMNASII QVEDLINBVRGENSIS RECTORIS ET SOC. LAT. IENENS. SODAL. HONOR.

DIATRIBE
DE
ANTIQVITATIBVS CATHEDRARVM.

DIATRIBE
DE
ANTIQVITATE CATHEDRARVM

§. 1.

Antiquitatum permagnam esse cum vtilitate iucunditatem et omnes vltro ingenueque confitentur, et ii praesertim experiuntur, quorum in explicandis veterum scriptorum monumentis haud infeliciter versatur industria. Quare non debet, neque mirari quisquam, neque reprehendere, si quam plurimi huic pulcerrimae elegantioris litteraturae parti non solum tribuunt multum, sed eius etiam enodandae atque edisserendae sibi certamen sumunt. Nos autem, quibus in cathedra quotidie versandum et prope est habitandum, quis iure vituperet, si hac scriptione paullo diligentius *cathedrarum antiquitates* exquiramus? Quin hoc argumentum hac nostra disputatione eo dignius iudicamus, quo magis officii religione iubemur, omnes litterarum amatores ad noum cathedrae Quedlinburgensis ornamentum oculis auribusque vsurpandum conuocare.

§. 2.

A graecis, a quibus haud pauca, *cathedrae* etiam nomen romani acceperunt. In graeca vtpote lingua haec vox nata veluti et educata. Ab ἕζομαι, *sedeo*, ἕδος, (*a*) et ἕδρα, ab ἐφέζομαι autem ἐφέδρα, et a καθέζομαι eiusque futuro καθεδοῦμαι manauit καθέδρα (*b*). Characteri autem temporis, ex quo haec nomina facta, alia quaedam littera ρ adsuta. Atqui illud in aliis quoque fit ῥηματικοῖς, vt in θύελλα et ἄελλα, pro-

(*a*) Hinc latinum vocabulum *sedes* repetit SCALIGER de caussis linguae lat. cap. 28.

(*b*) Vid. GVIL. BVDAEVS in commentar. linguae gr. fol. 1044. edit. Basil. episcop. 1556. HESYCHIVS in lex. V. καθεδοῦνται et BECMAN. Origin. linguae lat. p. 771.

procella, *turbo*, quorum alterum ad θύω *cum impetu feror*, alterum ad ἄω *flo*, *spiro*, originem suam refert. (*c*) Haec de notatione vocis: sequitur, vt eius significatum paullo curatius propiusque inspiciamus.

§. 3.

Quemadmodum vero καθέζομαι proprie idem significat, quod simplex verbum ἕζομαι, *sedeo*: sic ea etiam natiua vocis καθέδρα significatio statuenda videtur, qua, *sedem*, *sellam*, ipsamque *sessionem* denotat. PAVSANIAS in laconicis (*d*): τοῦ θρόνου δὲ, inquit, ἢ καθίζοιτο ἂν ὁ θεὸς, οὐ διαπαντὸς κατὰ τοῦτο συνεχοῦς ὄντος, ἀλλὰ καθέδρας παρεχομένου πλείονας κ. τ. λ. HERODIANVS (*e*) οὐ γὰρ ἐν τῇ καθέδρᾳ ἡ προεδρία. Nemo tam est a litterarum graecarum cognitione alienus atque auersus, quin in hisce locis *sedem* significari intelligat. *Sella* hac eadem voce designatur apud scriptores sacros MATTHAEVM (*f*) atque MARCVM (*g*). *Sessionem* denique ipsam ita adpellat ARISTOTELES (*h*): Διάτι, inquit ille, ἡ καθέδρα τοὺς μεν παχύνει τῶν ἀνθρώπων. κ. τ. λ.

§. 4.

Hinc, quod protritum satis atque peruulgatum, πρωτοκαθεδρία, quae etiam πρωτοκλισία, *sedes dignior*, *honor sedis*, *primus in coena adcubitus*, et, vt CICERO (*i*) loquitur, *locus primarius*. Haec autem πρωτοκλισία siue πρωτοκαθεδρία apud graecos quidem eius, qui ad dextram alterius adsidebat, locus fuisse videtur. Qua de caussa elegantissimus ille hymnorum scriptor CALLIMACHVS (*k*) summum Apollini honorem a Ioue habitum significaturus, illum *ad dextram Iouis* sedere dicit:

- ἐπεὶ Διὶ δεξιὸς ἧσαι.

Quem

(*c*) Vid. LAMBERT. BOS differtat. de etymol. graeca. p. 27.
(*d*) Cap. 19. p. 257. edit. Lipf. 1696.
(*e*) L. II. cap. 3. §. 17. edit. Argentoratenf. 1644.
(*f*) XXI. 12. XXIII. 2.
(*g*) XI. 15.
(*h*) problem. fect. VI. f. 410. h. opp. T. II. edit. Lugdunenf. 1590.
(*i*) de fin. L. III. cap. 16. p. 248. edit. Dauif.
(*k*) Hymno in Apollin. v. 30.

Quem locum ita exponit vir summus harumque rerum peritissimus EZECHIEL SPANHEMIVS (*l*), vt multis simul diuiniorum oraculorum locis vberrimam affundat lucem. Apud Romanos autem medius lecti in triclinio medii locus πρωτοκλισία habebatur. Potest idem intelligi ex VIRGILIO (*m*) et PLVTARCHO (*n*). Copiose etiam argumentisque non ad tenue elimatis illud confirmauit IVSTVS LIPSIVS in antiquarum lectionum commentario (*o*) multae lectionis et elegantiae refertissimo. Consul autem non medio, sed vltimo medii lecti loco adcumbebat; cuius caussas PLVTARCHVS (*p*), ex eoque PAVLLVS MANVTIVS (*q*), commemorat. Plura hac de re, quam leuiter tantum atque cursim attigimus, habet, quem modo laudauimus, IVSTVS LIPSIVS (*r*).

§. 5.

Quod vero aliis fere vocabulis, id huic etiam καθέδρα accidit, vt ab innata veluti significatione ad alias detorqueretur, isti quidem similes, sed nonnihil tamen ab eadem distantes. Libet in praesenti insititias istas inductasque huius vocis significationes carptim breuiterque perstringere; ne forte, cum in istud voculas euiscerandi officium inciderimus, aliquid, quod huc facere possit, omittere velle videamur. *Obsidionem* nimirum haec vox denotat apud PLVTARCHVM (*s*); ἀεργίαν τῆς

(*l*) obseruat. in Callimachum. p. 62.

(*m*) Aen. L. I. v. 702. conf. TAVBMANN. et RVAEVS ad h. l.

(*n*) συμποσ. προβλ. L. I. quaest. 3. fol. 619. T. II. opp. edit. Francofurt. 1620.

(*o*) L. III. cap. I. T. I. opp. p. 145. seqq. edit. Plantin. Antuerp. 1614.

(*p*) l. c.

(*q*) in commentar. ad CICERON. epistol. ad familiar. T. II. p. 44. Quin immo medius inter duo locus apud Romanos vbique dignissimus fuit; quod vel ex Hadriani imperatoris patet facto. Ille enim, auctore AELIO SPARTIANO in vita Hadriani, seruo inter duos senatores ambulanti colaphum iussit impingi. conf. ALEX. ab ALEXANDRO genial. dier. L. V. cap. 21. p. 299. b.

(*r*) l. c.

(*s*) in Camillo f. 143. T. I. opp. conf. IOSEPH. antiquit. L. V. 2. DIONYS. HALICARNASS. antiquit. L. III. ap. WASS. in not. ad THVCYD. L. II. segm. 19. fol. 110. edit. Amstel. 1731. SVIDAS in lex v. Καθέδρα.

τῆς πολιορκίας, hoc eſt *moram obſidionis*, apud THVCYDIDEM (*t*). Praeterea haec eſt huius vocabuli vis, auctore HESYCHIO (*v*), vt *dies* quoque *luctus* eodem deſignentur. Veteres enim in luctu *ſedere* adſolebant; vnde *ſedendi* verbum in luctu olim vſitatum fuiſſe dicit LAEVINVS TORRENTIVS (*x*). Tandem, HESYCHIO (*y*) teſte, quaedam quoque Adonidis ſacra, quae in luctu atque ſquallore peragere ſolebant veteres (*z*), καθέδραι vocabantur.

§. 6.

Diutius, quam quorundam forſitan cum ratione delicatorum fert ſtomachus, vocularum apicibus immorati, nunc ad rem ipſam accedimus. Eamdem vero altius et a prima repetemus origine, vt ſingulae eius partes melius pleniusque perſpiciantur. Seſſione (*a*) an diſcubitus antiquior ſit, iam non diſpiciemus: id tantum eſſe putamus indubitatum, Romanos antiquiſſimis temporibus in coena epulisque *ſedere* fuiſſe ſolitos. Vnde SERVIVS (*b*): *maiores noſtri*, inquit, *ſedentes epulabantur*, *quem morem habuerunt a Laconibus et Cretenſibus*:

(*t*) L. II. ſegm. 19. f. 111. edit. cit. conf. ſchol. ad. h. l.

(*v*) in lex. v. Καθέδρα. Vbi Καθέδραι, inquit, πένθους ἡμέραι.

(*x*) in SVETON. caeſar. c. 4. conf. IOANN. KIRCHMANN de funer. Romanor. L. IV. cap. 1. p. 549. 550.

(*y*) in lex. Καθέδρα. Vbi: Καθέδρα, inquit: θυσία ἀδώνιδος.

(*z*) Primo enim *Adoniorum* die graeci ſimulacra mortuis ſimilia cum planctu et lugubribus cantilenis paſſim per vrbem circumferebant, hoc ritu memoriam Adonidis ab apro occiſi recolentes. vid. LAKEMACHER antiquit. graecor. ſacr. P. IV. cap. 2. §. 5. p. 589. 590.

(*a*) Antiquiſſimam eſſe *ſeſſionem*, vel ex eo patet, quod heroicis adeo temporibus non adcumbebant in lectis, ſed ſellis *inſidebant*, quae θρόνοι, κλισμοί, δίφροι vocabantur. Vid. ATHEN. L. XI. p. 459. quem etiam laudat SPANHEM. ad CALLIMACH. p. 230. Immo *ſeſſio* olim deorum habebatur. vid. BARTH. ad PAPIN. STAT. Thebaid. L. I. v. 321. T. II. p. 98. Sic BVRMANNVS in libro, quem Ζεὺς Καταιβάτης inſcripſit, cap. 14. *ſeſſionem* regalem vereque proprium Iouis tonantis habitum fuiſſe oſtendit. *Sedere* quoque magiſtratuum erat. vid. TAVBMANN. ad L. I. Aeneid. p. 324.

(*b*) Ad L. VII. Aeneid. v. 176. f. 221. edit. Pariſ. 1500.

fibus: Poſtquam autem, Aſia deuicta et ipſa Graecia ſubiugata, diuitiae auaritiam atque luxum Romam inuexerant: et peregrinarum voluptatum contagio ad Romanos pertinuit, et antiquae frugalitatis *ſeſſio* fuit in *accubitum* mutata (*c*). Faeminae tamen, diſcumbentibus iam viris, *ſellarum* et *ſeſſionis* morem continuabant (*d*); verecundiae forte illud (mirum eſt, collapſa iam tum ſeueriori diſciplina) quodammodo tribuentes. Tametſi vero ſequentibus temporibus, cum iam abundantes voluptates Romanis deſiderium per luxum atque libidinem pereundi perdendique omnia perſuaderent (*e*), faeminae quoque, omnis matronalis atque virginalis pudoris clauſtra perfringentes, pariter atque viri *accumberent* (*f*): *ſeſſio* tamen atque *ſella* faeminis propria manſit. Poſtea, vt mutabile eſſe ſolet luxuriae et mollitiae ingenium, viri etiam *ſellae* vſum reſumſerunt (*g*). Nihilo vero ſequius tunc etiam virorum a *faeminarum ſellis* diſtinguebantur (*h*). Et faeminarum quidem ſellae vocabantur *cathedrae* a *lecticis* eo potiſſimum diuerſae, quod ad *ſedendum* aptae *cathedrae*, ad *iacendum* eſſent *lecticae*, *cathedrae* ceruical tantum haberent, in lecticis etiam lectus eſſet (*i*). Forma autem *ſellarum muliebrium* ſiue *cathedrarum*

(*d*) VALERIVS MAXIMVS L. II. cap. I. §. 2. edit. Lipſ. Lugduni Batauor. 1640. *faeminae*, inquit, *cum viris cubantibus ſedentes coenitabant*. Exempla habet DEMSTERVS in Paralipom. ad L. V. cap. 26. antiquitat. Romanar. ROSINI p. 807. ſeq.

(*e*) Verba fere ſunt LIVII in prooem.

(*f*) Vid. DEMPSTER l. c. Et hinc illud apud CICERONEM orat. II. Catilinar. cap. 5. *qui mihi accubantes in conuiuiis, complexi mulieres impudicas, vino languidi, conferti cibo, ſertis redimiti, vnguentis obliti* caet. *Complexi mulieres impudicas* dicuntur, quia mulieres ſimul adcubantes, ex more veterum, caput ad vmbilicum viri proxime adcumbentis reclinabant, et huius ideo veluti in amplexu haerebant. vid. LIPSIVS antiquar. lection. L. III. cap. I. T. I. opp. p. 145. Ex quibus intelligitur, quid ſit ἀναπίπτειν ἐν τῷ δείπνῳ ἐπὶ τὸ ϛῆθος τινὸς, IOANN. XXI. 20.

(*g*) Claudio nimirum imperatore viri etiam ſellis vti coeperunt. LIPSIVS elector. L. I. cap. 19. p. 412. T. I. opp.

(*h*) LIPSIVS l. c.

(*i*) Colligit illud LIPSIVS l. c. ex iſtis IVVENALIS verſiculis:

vt

drarum ab ista *virilis sellae* discrepabat. *Virorum* enim *sellae* patentes, *cathedrae* faeminarum magis erant rectae. Ostendit illud ex SENECA IVSTVS LIPSIVS (*k*). Porro *cathedrae* mundo etiam atque suppellectili muliebri adseruando inseruiebant. Speculum enim in iis fuisse, vel ex illo PHAEDRI constare potest (*l*):

Hi speculum, in cathedra matris vt positum fuit
Pueriliter ludentes, forte inspexerant.

Posterioribus autem temporibus Καθέδρα ἀμφικέφαλος facta. SYNESIVS certe, qui sub ARCADIO et THEODOSIO II. imperatoribus floruit, (*n*) eiusmodi meminit Καθέδρας ἀμφικεφάλȣ. Καθεζομένη γȣ̃ν, inquit, ἐπ' ἀμφικεφάλου καθέδρας. κ. τ. λ. (*o*) Sed quid καθέδρα ἀμφικέφαλος? Nihil enim hac de re, neque NICEPHORVS scholiastes SYNESII, neque DIONYSIVS PETAVIVS, nec alii quos consulere licuit. Dicemus sine fastu tamen et fascino, quid nobis placeat. Habebant veteres ἀμφικεφάλους κλίνας ἑκατέρωθεν ἀνάκλισιν καὶ προσκεφάλαιεν ἔχȣσας, *lectos vtrimque accubitum et ceruical habentes (p).* Iam *cathedrae* quoque habebant puluinaria: quid igitur obstat, quo minus adseuerare audeamus, Καθέδρας etiam ἀμφικεφάλȣς eas fuisse, quae vtrimque ceruicali munitae fuerint? Neque praetereundum esse censemus, mulieres virosque effaeminatos *cathedris* olim *vehi* solitos. Inde enim et multa alia veterum dicta, et illud praecipue IVVENALIS (*q*) lucem accipit:

- *cum*

vt spectet ludos, conducit ogulnia vestem
conducit comites, fellam, ceruical; *amicas.*

Sed IVVENALIS forte non ideo coniunxit cum *sella* siue *cathedra ceruical*, quia *ceruicalis* vsus in cathedra erat: quin potius *ceruicali* etiam in ludis spectandis vtebantur.

(*k*) l. c. p. 416.
(*l*) L. III. fab. 8. 4.
(*n*) POPE-BLOVNT censura celebrior. auctor. p. m. 285. 286. FABRICIVS biblioth. gr. L. V. cap. 22. §. 11. volum. IIX. p. 221. 222.
(*o*) ep. 3. f. 160. opp. edit Parisin. 1612.
(*p*) PFEIFFER antiquit. gr. facr. L. IV. cap. 31. p. 681.
(*q*) Satyr. 1. v. 64.

- cum iam ſexta ceruice feratur
hinc atque inde patens, ac nuda paene cathedra
et multum referens de maecenate ſupino
ſignator falſo -

Sexta ceruice ferri nihil eſt aliud, quam in *cathedra* a ſex ſeruis vehi. Non enim iumentis veteres Romani, ſed ſeruis vtebantur quoties LECTICA *vehebantur* aut *cathedra (r)*. MARTIALIS genus hoc cathedrarum *hexaphoron* adpellat, quod a ſex hominibus geſtaretur (*s*). Et hisce *cathedris* quoque *inſidebant in ludis* atque *theatris* faeminae (*t*). Quemadmodum autem *ſellae mulierum*, proprie *cathedrae* dicebantur differebantque ab iſtis *virorum ſellis:* ita eaedem cathedrae aliae erant *domeſticae*, aliae *geſtatoriae*. Docuit illud diligentiſſime SCHEFFERVS (*v*), cuius eruditiſſimas commentationes huic pagellae illinere nec vacat nec lubet. Cathedras mulierum domeſticas ſignificant MARTIALIS et HORATIVS. Hic enim (*x*)

- - teque tigelli
diſcipularum inter iubeo plorare cathedras;

Ille autem (*y*):

inter faemineas tota qui leue cathedras
deſidet, atque aliqua ſemper in aure ſuſurrat.

Nihil iam addimus de ornamentis cathedrarum, neque de cathedris *eboratis, argentatis, bracteatis, aureisque*, multa diſputamus. Hoc enim labore ſuperſedere iuſſit vir quondam doctiſſi-

(*r*) SCHEFFERVS de re vehiculari L. III. cap. 4. 5.
(*s*) Epigramm. in Caecilian. L. I. epigramm.
(*t*) LIPSIVS elector. L. I. cap. 19. p. 416. T. I. opp. edit. iam memoratae.
(*v*) de re vehiculari L. II. cap. 4. p. 65.
(*x*) Satyrar. L. I. ſatyr. 10. v. 91. 92. Legunt alii *diſcipulorum:* ſed perperam. Non enim diſcipulorum ſunt cathedrae, ſi cathedrae *litterariae* intelligantur, ſed magiſtrorum. Iſtae vero *diſcipularum cathedrae*, de quibus HORATIVS, erant ſellae puellarum, ſiue hiſtrionum potius atque mimarum, quas DEMETRIVS atque TIGELLIVS carmina ſua edocebant. vid. RAPPOLT. commentar. in Horat. cap. 28. p. 230. LVBINI paraphraſ. ſcholiaſt. Horat. p. 325
(*y*) in Cotilum epigramm. L. V.

tiſſimus IOANNES SCHEFFERVS (z): et ſatis iam, niſi forte nimium, de cathedris.

§. 7.

A lecticis *lecticarii* et *lecticariolae*, a cathedris mulierum *cathedrarii* et *cathedralicii* dicti. PETRONIVS (a): *inſecutus eſt lecticarius, argentumque inter reliqua purgamenta ſcopis coepit verrere.* MARTIALIS (b):

ancillariolum tua te vocat uxor, et ipſa
lecticariola eſt; eſtis, alauda, pares.

Idem MARTIALIS (c):

cum cathedralicios portet tibi rheda miniſtros.

SIDONIVS (e) autem *cathedrarios ſeruos* dixit. *Lecticarii* quidem erant, qui lecticam ſuccollabant (f), iique non ſerui tantum, ſed liberi etiam homines, licet plebeii, fuiſſe videntur. Hoc quidem inde claret, quod ſaepe numero *lecticarii conducti* (g) in veterum libris legantur, et *lecticariorum* adeo *collegium* Romae fuerit. Huius enim *lecticariorum collegii* mentio fit, cum alibi, tum in *veteri* iſta *inſcriptione*, quam commemorant LIPSIVS (h) et SCHEFFERVS (i):

TI.

(z) de re vehiculari p. 74.
(a) in ſatyr. cap. 98.
(b) L. XXII. epigramm. 58.
(c) L. X. epigramm. 13. Conf. viri ſumme venerabil. PETRI ADOLPHI BOYSENII, quem honoris cauſſa nominamus, diſſ. de ſenſu vocis cathedralicius, Halberſtad. 1720.
(e) L. I. ep. II.
(f) LIPSIVS elector. l. c.
(g) LIPSIVS et SCHEFFERVS ll. cc.
(h) l. c. p. 414.
(i) l. c. p. 102.

TI. CLAVDIO.

AVG. LIBERTO.

TIGRANO.

EX. CORPORE.

LECTICARIORVM.

CAESARIS.

Lecticariolae autem erant, quae cum lecticariis solebant, mulieres impudicae (*k*). Sed haec de *lecticariis* et *lecticariolis* obiter et veluti aliud agendo: magis ad institutum nostrum adtinere videtur, quinam *cathedrarii* et *cathedralicii* fuerint, quaerere. Censuit iam olim de hisce vocabulis vir summe reuerendus et omnis elegantioris doctrinae plenissimus PETRVS ADOLPHVS BOYSENIVS in elegantissima, qua semicrudi cuiusdam versileguli arrogantiam et παρόραμα perstringit, disputatione (*l*): sed relicta tamen nobis post hanc messem spicilegii copia. Et primo quidem firmissime nobis sedet, istos ad *cathedram homines*, qui cathedram succollarent, nunquam fuisse *cathedralicios* adpellatos, sed huius nominis vituperium vel lenonibus, vel formosulis et delicatulis procis adulterisque fuisse impactum. *Cathedrarii* vero a veteribus Romanis soli eruditi viri, a SIDONIO serui, qui cathedram vehebant, dicebantur. Qua de caussa nos quoque facile in RAPPOLTI (*m*) et BOYSENII (*n*) pedibus ambulamus sententiam, qui eos valde errare existimant (*o*), quibus *cathedralicii* videntur fuisse serui, quorum in

(*k*) LIPSIVS L. I. elector. cap. 19.

(*l*) de sensu vocis *cathedralicius.*

(*m*) commentar. in Horat. p. 231.

(*n*) l. c.

(*o*) De quorum numero est BVCHNERVS, qui in thesauro FABRI ita hanc vocem explicat. Miramur hunc errorem in editione thesauri Fabro - Cellariani cura excellentissimi GESNERI anno CIↃ IↃCC XXVI. euulgata nondum sublatum.

in collo, vt CATVLLVS loquitur, cathedra collocabatur *(p)*. Neque enim apud vllum alium, quod quidem conſter, quam MARTIALEM haec vox legitur. Ille vero hisce in TVCCAM inuehitur verſibus *(q)*:

cum cathedralicios portet tibi rheda miniſtros.

Serui, qui ſuccollandae cathedrae erant deſtinati, eſſe nequeunt *cathedralicii iſti miniſtri.* Illi enim, qui poterant *rheda vehi*? Porro molles iſti amaſiunculi, qui veſtitu adfluentes vnguentisque madentes ſingularum faeminarum cathedras greſſu delicato atque languido diligentiſſime ſequebantur, heic intelligi nequeunt *(r)*. Quid enim illis cum TVCCA? Hinc igitur colligit, quem ſaepius iam laudauimus, BOYSENIVS l. c. *cathedralicios miniſtros* a MARTIALI dici infames illos pueros, qui nefanda patientia dominorum ſaeuae atque inhumanae inſeruiebant laſciuiae, cinaedos, ſcorta maſcula. Sed quas praetexit vir doctiſſimus, rationibus nondum commouemur, vt ipſius ſententiae accedamus. *Miniſtri* enim non ſemper ſunt ſerui et mancipia, ſed liberi quoque homines ſic nonnunquam adpellantur. Popae ſcilicet, homines certe liberi, dicuntur miniſtri *(s)*; et cui antiquitatum paullo ſtudioſiori *ſacrorum miniſtri* poſſunt eſſe ignoti? Hos autem non ſolum liberos, ſed ingenuos adeo eſſe oportebat. Quin immo imperatores romani *voluptatum* habeant *miniſtros*, homines non liberos

 tan-

(p) Hi enim dicebantur *lecticarii*, *ſellarii*, διφροφόροι, et a SIDONIO *cathedrarii*. SCHEFFER. l. c. p. 75.

(q) l. c.

(r) Haec eſt ſententia CHIMENTELLII de honore Biſellii. cap. 24. aliorumque, quos vide ap. BOYSEN. l. c. Eadem quoque ſunt in haereſi HADRIANVS TVRNEBVS aduerſar. L. XXX. cap. 30. f. 1122. edit Argentin. 1599. et CAELIVS RHODIGINVS lection. antiquar. L. XV. cap. 8.

(s) vid. BRISSON. de formul. L. I. cap. 19. f. II. ex edit. excellentiſſ. CONRADI, praeceptoris quondam noſtri non ſine voluptate nobis memorandi.

tantum et ingenuos, ſed ex equeſtri quoque ordine. Sic PETRONIVS fuiſſe NERONI *a voluptatum miniſterio* creditur (*t*). Quinam igitur tandem ſunt iſti *cathedralicii miniſtri*, quos MARTIALIS pungit? Nobis quidem iſti fuiſſe videntur homines liberi quidem, ſed perditiſſimi, quos TVCCA conduxerat, vt omnes faeminarum *cathedras* ambirent, earumque amorem ipſi TVCCAE conciliarent. Fuerunt igitur ſtuprorum foediſſimi ſequeſtri et adulterorum internuntii. Vnde hic eſt verſiculorum MARTIALIS ſenſus: *licet tibi multi lenones ſint, quos eo loco habes, vt rheda tua vehantur, quorumque interuentu adulterarum amorem comparare poſſes* (*) - -*licet Thetis amica tua vnguentis delibuta domi tuae ſit* - - : *ad nocturna tamen faſtoſae moechae iaces limina.* Vero tamen non eſt diſſimile, illum etiam, qui, vt ad CANDIDVM epigrammate MARTIALIS L. 13.

- - faemineis noctesque diesque cathedris
incedit, tota notus in vrbe nimis.
Crine nitens, niger vnguento, perlucidus oſtro,
ore tener, latus pectore, crure glaber.

fuiſſe *cathedralicium* dictum. Sed eiusmodi homines formoſuli iſto MARTIALIS epigrammate non intelliguntur.

§. 8.

(*t*) vid. Mr. *de* ST. EVREMOND dans le iugement ſur Seneque Plutarque et Petrone T. II. des oeuvres melées p. 149. MR. DES MAIZEAVX dans la vie de MR. *de* ST. EVREMOND. Apud Ludouicum XIV. Galliarum regem ſimili officio functus eſt FRANÇOIS *de* PORCHERES *d'* ARBAVD, poeta haud ignobilis, quem magiſtrum atque arbitrum voluptatum nocturnarum (*maître des plaiſirs nocturnes*) fuiſſe legimus. vid. MAIZEAVX dans ſes notes ſur la comedie de Mr. de St. Euremond nommée les Academiciens.

(*) In hoc MARTIALIS epigrammate non *eques* ſed *equus* legendum cenſemus.

§. 8.

Differebant ab hisce faeminarum *cathedris* illae in amphitheatris cathedrae, quarum meminit TERTVLLIANVS (*v*). Sed de his dicere non multum adtinet. Pergimus itaque ad *cathedras* episcoporum, quarum apud scriptores ecclesiasticos frequens est mentio. Quo potissimum tempore episcopi *cathedris* vti coeperint, id quidem obscurum est atque incertum. Qui romanensis principatus tyrannidem defendunt, illi PETRVM iam *cathedra* vsum contendunt acerrime, ipsamque eius *cathedram* ligneam superstitem esse pugnant (*x*). Sed confutauit eorum lepidissimas hac de cathedra fabellas THOMAS ITTIGIVS (*y*). Videntur autem hae *cathedrae* prima ab origine simplices et ideo potissimum inuentae, vt vox docentis episcopi, non fracta nec intercepta opposita multitudine, eo liberior ad omnes dimanaret auditores, postea splendidiores et altiores factae. Testis est SVLPICIVS SEVERVS (*z*), qui ita de heroe suo MARTINO: *illud non praeteribo, inquit, quod in secretario sedens, nunquam* cathedra *vsus est. Nam in ecclesia nemo vnquam illum sedere conspexit: sicut quemdam nuper (testor Deum) non sine meo pudore vidi,* sublimi solio quasi regio tribunali, celsa sede *residentem.* Vt autem posterioribus temporibus, christianis a pristina simplicitatis formula discedentibus, episcoporum in immensam creuit imperii similitudinem dignitas: ita istae quoque *ecclesiae*, in quibus episcopus sedem suam fixerat, vt nominis dignitate

(*v*) Apud BOYSENIVM l. c. Vocat ita *ipsum in amphitheatris ad consessum situm.*

(*x*) Veluti BELLARMINVS de romano pontifice L. I. cap. 17. conf. TENZELII exercitat. IX. §. 14. p. 372.

(*y*) in selectis capitibus historiae ecclesiast. primi a Christo nato saeculi cap. 4. §. 2. 3.

(*z*) Dial. II. cap. 1. p. 430. opp. edit. Vorst. 1703.

ab aliis distinguerentur, *cathedrales* fuerunt adpellatae. Hinc etiam *cathedrae* atque *incathedrationis* sacri festique dies, hinc *domini cathedratici* (*a*), et quae sunt aliae huiusmodi compellationes, quas quidem singulas alio forte loco persequemur diligentius.

§. 9.

Reliquum est, vt de illis quaedam subiungamus *cathedris*, quas musis ipsis auctoribus suasoribusque in iucundis scholarum vmbraculis posuerunt ingenia. Dicemus autem de iisdem, quoniam prope ab vmbilico abest noster libellus, per saturam atque summam. Iam apud Hebraeos vsu inualuerat, vt magistri in scholis sederent stantibus coram ipsis discipulis *(b)*. Vnde a vero parum absunt, qui istos Hebraeorum magistros *cathedras* quoque habuisse statuunt. *(c)* Sed apud Graecos praesertim atque Romanos rhetores atque philosophi, omnesque illi, qui scientias atque liberales profitebantur artes, *cathedris* insidebant. AVSONIVS in professoribus:

et te quem cathedram temere vsurpasse loquuntur.

Hasce

(*a*) vide de hisce horridulis sane barbarisque nominibus, quos citat BÖYSEN. l. c. Adde TENZELII exercitat. sel. exercitat. IX.

(*b*) In templo enim Hierosolymitano nemini, ne regi quidem, nisi ex familia Dauidis oriundus esset, sedere licebat. SALOMON DEYLING. obseruat. sacr. P. III. cap. 30. Cum igitur CHRISTVS apud LVCAM cap. II. 46. ἐν τῷ ἱερῷ καθεζόμενος ἐν μέσῳ τῶν διδασκάλων dicitur, non in ipso templo hierosolymitano, sed in synagoga templo contigua sedisse credendus est.

(*c*) Colligunt illud ex MATTH. XXIII. 2. vbi generis humani sospitator: ἐπὶ τῆς Μωσέως καθέδρας, inquit, ἐκάθισαν οἱ γραμματεῖς. Quaenam vero fuerit illa Mosis cathedra, pluribus disputant BRAVNIVS in selectis sacris L. I. cap. 8. §. 128. p. 116. seqq. CONRADVS

Hasce SIDONIVS vocat *litterarum cathedras (d)*: *Vxor illi de Palladiorum ſtirpe, qui aut litterarum aut altarium cathedras tenuerunt.* Declamantes quoque ſolebant cathedris vti, quod ex quadam PLINII iunioris epiſtola *(e)* patet. Primi quidem rhetores atque declamatores, quorum auctor AESCHINES *(f)*, *cathedris* vſi videntur *(g)*. Ab iis haec conſuetudo etiam ad philoſophos manauit. Quinam vero philoſophorum primus ex cathedra docuerit, id quidem certo definiri non poteſt. Sed, cum iam veterum philoſophorum haud pauci omnia ad vanam gloriolam et lucellum; parum aut nihil ad conſcientiam referentes, non veritatem ſed nugamenta docere coepiſſent *(h)*: factum eſt, vt *cathedra vana* atque *ſterilis* diceretur, ipſique vani iſti philoſophi *cathedrarii* adpellarentur. IVVENALIS *(i)*:

poenituit multos vanae ſterilisque cathedrae.

SENECA *(k)*: *ſolebat dicere Fabianus non ex his cathedrariis philoſophis, ſed ex veris et antiquis* caet. Sed quantumuis libeat plura de *litterariis* iſtis *cathedris*, de earumque forma et

 orna-

DVS MEL in antiquario ſacro p. 68. Quibus addenda ſunt ea, quae fuſius hac de re dixit CAMPEGIVS VITRINGA de ſynagoga vetere p. 164. 165. 166.

(*d*) vid. LIPS. ad SENECAE de breuitate vitae librum c. 10. edit Paris. 1627.

(*e*) ep. 21. L. IIX.

(*f*) VOSSIVS de rhetor. natura et conſtitutione c. XVI. p. 110. ſqq.

(*g*) VOSSIVS l. c. CRESOLL. in theatro ſophiſtarum et rhet.

(*h*) Elegantiſſimam vanorum philoſophorum deſcriptionem habes apud LVCIANVM pluribus locis, praeſertim in illo dialogo, quem inſcripſit ἁλιεῦς p. 414. T. I. opp. edit. Graeu. Amſtel. 1687.

(*i*) Satyr. VII. v. 11. p. m. 48.

(*k*) de breuitate vitae cap. 10.

ornamentis differere: id tamen quo minus faciamus officit modus huic difputationi definitus. Sunt autem in fcholis tam fuperioribus, *academias* et vulgo *vniuerfitates (l)* vocant, quam inferioribus *cathedrae* ingeniorum theatra et bonae mentis omnisque doctrinae atque humanitatis praefidia. Vnde quoque ifta *cathedrarum litterariarum* differentia enata, qua in *fcholafticas* et *academicas* diftribuuntur. Sed cui non dictus hylas? *Scholafticae* quidem *academicis* multo funt antiquiores, cum ipfae *fcholae* originis antiquitate *academias* vincant longisfime, et *academiae* ex *fcholis* fint enatae. Addimus, non inutilem fore quamdam *de iuribus cathedrarum* adcuratiorem disputationem, de eaque vt cogitare velint, quibus cathedrarum ornamenta curae funt atque cordi, fummopere optamus.

(l) Nuper non nemo, qui philofophus, criticus, poeta, theologus, hiftoricus, et quid non? effe et fibi et aliis videtur, in dedicatione libri cuiusdam dixit, *illo aeuo, quo balbutiebat eloquentia academias dictas fuiffe vniuerfitates, cum fcholae dicendae effent vniuerfales.* Nemo non agnofcit, virum et in *barbaris* numerare *vniuerfitatis* nomen, et academiis illud impofitum, quod *fcholae* fint *vniuerfales*, arbitrari. Sed rectiora ipfum edocere potuiffet vel folus *thefaurus Fabro-Cellarianus. Vniuerfitas* olim quodlibet di. ebatur collegium. vid. tit. D. quod cuiusque vniuerfitatis nomine. conf. Ill. HEINECCIVS ad hunc tit.



VIII.

VIII.

DISSERTATIO CRITICA

DE

HORATII OD. I. LIBR. I. V. 1-12.

A

MARTINO BORCK

PHILOS. ET ART. MAG. SOCIETAT. LAT. IENENS. COLLEGA HONOR. SCHOLAEQVE FRANCO-HVSANAE RECTORE

CONSCRIPTA.

I.

Philosophus verum demonstraturo, vel exercitatissimo cuique, praecipit, vt ad demonstrationis regulas animum numquam non acriter intendat. Hoc enim, quod puerile videatur exercitatis atque taediosum, spreto aut neglecto, fieri saepe non potest, vt ad liquidum exploretur veritas. Si idem sibi faciendum censerent, qui interpretando aliorum sermoni dant operam, vt genuinae interpretationis regula, qua possent cura nihil non metirentur; summi ceteroquin in hoc genere viri non alucinati toties fuissent, et in errores inducti nec opinantes. Id quod iis in primis euenisse saepe videas, qui explicandis Romanorum libris, laudabili licet consilio, insudarunt. Quoties viri isti boni bonis litteris earumque cultoribus, quibus cupiebant, obfuisse magis, quam profuisse deprehenduntur? Aerumnabili labore suo saepe nihilo plus egerunt, quam vt aliorum, * quae dudum eruditos pondere suo lassant, et bibliothecas rumpunt, volumina bonam partem maiora euoluantur, atque adeo vel laboriosissimi vita quantacumque vix sufficiat, ** tribus vel quatuor antiquis scriptoribus ita excutiendis, vt nihil praeteriisse iure dici possit.

* Vide sis eos in IO. MATTH. GESNERI, qui Goettingam nuper Lipsia euocatus dubium erudito orbi reliquit, plus ne sibi ex honore, an honoribus ex se dignitatis accesserit, praefationem ad T. LIVIVM Lipsiae CIϽ IϽCC XXXIIII. editum.

** Censente PETR. BVRMANNO in praefatione ad VAL. FLACCI argonauticon libros, Leidae CIϽ IϽCC XXIIII. edi abs se curatos.

II. Cuius rei testis est, si quisquam locuples, Q. HORATIVS F. Carmina eius cum quadraginta * Grammaticorum commentariis et notis saeculo iam decimo sexto Basileae prodierunt; eodem tempore a PETR. GVALT. CHABOTIO ita ornata dicam an onerata, ** vt, (quem ad modum in fronte editionis eius postumae a I. IAC. GRASSERO Colon. Munatianae curatae, legitur) nihil commentarii amplius a quoquam desiderari possit. Plures tamen postea fuerunt, quibus sua, quam iis quoque certatim nauarunt, opera indigere visa sunt; quos tantum non omnes recensitos legeris in IO. ALB. FABRICII bibliotheca Latina. Hos qui perlustrare non grauatur, quum

quum in eos, quod in omni vita eſt veriſſimum: *bona mixta malis;* valere haud inficiabitur; tum oleum ſe perdidiſſe et operam cum interpretibus, ſubinde non niſi nodum in ſcirpo facientibus, intelliget, commentis eorum genuinae interpretationis regula, tamquam Lydio lapide, diligentius examinatis.

* Quamquam non tot commentarii in totum HORATIVM exhibiti ſunt, ſed plerique eorum quaedam eius loca tantum ſparſim illuſtrata dederunt. Vid. FABRICII biblioth. Lat. vol. alt. p. m. 330.

** RICH. BENTLEIVS virum eruditum vocare CHABOTIVM non dubitat, in comm. ad HORATIVM p. m. 19. at acerrimus ille eruditorum pariter atque eruditionis aeſtimator PETR. BVRMANNVS in epiſtola ad CAPPERONNERIVM p. 33. *Chabotius,* ait, *theologicis, dialecticis, grammaticis, rhetoricis, ethicis, et neſcio, quibus ſordibus diuinam Horatii poëſin conſpurcauit, et eo nullus caeleſtis ingenii poëtam ineptiori commentario onerauit, et pedantiſmi perfecti notis inſigniuit.* Tantum igitur abeſt, vt hic commentarius *egregius,* quod vult GVNDLINGII Hiſtoria lit. p. 1162. videri poſſit, vt potius iure meritoque *inſanus* eſſe cenſeatur in miſc. obſeruat. in auctores veteres et recentiores, ab eruditis Britannis inchoatis, et nunc a doctis viris in Belgio et aliis regionibus continuatis vol. VI. tom. 1. p. 233.

III. Nec iniurium, quod abſit, in viros optime de elegantioribus litteris meritos, me eſſe, argumento ſit vel ipſius odarum libri primi primae odes initium: locus vexatiſſimus et eruditorum diſputationibus nobilis ille quidem, ſed cuius difficultas omnis non niſi ab neglecta interpretationis regula orta videtur, qua diligenter ſeruata, explicatu eſt perquam facilis. Vero haec maiora non eſſe, vt pateat, ſubtexam primum explicationes doctorum virorum, * facilem deinde ſecundum genuinae interpretationis regulas explicationem additurus. Ante tamen, quam vtrumque fiat, operae pretium erit, verba poëtae, vti in MSS. et editionibus plurimis leguntur, omiſſis diſtinctionum ſignis, quippe recentioribus, ** quae pro ſua quisque explicatione aliter aliterque collocant, exſcripta oculis ſubiicere. Quae haec ſunt:

Sunt quos curriculo puluerem Olympicum
Collegiſſe iuuat metaque feruidis
Euitata rotis palmaque nobilis
Terrarum dominos euehit ad deos

Hunc

Hunc ſi mobilium turba Quiritium
Certat tergeminis tollere honoribus
Illum ſi proprio condidit horreo
Quidquid de Lybicis verritur areis
Gaudentem patrios findere ſarculo
Agros Attalicis conditionibus
Numquam dimoueas vt trabe Cypria
Myrtoum pauidus nauta ſecet mare.

* Rationem leges in cel. *Chriſtoph. Aug. Heumanni* Poeciles tom. III. libr. I. p. 124. §. 2.

** Vid. CLERICVM in art. crit. vol. II. ſect. I. c. I. §. 11. p. m. 7. et vol. III. p. 123. ed. Amſtelaed. CIↃIↃCCXII, et Illuſtr. STRVVIVM in actis lit. faſc. I. §. 15. p. 17. ed. ſecundae.

IIII. Accipe nunc et ſummorum in republica litteraria virorum enodationes, ſiue potius quem in ſcirpo fecerunt nodum, ſuo quaeque quo ſcripta ſunt ordine. Pronuncianda igitur eſt prima ſententia DION. LAMBINI, ea neque in priore neque poſteriore eius editione Horatiana exſtat, ſed in commentariis ad LVCRETIVM, * his concepta verbis: *Illum numquam demoueas, ſi ſit diues arator, et magnam vim frumenti ex agris ſuis percepti, et collocati in horreis ſuis condiderit: illum, inquam, gaudentem agros patrios ſarculo findere, cet. numquam igitur his perſuadeas, vt nauigare inducant animum. Sed haec explicatio quadrare non poteſt, neque hanc probant docti viri. Quam ob rem autem non ſit probanda, haec cauſa eſt. Quid enim mirum ſit, hominem, cui ſit conditio et ſpes explorata obtinendorum ſummorum magiſtratuum, et eum qui habeat in horreis ſuis conditum maximum frumenti numerum, nauigandi periculum adire nolle? Sic igitur potius hic locus explicandus et diſtinguendus eſt. Sunt, quos victoria certaminum Olymp. euehit ad deos, i. e. diis proximos et beatiſſimos efficit; adſcribe ad vocem,* deos, *comma, h. m. Hunc, nempe ambitioſum quendam euehit ad deos, ſi eum populus Romanus certat adficere ſummis honoribus, vt hoc totum,* ſi mobilium turba Quiritum certat hunc tergeminis tollere honoribus, *ſit loco ſuppoſiti, vt grammatici loquuntur, perinde*

de quasi ita dicat Horatius, alium facit sibi beatissimum videri, studium et voluntas populi Rom. in eum conferendorum summorum honorum, aura popularis denique. Sequitur deinde: Illum si proprio cet. *quae similiter explicanda sunt repetito ἀπὸ κοινȣ͂, verbo*, euehit, *h. m. Illum euehit ad deos horreum frumenti plenum, quantum est in Africa, et intellige hunc non esse aratorem, sed hominem alioqui locupletem. Imo post vocem*, areis, *scribe punctum. Nam quae sequuntur diuidenda ac separanda sunt a superioribus h. m. Gaudentem patrios cet. i. e. alium autem, qui delectatur agris suis, sibique a patre relictis, eosque sua manu libenter arat, numquam vel amplissimis conditionibus a suo instituto demoueas, et adducas, vt nauiget.*

* Libr. IIII. vers. 1162. p. m. 396. ed. Paris. 1570. et p. 556. ed. Francofurt. 1583.

V. Secunda sententia est IANI RVTGERSII in Venusinis lectionibus * cap. 1. ita pronuntiata. Ponunt vulgo comma post *areis, vt eiusdem viri sit, et patrios agros sarculo findere, et tantum possidere, quantum producit Africa. Atqui discrimen nimis manifestum est. Altero enim agricola designatur sedulus, beatus paruo, et talis plane, qualem venustissime describit in Epodis.. Altero diues qualem alibi opponit Thrasio, h. e. quod de Mario Plutarchus dicit,* πλȣ͂τον ἀρκοῦντα βασιλείαις ὁμȣ͂ πολλαῖς κεκτημένος. *Id enim per Africae messes, ob singularem eius prouinciae foecunditatem, Poëtae volunt. Vnde libr. III. Ode XVI.*

Fulgentem imperio fertilis Africae

pro opulentissimo dixit. Et paucis interiectis. *Quid tantopere mirandum est, si quis immensas opes quiete possidere malit, quam exigui lucelli caussa infido mari se committere? Viderat huius loci ἀσυστασίαν doctissimus Glareanus, et Glareanum secuti alii. Sed qua ratione scribendus foret, id eos fugit.* Deinde positis ex suo sensu distinctionum signis, haec addit. Post *palmaque nobilis* τελεία στιγμὴ *ponenda est. Repetendum autem* ἀπὸ κοινȣ͂ iuuat: Sunt, quos collegisse et meta iuuat. Et post pauca. *Hic se diis immortalibus parem*

rem putat, si ad quam maximos honores perueniat; ille, si amplissimas opes consecutus sit. Agricolam autem, qui immoritur studio agellos patrios excolendi, adducere numquam possis, quin quiete rusticari malit, quam cum periculo mercaturam aggredi. Vt iam planissimus locus sit, qui tantopere ingenia criticorum exercuerat.

* p. m. 321. ed. BVRMANNI, qui Venusinas Rutgersii lectiones primus integras curauit, cum Horatii operibus Traiecti Bat. 1699. 12. et Amstelaed. 1713. 12. (quam editionem fere nullis mendis contaminatam esse, liquido adfirmare se posse, ait, in praefatione ad Phaedri fabulas, 1719. Hagae Com. luci publicae expositas) nam quas SCHREVELIVS in commentariis variorum ad Horatium exhibet lectiones RVTGERSII, mutilae sunt, monente BVRMANNO in praef. ad Horat. et FABRICIO in biblioth. Lat. vol. II. p. m. 243.

VI. Tertia sententia est RICHARDI BENTLEII, magni magnae Britanniae luminis illius: * ea in postuma eius editione HORATII ** his verbis legitur. *Omnes iam a litteris renatis de impedita hic et salebrosa oratione questi sunt. Quaeritur* Hunc *et* Illum *vnde pendeant, et cuinam verbo connectantur. Aut enim haec structura est,* Iuuat hunc, illum; *aut ista est,* Euehit hunc, illum; *aut illa denique,* Dimoueas hunc, illum; *nihil est quartum: et tamen nulla ex his tribus constructionibus recte procedit. Esto enim; postrema prae aliis tibi arriserit: inquis, dimoueas* HVNC *amplissimis honoribus auctum,* ILLVM *totius Africae praedia possidentem, vt mutato vitae instituto* Mercatores *esse velint. Ain vero? Profecto haud stulte sapiunt, si nolunt se tot et tantis periculis sine caussa exponere; neque dubio mari opes quaerere, quas domi iam affatim habent. Quid, quaeso, hic tam mirum? Metuendum, credo, erat, ne Pompeio quis vel Caesari vel Crasso persuaserit, vt relictis rebus omnibus mercaturam exerceret. Illud quidem, quod mox sequitur, accipio proboque; vbi* Rusticum *paterni agri cultorem vel luculentissimis conditionibus negat dimoueri posse, vt pristino vitae genere relicto Mercator esse incipiat; quippe qui paruo contentus, proculque a negotiis et Neptuno vitam agens, securam suam paupertatem opero-*

rosis incertisque opibus anteponit. Hoc quidem verum et est, et memoratione dignum: illud alterum de imperatoribus et praediuitibus, qui nolint fieri mercatores, est ineptum prorsus et inficetum: vti iam pridem Iul. Scaliger Ianusque Rutgersius recte animaduerterunt. Deinde, reiectis et ceteris construendi modis, ita infit. *Quid igitur fiet? Enim vero correctione locus iuuandus est, priusquam vllam inde sani coloris sententiam extuderis.*

* Vide sis epist. criticam de notis BENTLEII in Phaedrum p. 4. quae addita est BVRMANNI Phaedro Leidae CIↃ IↃCC XXVII edito in 4to.

** Tertia scil. Amst. CIↃ IↃCC XXVIII. in 4. curata, addito non TRETERI, quod vult GVNDLINGIVS l. c. sed AVEMANNI indice, a VERBVRGIO emendato.

VII. Restat quarta sententia ALEX. CVNINGAMII, quae in eius animaduersionibus in BENTLEII notas et emendationes ad HORATIVM legitur. * *Quaeritur, inquis,* ait, hunc *et* illum *vnde pendeant et cuinam verbo connectantur. Aut enim haec structura est*, iuuat hunc, illum; *aut ista est*, Euehit hunc, illum; *aut illa denique*, Dimoueas hunc, illum: *nihil est quartum: imo quartum est, vnde hunc et illum pendeant, vtrumque enim pronomen et a* iuuat *et ab* euehit *pendere dici posset.* Et post aliquot paginas. ** *Omnino cum Lambino* hunc, illum *ad* euehit, *non ad* iuuat *referri putamus, et pronomen* quos *intelligendum.* Cetera, quae hoc de impedito maxime, vti eum vocat, loco laudatus CVNINGAMIVS habet, quod complufcula sunt, addere hic breuitatis studio nolim.

* p. 277. prodierunt eae Hagae Com. CIↃ IↃCC XXII. 8.

** p. 285. seqq.

VIII. Habes itaque, B. L. sententias praecipuorum, qui hic, tamquam in Olympio stadio, non citra pulueris tactum desudarunt interpretes, quos equidem adhuc legerim, obseruationum, emendationum, variarum lectionum molem illam nec manu versari, nec infinitam criticorum et philologorum turbam, fateor, perlegere potui: tamen quantum per negotia licuit, non indiligenter excussi CVPERI, PETITI, SCHOTTI, REINESII, GRONOVII nuperas Anglorum et Batauorum variorumque virorum doctorum obseruationes, nec non commentarios BVRMAN-

MANNI, in primis, qui poſt CVNINGAMII labores prodiere, in Ouidium, Phaedrum et poëtas minores; BROVCKHVSII, nec non elegantis ingenii DRAKENBORGII *; doleo autem BAXTERI poſteriorem Horatii editionem, quam multas obſeruationes cum in BENTLEIVM, tum in CVNINGAMIVM habere relatum legimus, ** diu fruſtra quaeſitam inſpicere mihi non licuiſſe. Laudari quidem hunc Horatii locum non vni auctori vidi ***: ſed quod ad rem noſtram faciat, nihil quidquam ibi reperi. Enarratas vero has ſententias et nodos curioſius luſtrare, examinare et ſoluere, neque inſtituti noſtri fert ratio, neque operae pretium foret; praeſertim quum CVNINGAMIVS laudatis ad Horatium BENTLEII animaduerſionibus ferias nobis fecerit: et in BENTLEIVM quidem, qui nodum hunc, quaſi nihil intereſſet, quo modo ſoluatur, vt Gordium olim Alexander ille M. gladio rumpere, quam ſoluere maluit, animaduerterint LAMB. BOS **** et RICH. IOHNSON. Potius, quod propoſitum eſt, iam exſequemur, atque demonſtratum ibimus, locum hunc, ſi quidem ſingula ad interpretationis regulas dirigantur, adeo non difficilem eſſe, vt potius explicatu ſit facillimus.

* Vti vocatur PETRO BVRMANNO ad Petronii Satyricon c. XXVII. p. m. 93.

** In nouis litterariis Krauſianis A. CIƆ IƆCCXXV. p. 282.

*** BVRMANNO ad Ouid. tom. III. p. 484. n. 1. MVRETO ad Catulli epigr. IIII. p. m. 17. lit. D. edit. Pariſienſis cum notis variorum in fol. CIƆ IƆC IIII. VOSSIO in Inſt. Orat. libr. IIII. c. X. p. m. 148. IO. CLERICO in biblioth. ſelecta tom. XVII. p. 415. ſeqq. FERD. RETESIO ad tit. D. de interd. et releg. p. 1229. tom V. theſauri Rom. ed. poſter. et ALEX. GOTTL. BAVMGARTENIO in meditat. philoſoph. p. 11. §. 20.

**** Ille in animaduerſionibus ad Horatium p. 27. ſq. hic in Ariſtarcho Anti-Bentleiano. Vid. Act. Erud. CIƆ IƆCC XVII. m. Nou. Conf. quoque miſcell. obſeruat. in auctores vet. et recent. ab eruditis Britannis edi coeptas vol. IIII. t. 1. p. 113. ſeq. et vol. V. t. 2. p. 260. ſq. En tibi acumen etiam argutum arguti iudicis, FALSTERI puta. *Hic Horatius profecto Bentleii eſt; nam hic illum pro lubitu et auctoritate caſtigauit: hic Bentleius Horatii eſt; nam hic illius ingenium nimium quantum exercuit* et excruciauit. Amoenit. Philolog. vol. III. p. 13. ſq.

VIIII. Nimirum aliorum ſententias interpretari, quum nihil ſit aliud, quam verum verborum quorumdam ſenſum eruere

ere; verus vero verborum ſenſus opinio ſit et cogitata, quae communicare cum aliis voluerunt loquentes aut ſcribentes: aliorum verba recte interpretaturus omni cura ac diligentia accurata ante omnia perquirat ſententiae alicuius ſcopum, propoſitum ſiue exitum, ad quem omnes verborum tendunt veniuntque ſignificationes, nec non res loquentium ſcribentiumue circumſtantes, cum intentione eorumdem cohaerentes. Hic autem ſcopus eſt vel totius ſcriptionis, vel partis eius, vel ambitus, vel membri, vel verbi denique aut alius cuiusdam rei; et priores quidem poſteriores patefaciunt. *

* Accurate, ſi quis alius philoſophorum, hanc rem exſecutus eſt Cel. Ien. Prof. IO. IAC. LEHMANNVS, praeceptor olim meus atque Maecenas patria pietate numquam non colendus, in inſtit. philoſ. et quidem philoſ. rat. p. 172.

X. Primum igitur ſoliciti erimus de totius, cuius pars interpretanda nunc eſt, odes ſcopo. Eum, ſi verborum ſpectes ſignificatus, hunc eſſe, vt *alios aliis rebus duci*, *ſe Lyricorum verſuum ſtudio teneri*, Poeta oſtendat, cum res ipſa loquitur, tum vero vno ore fatentur interpretes, quibus pollicem quoque premit eleganter doctus medicus PETR. PETITVS, libro, quem ſupra laudauimus: niſi quod WILH. BAXTERO, viro reconditae eruditionis, Horatius ſemi Stoicus, quo nouum et leue carminis genus apud ſeueriores excuſet, ſe cum ceteris mortalibus inſanire, fateri videtur. * Ad occaſionem vero praefixi huius ſcopi quod adtinet, ſunt, qui cenſeant, carmen hoc prooemii ſiue prologi locum obtinere, ceterisque huius libri abſolutis, nouiſſimum acceſſiſſe; ipſi viderint, definire id, quum nihil, quod iuuet indagationem, in tota hac ode eſſe videatur, nec rei chronologicae haud vulgariter peritus IO. MASSON auſus eſt. ** Equidem, ſi coniecturae locus, et quid ſentiam dicere licet, putem HORATIVM, non ineptum morum cenſorem, adeoque Maecenati atque inde ipſi Auguſto mire probatum, *** non nullos ſui temporis more ſuo, i. e. ſatirico, et hoc carmine, quamuis aliud agendo, pupugiſſe; atque hinc oden hanc poſt illam, quam ad Maecenatem ſcriptam legimus, quum ſe eum ad bellum Acciacum iturum comitari velle, demonſtratum dedit, compoſitam videri.

P * Ed,

* Ed. Horatii Londinensi CIↃIↃCCI.
** Histor. Litter. specimine primo, vitam Horatii complectente.
*** Conf. HEINSIVS de Satyr. Horat. MORHOF. Polyh. I. 3. 6. 31. nec non HENR. IO. MARTIVS, Prof. poes. Witt. in prolusione de poetis morum doctoribus, nuper edita.

XI. Singularum verborum, comprehensionum ac sententiarum scopus patebit, si, qua ratione et via ad illum scopum totius odes, non vnas esse hominum voluntates, poeta peruenire contendat, diligentius attendamus; inductione scilicet. Dicit enim esse, quos iuuet palma Olympia hunc se gaudere honores consequi suffragiis populi Romani; illum se habere diuitias; alium se agri, quantum ad se suosque tuendos sit satis, colere: non nullos mercatura duci: quosdam indulgere genio: multos castra sequi libenter: alios venatum ire: se denique id cupere, vt poetae Lyrici nomen consequatur famamque. Hoc totius orationis est filum, haec carminis mens, de PINDARO, vti notum, adumbrata, cuius haec leges apud SEXT. EMPYRICVM citata: *

'Αελλοπόδων μὲν τιν' εὐφραίνουσιν ἵππων τιμαὶ καὶ ςέφανοι,
Τοὺς δ' ἐν πολυχρύσοις θαλάμοις βιωτά·
Τέρπεται δὲ καὶ τις ἐπ' οἶδμα ἅλιον ναΐ θοᾷ-σων διαςείβων.

Quosdam (non *sunt-quos*, vti BENTLEIVS data opera vertisse videtur) iuuant velocium equorum honores et coronae, hos in auratis talamis vita: quidam et delectatur, si celeri naue saluus per mare currit. Haec tantum ex PINDARO citat EMPYRICVS: si totum adhuc exstaret carmen, cetera quoque PINDARI Horatianis tam forent similia, vt ouum ouo. Eadem ratione TYRIVS ille MAXIMVS idem argumentum, Horatium imitatus, explicauit. ** Ὁ μὲν Κροτωνιάτις ἐρᾷ κοτίνου Ὀλυμπικῆς, ὁ δὲ Ἀθηναῖος νίκης τριηρικῆς, ὁ δὲ Σπαρτιάτις ὁπλιτικῆς, ὁ Κρητικὸς θήρας, ὁ Συβαρίτης χλιδῆς, ὁ Θηβαῖος αὐλῶν, ὁ Ἴων χορῶν. Crotoniata oleastrum amat Olympiam, nauali victoria Atheniensis delectatur, Spartiata pedestri, venatione Cres, Sybarita luxu, Thebanus tibiis adficitur, Ionicus choris.

* In primo Pyrrhon. hypotheseon ad 2. modum ἐποχῆς p. 24. ed. FABRICII: inter fragmenta enim PINDARI, cum ab HENR STE-

STEPHANO, tum ERASM. SCHMIDIO diligentius collecta, gratis ea quaesiueris.

** Init. differt. XVIII. p. 191. ed. DAVISII Cantabr. 1703. Saepius TYRIVS HORATIVM imitatus esse videtur: conf. in primis huius Serm. I. 1. initium cum illius differt. V. principio.

XII. Et ad eos quidem versus, quos interpretandos nobis nunc sumsimus, quod adtinet, commodissime primam periodum, siue circumscriptam verbis sententiam, esse dicemus hos HORATII versus:

Sunt, quos curriculo puluerem Olympium
Collegisse iuuat, metaque feruidis
Euitata rotis, palmaque nobilis
Terrarum dominos euehit ad deos.

Quae verborum interpunctio, quod cum linguae Lat. ingenio, praesertim Horatii stilo, consentanea est, tum criticis probatur acutissimis, BVRMANNO, aliis: non potest non reliquis, quae possent esse, praeferri omnibus. Hoc enim pacto in sequentibus versiculis *hunc* et *illum* verbo suo *dimoueas* praemittuntur, ordine, quem recte scribendi ratio praecipit, et in re simili, praeter scriptores alios, ipse obseruauit HORATIVS. * Oratione igitur ita interpuncta, sensus periodi prioris hic erit. *Sunt quidam, qui certaminibus Olympicis delectantur, seque gaudent conspergi puluere, quem decurrentes excitarunt: quique, si in huiusmodi certamine alios vehementi cursu anteuerterunt, primique euaserunt, nec metam tetigerunt offendentes, sed singulari solertia declinarunt, atque adeo victoriam reportarunt illustrem; omnium se putent felicissimos, ac deorum vitam adeptos.* Quumque de hoc horum verborum sensu facile inter eruditos conueniat: breuioribus in iis explicandis esse in praesenti nobis licebit, et non nisi vnum monendum erit. *Palma nobilis* tantum abest vt ieiunum sit, aridum atque omni Venere spoliatum, quod censet BENTLEIVS, ** vt commodius nihil, nihil venustius, significantius nihil fingi dicique potuisset. Quandoquidem poeta per *palmam nobilem* non quamcunque victoriam, vix tandem reportatam, intellexisse videtur: sed praereptam feliciter multis dubiam eam facientibus singulari prorsus solertia cursuque admirabili. *** Quae quidem signifi-

 catio

catio vocis *nobilis* cum quod propria est, tum quia ea admissa, Bentleio facile occurri potest, vulgari metonymicae, quin praeferatur, quaeso, quid obstat?

* Serm. I. 1. 28. sqq. Carm. III. 1. 10. sqq. VIRG. Georg. II. 505. sqq. Aen. VI. 320. PHAEDR. III. 3. 7. PETR. c. CXV. p. m. 534. ed. BVRM. PLIN. Paneg. IIII. 5. Aliam ita interpungendi rationem vide sis apud DACERIVM ad h. l. p. m. 9. ed. V. quae X. tomis Hamburgi nuper admodum nitida prodiit.

** Et cum eo Auctores diarii litterarii Part. II. tom. XXIII. qui vbique epitheta otiosa in Odis Hor. quaerunt.

** Epitheta optimo cuique Latinorum adhibita, quae nomini nil quidquam addere videntur, sed tamen otiosa plane non sunt, plura leges collecta apud BVRMANNVM ad OVID. t. II. p. 98. et ad PHAEDR. p. 2. et 229. ed. in 4to, necnon DAVISIVM ad CIC. de N. D. c. II.

XIII. Expediendus denique est nodus ipse, quem docti fecerunt (§. IIII - VII.) in his verbis:

Hunc, si mobilium turba Quiritium
Certat tergeminis tollere honoribus;
Illum, si proprio condidit horreo
Quidquid de Lybicis verritur areis;
Gaudentem patrios findere sarculo
Agros: vel Attalicis conditionibus
Numquam dimoueas, vt trabe Cypria
Myrtoum pauidus nauta secet mare.

Quibus verbis interpretationis regula iudicatis, facile liquet, hanc illigatam esse sententiam. *Hunc, qui suffragiis inconstantium Rom. ad maximos honores euehitur; illum, qui in suum granarium quidquid ex agro fertili colligitur, condere potest; vt et colentem paterna rura alium: numquam, vel Attali regno promisso, de hoc suo proposito auersum iri atque allectum, vt rem quaesiturus, gloriamue nominis, praelia obeat naualia.* Et priora quidem verba parum vel nihil difficultatis habent: in posterioribus vero soluendus est nodus, ab eruditis adhuc magis magisque connexus.

XIIII. Primum scilicet, quamuis leuius, peccant, qui *tergeminos honores*, cum MVRETO, sextuplices, Quaesturam puta, Tribunatum plebis, Aedilitatem, Praeturam, Consulatum et Censuram, hic anxii interpretantur. Cum iterpretationis

tionis regula, *ea praesertim significatio adhibenda est, quam non verbi etymon indicat, sed vsus loquendi.* * *Tergeminus* vero, non quasi bis geminatum ter, i. e. sex, quod recte iam animaduertit BERN. CYLLAENIVS; ** sed maximus, amplissimus, Gallice *tres grand*, teste MATTH. RADERO, *** dicitur, vti Graecorum τρὶς, * et nostrum dreydoppelt, v. gr. ein dreydoppelter etc. nec non Plautiuum trifur, ein Ertzdieb. ** Hinc *tergeminis honoribus* hic idem esse ac *maximis, amplissimis*, posito numero finito pro infinito, interpretes alii dudum monuerunt, cum veteres, tum recentiores, quibus et pollicem premit GERARD. IO. VOSSIVS loco ante iam laudato. Sed haec leuiora: grauiora restant.

* Vid. LEHMANNVS l. c. p. 179. c. II.

** Ad ea TIBVLLI, *tergeminum caput*, p. m. 520. ed. Paris. 1604. f.

*** Ad MARTIALIS libr. III. epigr. XXXV. verba, *tergeminum mugiet*, p. 274. ed. secundae in f. Ingolst.

* Ita et vocem hybridam, *Triscamerarius*, ex Graecorum τρὶς compositam, idem significare ac Oberkammerrichter, non drey Kämmerer, vti KOEHLERVS vertit, demonstratum legimus a HENR. GOTTL. FRANCKE in de Triscamerario R. S. I. e diplomatibus restituto. Lips. 1736. 4.

** PLAVT. Aul. IIII. 4. 6. triuenefica, eine Ertzhexe, ib. I. 2. 8. trifurcifer, ein rechter Galgendieb, ib. II. 4. 47.

XV. Grauiori deinde errore lapsi sunt, verba illa, *vt trabe Cypria pauidus nauta secet mare*, mercaturam exerceat, interpretantes, securi de interpretationis genuinae regula, variaque vocum significatione. Ne igitur eodem errore decipiamur: varia vocis praesertim *nautae* significatio, quod inueterata, sed aliena, omnem hic creauit errorem, paullo diligentius, quam et in praestantissimis *Lexicis*, ROB. STEPHANI, CVRIONIS, NIZOLII, FABRI factum, inuestiganda prius erit, quam interpretationis regula haec verba meteri poterimus. Quare haec habe.

Nauta est 1) is, qui se in naui agenda exercet, et quicunque in naui est nauis ducendae gratia, ein Schiffmann; id quod in vulgus notum est. 2) Is, qui nauem conscendit, ac naui vehitur quacunque de caussa, ein *Passagier*. Et hunc significatum probat cum etymologia, tum vsus huius vocis. Est enim, teste VOSSIO et DACIERIO ad FESTVM, a Graecorum ναύτης, pro quo poetae, tragici in primis, etiam ναυάτης dicunt,

cunt, quem ad modum per similem epenthesin Latini quoque pro *nauta* dicunt *nauita*, vti docet SERVIVS ad VIRG. Georg. I. 137. et Aen. VI. 385. Ναύτης vero, teste SVIDA, quod STEPHANVS et Etymologici Magni A. ignorant) est et ille, qui naui vehitur. Eodem sensu et Latinos suum *Nauta* vsurpasse, docent cum ACRON ad HORAT. Carm. III. 4. 30. tum infinita alia probatissimae Latinitatis scriptorum loca. PLAVT. Men. II. 1. init. PHAEDR. IIII. 16. 3) *Nautae* vocantur, qui militiam colunt naualem VIRG. Ecl. VI. 43. et 77. VAL. MAX. Argonaut. sexcenties OVID. Heroi. XIII. idque itidem imitatione Graecorum, v. c. a. PINDARO ναύται vocantur commilitones Iasonis, Pyth. od. IIII. ἀντις. α. 7. 4) Mercatorem.

XVI. Si igitur *illi tantum significationi locus est, eaque reliquis praeferenda, quam postulat, vel admittit subiectum:* * dubium non est, quin *nauta* h. l. militiam colentem naualem significet. Nam vti nemo, iudice BENTLEIO, (§. VI.) vel Pompeio, vel Caesari, vel Crasso, hisque similibus vmquam persuaserit, vt relictis rebus omnibus mercaturam exercerent: ita summos hos viros praelia moliri atque obire naualia persona sua non indignum ratos esse molestumue sibi, traditum accepimus. Nec ipsum Augustum, huncque sequutos Imperatores Rom. at quantos viros! ad parta tuenda, praelia detrectasse naualia, nemo ignorat, nisi rerum omnium ignarus. Quid? quod iis quidem temporibus plerosque res bellicas maiores esse, quam vrbanas arbitratos fuisse, ne illos quidem fugit, qui seuera adhuc lege proficiunt. **

* Demonstrante LEHMANNO l. I. p. 179. c. I.

** CIC. de Off. I. 21 vbi omnino legi meretur PAVLVS MANVTIVS vberius hac de re dicens p. m. 47. ed. GRAEVII Amst. 1688.

XVII. Quumque praeterea *ille demum sensus est verus, ad quem tendunt adfectus loquentium aut scribentium, horumque et auditorum vel legentium ceterae περιστάσεις:* * eo magis dicta vocis *nautae* notio praeferenda reliquis erit, quo vero est similius, HORATIVM, cui suis temporibus difficile fuit satyram non scribere, his verbis sale satyrico perfricare voluisse eos, qui cum Augusto ad bella naualia ire noluerunt. Quorum e censu fuerunt OVIDIVS, ** TIBVLLVS, PROPERTIVS, alii-

aliique Rom. adeo multi, vt tandem edicto publico ad obeunda militiae munia ab Augusto fuerint compulsi. Quod itaque poeta cum saepe alias, tum Carm. III. 16. 5. ad sua tempora respexit, idem et nunc fecisse videtur. Accedit et illud, quod PINDARO pariter ac TYRIO de classe atque victoria nauali ll. cc. sit sermo. Quoties vero et acutissimi interpretes HORATIVM ex Graecis scriptoribus explicuerunt! v. c. LVCIANO DACERIVS. ***

* LEHMANNVS l. c. p. 182. c. IIII.

** Vid. vitam eius auctore MASSONIO, p. 45. seqq. operibus eius curante BVRMANNO additam tom. IIII. hinc animi falsum fuisse GVNDLINGIVM, adfirmantem in hist. litt. p. 1162. militem eum fuisse, immo ducem, certe centurionem, pluribus demonstratum leges in misc. obseruat. Vol. VI. t. 1. p. 252. seq. De TIBVLLO vero et PROPERTIO testantur inprimis, illius eleg. I. Libr. I. et huius libr. IIII. eleg. X. ed. BROVKHVSII.

*** Tom. VII. p. 236. n. 3.

XVIII. Atque haec quidem de ambitiosis recte dici, censet Vir Clarissimus, qui hanc commentatiunculam cum doctis communicare in Actis Academicis, * dignatus est, quam ob rem non possumus non gratum ipsi significare animum. *An* vero *de rustico, patrios agros colente, idem dicatur commode*, videndum. Nimirum agricolam, non capite censum ac proletarium quemcunque, sed patrios agros colentem, qui sua adeo ope censeri queat, poetam intelligere, verba ipsa loquuntur. Qualis in multis aliis, Tibullus ille omnino fuit, qui l. c. testatum vult omnibus, se modico illo, quod ex patrimonii vnctiusculi naufragio reliquum erat, inertia sua abusurum, neque esse, quod ad resarciendas rei familiaris ruinas, quarum reparatrix militia maxime esse posset, vel Messala vel alius quisquam se sollicitaret, quod neque agrorum iugera, quae militibus re bene gesta obuenirent, desideret, neque auro ex praeda atque vrbium direptione reportando quidquam moueatur, securus praeterea famae, si vel maxime iners audiat atque ἀδρανής. En tibi ipsius verba, carptim exscripta.

Diuitias alius fuluo sibi congerat auro,
Et teneat culti iugera multa soli.
Me mea paupertas vitae traducat inerti.

*Hoc mihi contingat. Sit diues iure, furorem
 Qui maris, et triftes ferre poteſt Hyadas.
Quem labor aſſiduus vicino terreat hoſte:
 Martia cui ſomnos claſſica pulſa fugent.
O quantum eſt auri potius, pereatque Zmaragdi,
 Quam fleat ob noſtras vlla puella vias.
Te bellare decet terra, Meſſala, marique,
 Vt domus hoſtiles praeferat exuuias.
Me retinent vinctum formoſae vincla puellae:
 Et ſedeo duras ianitor ante fores.
Ipſe boues, modo ſim tecum mea Delia, poſſim
 Iungere, et in ſolo paſcere monte pecus.
Hic ego dux milesque bonus. Vos ſigna, tubaeque
 Ite procul: cupidis vulnera ferte viris.

Numquid Albus ille, et quisquis eius loci atque ordinis, inertia neſcio qua captus, agros ſuos quam militiam colere tunc temporis maluit, odio cum iſtac ſua deſidia digni videntur? Immo vero, qui ſibi, et quod magis indignum equite Romano, ipſi patriae atque patri eius Auguſto, cui terra adhuc marique decertandum cum hoſtibus erat, deeſſe nulli vererentur, eos poetam hic caſtigare commode, intellectu difficile eſſe poterit nemini, qui Horatii ingenium bene norit.

* Anni MDCCXXXVIII. Sect. V. p. 120.

XVIIII. Tum dixerit quis cum BAXTERO, neque ab aeneis clauis, neque a nautica materia, *trabem Cypriam* nominauit poeta; ſed a Cypriis mercibus: ex quo conficitur, per *nautam* h. l. non niſi mercatorem intelligi poſſe. Cui quidem cum LVDOV. DESPREZ reſponſum volumus, aeque recte per *trabem Cypriam* intelligi poſſe, nauem fabricatam ex optimis lignis, qualia aedificandis nauibus aptiſſima reperiuntur in Cypro, maris mediterranei inſula, quae, Romanis olim, quod Iſtria peninſula nunc Venetis, * fuit. Hinc *κέρκουρον* nauem praegrandem Cyprii inuenerunt, narrante PLINIO: ** claſſesque aedificandas curarunt, auctore STRABONE. *** Quanto melius interpretes nonnulli, * vt et paraphraſtes EILH. LVBINVS, ** Scholiaſtas veteres ſecuti, generatim haec intelligentes, *nauigationem exerceat*, reddiderunt. Sed ſatis iam diſputatum eſt de loco HORATII impedito maxime. Vtrum nodus iam ſit expeditus, an non Eruditus Lector ſentiet; cuius eſto iudicium, et vnius Dei gloria.

* Vid. HVEBNERI Geogr. t. I. p. 679.
** Hiſt. nat. VII. 56.
*** Geogr. libr. XIIII. p. m. 684. ed. Pariſ. 1620. f.
* v. c. Batauus Interpres, I. v. VONDEL ed. Amſt. 1654. 12. vertit Belgice, *dat hy, beangſt voor Schipreuk, zich ter Zee begeve.*
** Cuius haec eſt paraphraſis, vt ad nauigationem animum applicet, et vt nauigare ſuſtineat.

VIIII.

PAVLLI SCHAFFSHAVSII

PHILOS. ET AA. LL. MAG.

DISSERTATIO EPISTOLICA

DE

INSIGNIBVS

IOANNIS TAYLORII

IN

LYSIAM ORATOREM

M E R I T I S

EX

PRAESTANTISSIMA

ORATIONVM LYSIANARVM

EDITIONE A. V. C. ADORNATA

COMPARATIS.

AD

VIRVM CLARISSIMVM

GEORG. CHRISTIANVM

TRAVSOLDVM

I. V. CANDIDATVM DIGNISSIMVM

QVVM

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

LIPSIAE CAPESSERET.

VIR CLARISSIME ATQVE DOCTISSME, FAVTOR ATQVE AMICE LONGE MIHI AESTVMATISSIME

Saepius, quum Lipsiae ambo haereremus, de variis ad litteras, in primis elegantiores, spectantibus rebus disserere consueuimus. Ex quibus familiaribus, TE cum institutis, sermonibus, aeque ac ex honestissimo illo desiderio, quo ductus, meam qualemcunque operam, TIBI, in excolenda amplius Graecorum lingua, adiumento quodam esse volebas, cognoui, quanta TE ceperit linguae huius, et vtilitate et suauitate sua se commendantis, oblectatio. Ego sane non sine insigni animi voluptate recordor illius temporis, quo TE cum et cum FABRO atque KLEFEKERO, quorum charissima mihi sunt semperque erunt nomina, et *N. F.* tabulas et *Theophrasti*, elegantissimi Scriptoris, *characteres morum* perlustrandi, vobis Auctoribus, mihi data fuit occasio. Eo maiorem vero mihi obtingere laetandi caussam video, quo pauciores hodie dantur, ex iis praesertim, qui iuris studio se dicarunt, in Academiis iuuenes, qui graecis litteris rite addiscendis atque intelligendis operam dicant suam. Eo enim deprauatis hisce nostris temporibus ventum est, vt, quae non apertam lucri spem faciunt, scientiae, alto contemnantur supercilio. Oratores et ICTI graeci, *Demosthenes*, *Isocrates*, *Lysias*, *Aristides*, *Constitutiones Imperatorum*, *Iustiniani*, *Tiberii Thracis*, *Fl. Heraclii*, *Leonis sapientis*, et quae sunt reliqua huius generis scripta, alta possunt frui quiete. Vin' TV, TRAVSOLDE DOCTISSIME, caussam neglectus horum scriptorum nosse? En vltro se offert! Graeco sermone vsi sunt hi scriptores. Quis vero tantum sibi ipse imponeret iugum, vt, ob hos scriptores eo melius intelligendos, graecam linguam familiarem sibi reddere susciperet? Obuertere quidem TV mihi videris, accidere tamen quandoque, vt scripta ICtorum graecorum consulenda euoluendaque sint. Sed esto! accidat sidere infortunato, quod tamen per inte-

integra lustra vix aliquando accidere gaudent, iure an iniuria iam non disquiram, graecarum litterarum osores, tunc, versiones praesto sunt, ex quibus via multo breuiori, cuius caussa euoluendi sunt illi scriptores, intelligi potest. Quo tenuior igitur rebus sic comparatis, nostris temporibus eorum est numerus, qui dulcissimis Graecorum litteris addiscendis nauant operam, eo maioribus generosior eorum indoles est laudibus extollenda, qui, quum vltra vulgus eruditorum sapere volunt, etiam hanc vtilissimam linguam, sine qua nemo veri eruditi nomen tueri potest, dignam iudicant, cui addiscendae operam suam consecrent. Quorum numero quum et TV, TRAVSOLDE SVAVISSIME, cui de meliori luto finxit praecordia Numen, accensendus sis, quantum de TE certissime sperare possint, et Patria dulcissima, et eruditorum Respublica, satis patet. Quem TVVM in meliores litteras animum erectum, atque a vanis de eruditione opinionibus liberum, quum cognosset Amplissimus in Celeberrima mihique charissima Philyraea, quae tot tantisque per sexennium, quo dulcissimo sinu suo me complexa est, beneficiis me ornauit, vt nulla vnquam obliuio gratissimam eius deletura sit memoriam, Philosophorum ordo, hinc factum, vt TIBI summos in philosophia honores lubens decerneret. Quo beneficio quum accessio honoribus TVIS haud exigua sit facta, pro ea, quam TIBI debeo, amicitia non possum non, vt de insigni hac honoris accessione, qua ab Inclyto Sapientum ordine es ornatus, TIBI ex animo gratuler, quodue ex hoc, quo mactus compares, virtutis atque industriae praemio, perceperim gaudium, scriptione TIBI hacce, celeberrimi Angli in graecas litteras merita exponente, declararem.

Prodiit Anno MDCCXXXVIIII. Londini in forma quadripartita maiori, cura *Io. Taylorii*, V. C. limatissima Orationum a *Lysia* compositarum editio, tanta industria confecta, tantoque eruditionis apparatu instructa, vt, si hoc vnicum tantummodo exstaret, eruditionis atque doctrinae Taylorianae documentum, vel hoc vnicum specimen, ad nomen Cel. Editoris ab obliuionis iniuria vindicandum, sufficeret. Quum vero, qui

qui in Anglia euulgantur libri, raro apud nos compareant, neque nisi magnis sumtibus comparari possint, ego, rem neque lectoribus ingratam, neque a TVIS studiis alienam, susceptu-rum me esse arbitratus sum, si praestantissimam hanc Lysianarum orationum editionem, et quae in eam sint Cel. *Taylorii* merita insignia, serisque posteris praedicanda, breuiter enarrem. Instructa est editio haec 1) praefatione lectu dignissima, 2) vita *Lysiae* ab ipso Taylorio magna cum cura elaborata, 3) annotationibus doctissimis magnamque iudicii critici vim spirantibus, 4) *Ier. Marklandi* coniecturis, 5) lectionibus Lysiacis, in quibus quaedam retractat, quaedam addit, *Taylorius*, 6) indice Attico elegantissimo. Quae omnia ita sunt egregie comparata, vt si pro merito ea excutere, TIBIque, quae in hisce praestitit, excellens *Taylorii* eruditio atque industria, exponere digne vellem, vereor, ne angustos epistolae limites transilirem. Quare, pace TVA, generatim tantummodo, quibus praesidiis instructus, ad hanc adornandam *Lysiae* editionem accesserit, qualemue se cum in emendando, tum in commentando praebuerit *Taylorius*, explicabo. Qua vero in componenda *Lysiae* vita vsus sit diligentia singulari *Taylorius*, quaeue ex *coniecturis Ier. Marklandi* eluceat acris ingenii atque iudicii vis, et excellens doctrinae copia, alia occasione enarrare constitui.

Quod igitur ad praestantissimam, de qua verba facere proposui, *Orationum Lysiae* editionem attinet, ea sequenti indice ornata comparet: ΛΥΣΙΟΥ ΤΑ ΠΕΡΙΓΕΝΟΜΕΝΑ. *Lysiae orationes et fragmenta, graece et latine. Ad fidem Codicum Manuscriptorum recensuit, notis criticis, interpretatione noua, ceteroque apparatu necessario donauit Ioannes Taylor, A. M. Coll. D. Ioannis Cantabr. Socius. Acad. olim a Bibliothecis, hodie a Commentariis. Accedunt Cl. Ier. Marklandi, Coll. D. Pet. Soc. coniecturae. Londini* 1739. Dicatus est *Lysias* ornatissimo praestantissimoque viro IO. TEMPEST, armigero, qui olim in Academia Cantabrigiensi sub ductu et moderamine *Io. Taylorii* litteris operam dedit. Sub praefationis initium *Taylorius* veniam a lectoribus petit, quod, quum promissis prius non steterit, haec editio, quam infra angustiores limi-

limites conclusisse fortasse potuerint aut fortunatiores, aut certe minus exercitati, per sexennium et amplius producta sit. Simul istud quoque sibi a lectoribus tribui vult humanitatis officium, vt, ei temeritatem suam haud exprobrent, quod in alienissimo reipublicae litterariae tempore, infructuosissima omnium studia atque artes plane deciduas excoluerit. Tantum enim hodie elegantioribus litteris statuitur pretium, vt verendum sit, ne publice hebescat acies litterarum, et praestantissimorum hominum studium tardetur, quum ex his litteris ne minimus ille capiatur fructus laudis et exspectationis, quem semper summum, hodie fere solum eruditi exspectare potuerint. Quae quum sit publica artis nostrae fortuna, atque interea domi habeat, quod impendio esse possit, non sine caussa miratur Taylorius, vnde optima quaeque ingenia ad haec studia accendi maxime soleant, et in communi bonarum artium naufragio serio restinguantur. Quod vero in hoc ipso litterarum flexu Academia Cantabrigensis maximos viros et omni praeconio dignos, BENTLEIVM vtrumque, HARAEVM, MANGEIVM, THIRLBAEVM, WASAEVM, PEARCAEVM, WALKERVM, MARKLANDVM, IORTINVM, aliosque, maximis meritis conspicuos, informare et excolere non destiterit, id sane maximae gloriae cedere huic Academiae, merito gloriatur *Taylorius*.

Verum enim vero id merito simul Doctissimus *Taylorius* dolendum esse iudicat, quod neque hoc, neque superioribus saeculis vllus in iurisprudentia attica atque oratoribus graecis operam suam locauerit; in quibus tamen, si eruditionem spectes, maxime locari poterat. Imo eousque hos scriptores ignoratos fuisse affirmat, vt, quum ad *Lysiam* recudendum accessit, statim, quam arduum in se susceperit opus, senserit. Caussam, cur tanta incuria hanc litterarum partem, insigni vtilitate conspicuam, occupauerit, inter plurimas hanc esse arbitratur; quod harum orationum, quae circumferuntur exemplaria, neque ea tamen facile obuia, latina interpretatione fere destituantur. Eam enim esse conditionem graecarum litterarum maximopere dolendam, cum *Taylorio* omnes perhibent, qui

qui recte de rebus iudicare valent, quod, quum nude prodierint, vix vnum aut alterum inueniant emtorem; quum vicissim nihil quidpiam fere magis ad earum interitum contulerit, quam popularis illa et puerilis versiones latinas attexendi consuetudo. Haec posteaquam, quum de horum studiorum infortuniis, tum de sua in iis excolendis opera praemonuisset elegantissimi ingenii Vir, *Taylorius*, nonnulla cum de *Lysiae* orationibus, quali scilicet fortuna in vtraque aetate vsi sint, tum in ea, quae extinctas litteras praeiuit, tum in hac altera, quae typographiae ope nouam librorum edendorum rationem introduxit; tum quantum ipse in hac editione adornanda praestitit, et quibus subsidiis adiutus, id operis in se suscepit, adiungit.

In scriptoribus recensendis eo melior, obseruante *Taylorio*, fuit antiquorum Criticorum fortuna, quod saepenumero vetustissima exemplaria nacti sint, et quae aetate praecederent infinitam istam varietatem lectionis, quam ex describentium, vel dolo malo, vel incuria, subinde oriri necesse fuit. Ita *Athenaeus* memorat *Sophoclis* codicem ab ipso auctore scriptum: et *Pausanias* in *Boeoticis* se vidisse affirmat *Hesiodi* poema ab accolis montis Heliconis sibi commonstratum, antiquissimis plumbeis laminis, procul dubio auctoritate publica, in honorem tanti ciuis exaratum. Scriptores emaculare eisque ex apposito chirographo auctoritatem conciliare eorum fuisse monet *Taylorius*, qui vel primaeuas membranas vel eis proximas vsurparunt. Ita *Aristotelem Tyrannio* emendauit, ab *Aristotelis* aetate non longe dissitus.

Felicitati iam commemoratae non minorem accessisse obseruat *Taylorius*, eam scilicet, quae antiquioribus Criticis Auctores integros, adeoque a se ipsis felicius expoliendos recognoscendosque, obtulit. Magnum enim id erat ingenii adminiculum, scriptorem ex ore ipsius fingere, et colores ducere, quos ipse repraesentauerat. Nos vicissim hariolationibus ex aequalium scriptorum vsu ductis, ex dialecti, in qua scripsit, genio ac indole, ex scholae denique aut disciplinae auctoritate, aetatem conterimus. Multa vero genuinae antiquitatis monumenta ideo aetatem non tulisse, probe monet *Taylorius*, quod

cen-

cenſoriam obeli notam ſuſtinere nequiuerint, Circumferebantur olim orationes Lyſiae CCCC, et quod excurrit, iuxta *Plutarchum* et *Photium*. Iamdudum autem eſt, quod conqueratur *Photius, Biblioth. Cod. CCLX. Paullum Myſium* multas et praeclariſſimas ſuas criſi extinxiſſe.

Hac occaſione *Taylorius*, ad eos, qui in illuſtrando atque enodando *Lyſia* occupati fuerunt, peruenit. *Paullus* ille *ἐκ* Μυσίας, quis fuerit, quali lingua, qua conditione et aetate vſus ſit, ſcire ſe iuxta cum inſcientibus fatetur. Praeter *Photium* enim nemo veterum, ſi *Suidam* et *Eudociam* Imperatricem excipias, mentionem eius iniicit.

Paullum aetate anteiuere et *Dionyſius* Halicarnaſſ. et *Caecilius*, qui ex orationibus *Lyſiae* CDXXV. germanas eſſe volunt, non niſi CCXXX. iuxta *Plutarchum*; aut cum *Photio* CCXXXIII. *Dionyſio* multum debere *Lyſiam*, docet *Taylorius*. Nam praeter criſin de *Lyſia*, quam longe emaculatius, quam in vulgatis editionibus repraeſentari ſolebat, editioni ſuae praeponi curauit Praeſtantiſſimus *Taylorius*, commentarium ſcripſit de dignoſcendis *Lyſiae* orationibus germanis et adulterinis, hodie magno rei litterariae detrimento non exſtantem.

Dionyſius aetate et ſtudiis aemulum habuit *Caecilium* Rhetorem, natione *Siculum*, patria *Calactinum*, qui praeter multa alia, quae *Suidas* enarrat, libellum compoſuit de charactere X. oratorum.

Lyſimachides librum *Caeciliano* oppoſitum adornauit de oratoribus atticis.

Curiam atticam *Hero* Athenienſis, incertae aetatis, illuſtrauit.

Diodorus Valerii Pollionis Alexandrini F. ſub Adriano clarus, enarrationem locorum difficiliorum, quae in X. oratoribus inueniuntur, conſcripſit.

Zoſimus Gazaeus, vel Aſcalonites, qui ſub Anaſtaſio vixit, praeter *Lexicon Rhetoricum* ſcripſit *commentarios in Demoſthenem et Lyſiam.* Quae in *Lyſiam* ſcripſit, perierunt; ſcholia vero *Zoſimi* Aſcalonitae in *Demoſthenem*, diuerſa ab *Vlpiani* ſcholiis, hodie inedita vna cum *Demoſthenis* orationibus

in

in Bibliotheca Vaticana ſeruari, ex *Ryckii* Catalogo MS. ſe didiciſſe, *Taylorius* fatetur.

In eosdem, *Lyſiam* ſcil. et *Demoſthenem*, ſcripſit *Zeno* Citienſis, Zenone Philoſopho, ſtoicae diſciplinae auctore, multis annis iunior.

De *Antiphontis* figuris, de *Lyſiae* et *Hyperidis* Orationibus ſcripſit Caius *Harpocratio* Sophiſta. De illis, quae oratores ignoraſſe videntur, de formis orationum, ementitam eſſe *Herodoti* hiſtoriam, ceteraque, *Aelius Harpocratio*.

Callimachus aliique ex ſchola Pergamena, tabulis, quae πίνακες et ἀναγραφαὶ vocabantur, et in quas auctorum aetas, genus et ſcripta; ſcriptorum argumentum, initium et numerus referebantur, conficiendis operam adhibebant. Huiusmodi πίνακα παντοδαπῶν συγγραμμάτων *Callimachus* inſtruxit; ex quo opere fuerunt, quae *Dionyſius Halicarnaſſ.* de *Callimachi* laboribus in antiquos auctores praeſtitis, laudat. Verum quum munus illud negligenter adminiſtrauerit, ſ. rei mole et magnitudine oppreſſus, ſ. δεινότητι vere critica, quae falſa a veris diſcernit, deſtitutus, iſtos commentarios interceptos minus aegre ferendum eſſe pronuntiat *Taylorius*.

Nouo iam ſaeculo nato, et litteris feliciter inſtauratis, *Aldus Manutius* primus, Anno MDXIII. *Lyſiae*, quod ſupererat, typis euulgauit graece, Folio, vna cum *Aeſchine*, *Antiphonte*, *rel.* quos *Franciſco Faſeolo*, I. C. ac Senatus Veneti a Secretis Magno nuncupauit. Quam ſuam editionem expreſſiſſe, credit *Taylorius*, *Manutium*, non ex vnico exemplari, ſed ex pluribus inter ſe collatis, quae adhuc ſeruat inſtructiſſima illa Bibliotheca Laurentiana. Eorum notitiam hic ſubiungit Vir Eruditiſſimus, vt nimirum aliorum induſtriae aliquid ſubminiſtret, qui *Lyſiam* olim emaculaturi ſunt.

Anno MDLXXV. *H. Stephanus* eosdem Oratores emiſit Lutetiae, luculentiſſime impreſſos in fol. Gr. adiecta latina verſione omnium *Aeſchinis*, et quarundam *Lyſiae* orationum. Hac occaſione magnificis *Stephanum*, praeſtantiſſimum virum, iure meritoque extollit laudibus *Taylorius*. *Magna*, inquit, *erat in eo homine*, Stephanum puta, *cura*, *moderatio non minor*.

Scrip-

Scriptorum codicum varietatem diligenter et fideliter ad oram paginae ſuae annotabat: rariſſime in locum receptae lecti- nis bariolationes ſuas repoſuit, niſi vbi tam craſſus fuerit prioris editionis error, vt multo etiam craſſior futura eſſet de emendatione dubitatio. Hanc ſe etiam, Stephani laudis et diligentiae quam maxime aemulum, in hac editione operam nauaſſe, fidemque obſeruaſſe, eo magis aſſerere poteſt. Humaniſſimus *Taylorius*, quo lubentius, quotquot recti iuſtique harum ſcientiarum ſunt iudices, finem hunc a *Taylorio* aſſequutum eſſe, fatebuntur.

Anno MDCXV. *Iodocus van der Heidius*, Brabantus, *Lyſiae* orationes XXXIV. latine a ſe redditas, et politicis notis illuſtratas edidit, typis Wechelianis in forma octopartita. Graecum huius editionis textum recenſuit, notasque ad calcem libri adiecit *Andreas Schottus*. Qui vero, quum libris calamo exaratis eſſet deſtitutus, id effecit, vt huic editioni parum tribuatur a viris doctis.

Ipſe idem liber recudebatur Anno MDCLXXXIII. Marpurgi Cattorum, cura *Ioannis Burchardi Maii*. Quanquam vero haec editio teſtimoniis veterum, *Dionyſii* ſcil. *Plutarchi*, reliq. ſit inſtructa, attamen, quum praeter haec teſtimonia nihil noui ei a *Maio* ſit adiectum, quin potius ita ad prioris imaginem ſit expreſſa, vt ſingula pagina in vtraque ex aequo reſpondeat, neque huic prae priori praerogatiuam concedendam eſſe, ſapienter *Taylorius* iudicat.

Eos, qui integras *Lyſiae*, quotquot temporum iniuria nobis reliquit, orationes ediderunt, animaduerſionibusque adiectis illuſtrarunt, ii excipiunt, qui ſingulas orationes aut latine expreſſerunt, aut notis et commentariis illuſtrarunt. Orationes duas priores, quae inſcribuntur: ὑπὲρ τοῦ Ἐρατοσθένους φόνου Ἀπολογία; et Ἐπιτάφιος τοῖς ΚΟΡΙΝΘΙΩΝ βοηθοῖς cum latina verſione, a ſe adornata, edidit *Ianus Vitalis*, Panormitanus, Romae apud Iacobum Mazochium. MDXV. 4to. Editionem hanc rariſſimam, ſemelque tantum a ſe viſam hoc Epigrammate, quod vt hic exhibeam, permittas, claudi docet *Taylorius*.

OCT. SYLVIVS. LAVRELIVS.

Praecipuum decus est iterum natum esse Lyeo,
Quinque pater fuerat matrem habuisse Iouem.
Sic LYSIAE scriptis geminum decus additur, et quem
Graecia protulerat, nunc polit Italia.

Anno MDXXII. eaedem binae orationes Gr. Lat. incerto interprete, vna cum *Libanii* et *Isocratis* orationibus aliquot ab *Erasmo* latine versis, Basileae ex officina Frobeniana prodierunt. Orationum Lysianarum, quae hic comparent, interpretem fuisse *Franciscum Philelphum*, Tolentinatem, virum elegantioribus litteris vindicandis natum, ex Codice MScripto, qui Oxonii in Biblioth. Col. Baliol. asseruatur, didicisse se docet *Taylorius*: simulque obseruat, vtriusque interpretationem *Pallanti Strozae* nuncupatam esse. Quas epistolas nuncupatorias, dignas quae non perirent, ex eodem codice descriptas, inseri heic curauit, quo flagrat de re litteraria bene merendi studio, *Taylorius*.

Eaedem denique orationes prodiere Colon. Iac. Soteris MDLIV, in forma octopartita, interprete *Francisco Fabricio Marcodurano*.

Seorsim quoque *Lysiae* orationes *de caede Eratosthenis adulteri*; *contra Eratosthenem XXX-virum*; *contra Alcibiadem*; *contra Dardanarios*; *oratio funebris*; euulgatae, et in latinum sermonem versae sunt; quas, si omnes enumerare vellem, TVA patientia ne abuterer, vereor.

Quam *Lysias*, et antiquioribus, et recentioribus temporibus, expertus sit fortunam, ex *Taylorio* intellexisti, VIR CLARISSIME. Iam quoque, quae emaculando atque expoliendo Oratorem hunc venustissimum et politissimum, merita sibi comparauerit *Taylorius*, Vir Κριτικώτατος, accipe. Textum ad exemplar Stephanicum vt summa, qua fieri potuit, et fide, et modestia exprimeretur, curauit. Cuius rei hoc est argumentum, quod, quum decurso spatio typographico, atque editionis Stephanianae collatione sedulo instituta, paucissima, tantummodo operarum menda inuenerit, quae in punctis vt plurimum versantia, tam leuia lectori videbuntur, vt,

vix

vix vllam aliam aliquam graeci ſcriptoris editionem per hosce annos in hac laudis parte cum ſua conferendam eſſe, iure meritoque iudicet rarae diligentiae Vir, *Taylorius*. Quod ad moderationem, quam Editoris laudem ſemper eſſe duxit primae proximam, ſpectat, vetuſtam et diutius receptam lectionem rariſſime ſollicitauit, atque ad oram libri relegauit. Quanquam vero neque tanti codicum ſuorum auctoritatem; aut ſuam diuinandi ſollertiam tam magnificam eſſe iudicauit modeſtisſimus *Taylorius*, vt, vbi momenta ſaltem viderentur eſſe aequalia, textus aliqua diuturnitate comprobatus, nouarum rerum ſtudio et libidini cedere deberet; attamen, quum ſimul vicisſim reputaret, quod foedisſimas hallucinationes et crasſisſimos librariorum errores retinere, vbi vel dormitauerint, aut plus aequo ſe inuitauerint, eſſet otio inclementer abuti, aliquando ſuas coniecturas, etiam ſcriptorum Codicum auctoritate deſtitutas, (quarum quidem in ſubiectis textui notis rationem reddit, teſtimoniis aliorum ſcriptorum firmatarum) in textum admiſit. Quo vero melius cognoſcere posſis, AMICISSIME TRAVSOLDE, quam prudentem atque moderatum ſe geſſerit Humanisſimus *Taylorius*, ſpecimen vnum et alterum, factarum ab eo emendationum, TECUM communicare volui. In Oratione *pro caede Eratoſthenis* pag. 18. haec leguntur verba: Ἀκȣ́ετε ἄνδρες, ὅτι κελεύει, ἐάν τις ἄνθρωπον ἐλεύθερον ἢ παῖδα αἰσχύνῃ βίᾳ, διπλῆν τὴν βλάβην ὀφείλειν. Hic ſemper pro διπλῆν legerunt διπλȣ̃ν viri eruditi. Hanc vero lectionem retineri non poſſe, in ſubiecta nota teſtimoniis aliorum Graeciae ſcriptorum comprobat. *Gellius* quidem N. A. XI. 18. dixit: *Is in fures non mortis, ſed dupli poena vindicandum exiſtimauit.* Verum hoc rem non attingere ait. Ceteri enim vno ore. Οἱ νόμοι περὶ τῶν ἀργων ἀδικημάτων τῶν εἰς ἀργυρίȣ λόγων ἀνηκόντων ΔΙΠΛΗΝ τὴν ΒΛΑΒΗΝ ΟΦΕΙΛΕΙΝ κελεύȣσιν. Dinarch. contra *Demoſthenem*. Η ΔΙΚΗΝ εἰς τὴν ἀξίαν τȣ̃ τελευτήσαντος ὑποσχήτω ΔΙΠΛΗΝ. Plato *de LL. L. 9.* ΔΙΠΛΑΣΙΑΣ ζημίας ἀξιοῖ. Thucyd. I. 86. In Oratione *de vulnere ex induſtria illato*, pag. 90. ita *Lyſias* inquit: Καὶ τὴν μὲν ἀντίδοσιν δὶ ἐκείνην, φανερός ἐςι ποιησάμε-

νϛ. In editionibus vulgatis loco τᾶ φανερός comparet φανερῶς. Hoc vero tam aperte falsum esse affirmat *Taylorius*, vt protinus exclamare cogaris, vindicate aliquis actutum haec in Barbariem, quam decet, καὶ εἰς ἄλλα λύματα βάλλε. Sed haec leui opera emendari posse, nosque, quo pacto, hoc fieri possit, ex sequentibus admoneri monet. Ita vero in seqq. *Lysias* loquitur: Ιν' ὑμῖν ΦΑΝΕΡΟΣ ἐγένετο ἐμοὶ ΔΙΗΛΛΑΓΜΕΝΟΣ. Et in *Simonem*: Διότι ΦΑΝΕΡΟΣ ἐστιν ΕΓΚΑΛΕΣΑΣ ἐδέποτε ἀργύριον, Et insigniter omnium maxime consentire docet *Demosthenem c. Mid.* Οὐ μόνον δήπε τᾶ μὴ μετ' ὀργῆς ἀπέχει, ἀλλὰ καὶ ΒΕΒΟΥΛΕΥΜΕΝΟΣ ὁ τοιᾶτος ΥΒΡΙΖΟΝ ἐστὶν ἤδη ΦΑΝΕΡΟΣ. In Oratione *de Aristophanis bonis ad aerarium* pag. 346. haec leguntur: Αριστοφάνης τοίνυν γῆν μὲν καὶ οἰκίαν ἐκτήσατο πλεόν ἢ πέντε ταλάντων. Vulgatae editiones loco οἰκίαν habent ἐσίαν. Sed neminem vnquam tam generaliter aut inaccurate scripsisse *Taylorius* iudicat. *Fundos et ἐσίαν mercatus est circiter quinque talentis.* Hos enim fundos, et ea ipsissima quinque talenta fuisse ἐσίαν. *Vniuersas* enim facultates eo nomine conclusisse Atticos iuris peritos; et Latifundia quidem, aedes, ceteraque huiuscemodi fuisse ἐσιάν φανεράν: Mancipia autem, Vasa, Vestimenta, *Argentum* ἐσίαν ἀφανῆ. Quae, quum sint ipsa luce clariora, probatione haud indigere ipsi videntur. Scripsisse igitur existimat *Lysiam*, γῆν μὲν καὶ ΟΙΚΙΑΝ ἐκτήσατο πλεόν ἢ πέντε ταλάντων. Inquit enim, Aristophanes ἐχορήγεσε drachmis 100, in Trierarchia ἀνήλωσε minas LXXX, in vectigalibus LX, in expeditione ficula C, in classe Cypria adornanda drachmas XXX, agrum adhaec atque aedes mercatus est V talentis, et quod excurrit. *Aedium* autem in hoc computo habendam esse rationem; quae superius leguntur, hunc loco germana, docere monet *Taylorius.* Ita vero ea se habent; Χαλεπὸν, ὦ ἄνδρες δικασαὶ, τραγωδοῖς τε ΔΙΑΧΟΡΗΓΗΣΑΙ, ὑπὲρ αὐτᾶ τε καὶ τᾶ Πατρὸς καὶ τρία ἔτη συνεχῶς ΤΡΙΗΡΑΡΧΗΣΑΙ, εἰσφορὰς τε πολλὰς ΕΙΣΕΝΗΝΟΧΕΝΑΙ, ΟΙΚΙΑΝ τε πεντήκοντα μνῶν πρίασθαι, ΓΗΣ τε πλέον ἢ τριακόσια πλέθρα κτήσασθαι.

Habes

Habes igitur, VIR CLARISSIME, quaedam emendationum, a *Taylorio* susceptarum, specimina. Ex quibus intelligere TE puto, quanta animi moderatione, quantoue iudicio critico adhibito, ad eas accesserit Criticus hicce modestissimus. Qui critica pietate ductus, nonnullos naeuos, quos lex edendi potius quam vlla dubitatio de emendationis fide adhuc in textu retinere iussit, quorum indicem in praefatione exhibet, retinere, quam temeraria audacia, qui Hypercriticorum mos est, suas emendationes substituere maluit. In interpretatione latina, quae integra *Taylorii* industriae debetur, de vulgata interpretatione parum fuit sollicitus, ideoque saepissime eam lectionem sequutus fuit, quae ex sola coniectura nasceretur. Ne vero hac ratione fraus quaedam lectori subesset, quaecunque ita vertit, ea vt litteris, quas cursiuas vocant, discernerentur, sedulo curauit. Et quo ad orationes ipsas facilior pateret aditus, singulis orationibus argumentum breue quidem, attamen sufficiens, praemisit. Tandem vtriusque editionis, quae suam praecessit, Aldinae puta et Stephanicae, paginas orae suae editionis apponi curauit.

In notis, quas ad textum recensendum adhibuit atque imae paginae subiecit *Taylorius*, hunc obseruauit morem, vt neque lectiones solummodo variantes exhiberet, neque eas tantum lectionum discrepantias excerperet, quae ipsi notabiliores esse viderentur. Conspicies igitur in notis Taylorianis miram suauemque, et variarum lectionum, et rerum optimarum, egregie discussarum, varietatem. Mox criticum, iam historicum, nunc philosophum, rursus philologum disserere videbis. Vbi vero scripti codices nihil quicquam suppetiarum tulere, resque diuinando agenda erat, eum modum seruandum sibi duxit *Taylorius*, quem a modestissimo humanissimoque Critico seruari fas est. Quare, quum aliquando diuinando textus fuit emendandus, coniecturas suas optimorum atque probatissimorum Scriptorum testimoniis firmare laborauit. Notis simul inseruit inedita quaedam, quae dudum ad oram exemplarium suorum alleuere *Iosephus Scaliger* et *Claudius Salmasius*. Exemplar, quo *Scaliger* vsus est, olim ad *Edw. Bern-*

 ar-

ardum, Profeſſorem apud Oxonienſes celeberrimum, pertinuit, hodie vero in Bibliotheca *Bodleiana* aſſeruatur. *Salmaſianae* vero notae, quas pauciſſimas eſſe lectorem merito conqueſturum eſſe affirmat *Taylorius*, ex editione *Stephani*, quam Bibliotheca Academica *Lugduni Batauorum* hodie ſeruat, ſunt deſumtae. Denique ea, quae vel *Guil. Canterus*, in verſione latina *Rhetorum quorundam*, *Baſileae* 1566. fol. excuſa, vel *Iacobus Palmerius* in *exercitationibus ad optimos fere auctores graecos*, *Lugduni Batauorum* 1668. in forma quadripartita euulgatis, vel denique *Muretus* in *variarum lectionum libris*, obſeruarunt, conſuluit, earumque rationem habuit.

Praeter lectiones varias, quas ex Codice manuſcripto *H. Stephanus* depromſit, textum *Lyſiae* cum codice manuſcripto olim *Segueriano*, poſtea *Coſsliniano*, hodie vero *Sangermanenſi*, conferri curauit *Taylorius*. Quod ille beneficium debet gratiae atque interuentui Viri praeſtantiſſimi atque humaniſſimi D. *Bernhardi Monteſalconii*, quo, teſte *Taylorio*, conſentientibus omnibus verae eruditionis laude conſpicuis viris, nemo has litteras felicius aut humanius adiuuit. Codex ille eſt membranaceus, in folio ſaeculo XVto exaratus; cuius quidem pleniorem deſcriptionem, a *Taylorio* ſuppeditatam, quum harum rerum notitia oblectari TE ſciam, HVMANISSIME TRAVSOLDE, quin TE cum communicem, intermittere non poſſum. Amanuenſis, *Taylorii* vtor verbis, qui hunc codicem deſcripſit, Graecae linguae imperitus, multa in lectione nouauit, et nonnullas voces barbaras admiſit. Vocales ι, υ, η, ει, οι, ος, item ε et αι ſaepiſſime immiſcuit: quod fortasſe non ex ſua inſcitia admiſit, verum ex ſuo exemplari, quod deſcripſit, deriuare potuit. Iam pridem enim earum vocalium tam inter ſcribendum, quam inter legendum promiſcuus erat vſus. In eo perpetuo fere exarantur ἐδύνατο, γιγνώσκειν, ἕνεκα, γίγνονται, ἐφθαρμένος, τειχιζόντων, ὑπερβαλλόντων etc. quae in aliis codicibus leguntur ἠδύνατο, γινώσκειν, ἕνεκεν, γίνονται, διεφθαρμένοι, διατειχιζόντων, ὑπερβαλόντων etc. Et ſimiliter vbique fere deſunt notae illae ΜΑΡΤΥΡΕΣ. ΨΗΦΙΣΜΑ.

ΦΙΣΜΑ. ΝΟΜΟΣ. ceteraque huiusmodi. Quanquam vero codex hic infra aetatem allegatam positus, et incuriosius aliquando descriptus sit, nihilo tamen minus optimae lectionis vestigium expressum saepenumero eum seruare, ex iis, quae repraesentat *Taylorius*, patet.

Eiusdem praestantissimi *Montefalconii*, cui placidam atque quietam senectutem TE mecum apprecaturum esse spero, adiutu id assequutus est *Taylorius*, vt oratio secunda, quae funebris est, collata appareat cum codice manuscripto membranaceo, in eadem Bibliotheca asseruato, num. CCXLVIIII. qui ad decimum saeculum facile assurgit. Hunc bonae frugis plenum, atque auctoritate summum, *Aeschinis* praeterea orationes et epistolas, et *Synesii* nonnulla complecti, *Eruditissimus Taylorius* docet. Eiusdem orationis exemplar MSC. asseruat instructissima Bibliotheca *Barocciana*, eadem fere et aetate et fide exaratum, quod cum editis quam accuratissime contulit *Taylorius*. Porro eiusdem orationis lectiones ex codicibus manuscriptis desumtas, et ad oram editionis *Aldinae* diligenter annotatas, *Taylorio* suppeditarunt Bibliothecae Cantabrigienses. Tandem in exterorum bibliothecis codices alios *Lysiae* MSS. exstare docet *Taylorius*; quorum vero copiam, tametsi id sedulo operam dederit, se multum licet et prece etgratia enixum, tamen comparare non potuisse, merito conqueritur. Eam enim esse Germanorum nostrorum indolem comperi, vt, vix ac ne vix quidem aliis, si quos possident libros rariores eosque haud facile obuios, eorum concedant vsum. Quem morem non in priuatis tantummodo bibliothecis, sed in iis etiam, quae publicis sumtibus sustinentur, seruari, experientia docet. Quasi vero eum tantummodo in finem erigantur bibliothecae publicae, vt gaudere ciuitatem hanc, publicis sumtibus exstructa bibliotheca, sciant homines.

Quae temporum iniuria reliquit *Lysiae* fragmenta, haud minori cura, minorique studio collegit *Taylorius*. Haec ad

ad finem libri adiecta, aeque ac ipsas orationes, interpretatione latina notisque doctissimis instruxit: iisque indicem copiosum orationum deperditarum praefixit. Ipsum librum duplici indice ornauit diligentissimus *Taylorius*; altero auctorum antiquorum, qui in hac *Lysiae* editione emendantur; altero vocum, flexionum et constructionum. Caueas vero, DOCTISSIME TRAVSOLDE, ne indicem hunc consueto more, quo phrases ordine alphabetico, nulla habita constructionis et flexionis ratione, coaceruantur, esse consarcinatum putes. Asseuerare TIBI potius possum, indicem hunc eo modo esse compositum, quo Scriptorum veterum, et in his Graecorum, indices confici volunt Musarum illae Deliciae, *Gesnerus* ὁ πάνυ, et *Ernesti*, Eruditissimus Vir, cuius in me fauorem et patrocinium maximi me facere, eidemque me commendatum amplius velle, scito, AMICE SVAVISSIME. Ne vero frustra saliuam TIBI mouisse videar, vnico atque altero specimine, quam praeclare hoc quoque indice non de *Lysia* tantum, sed de omnibus elegantiorum litterarum anatoribus, meritus sit *Doctissimus Taylorius*, declarabo. Vbi id a me antea monendum esse video, quod, duplicis generis heic exhibeatur index, vocum alter, alter regiminum. Neque omnes et singulae promiscue voces et constructiones in indicem coniectae sunt, sed eae tantummodo, quae Atticismum sapere vulgo perhibentur. Iam, pace TVA, VIR CLARISSIME, suppeditare specimen vnum et alterum mihi liceat. Prodeat primum verbum Αποκτείνω, cuius hae exhibentur flexiones. Ἀπέκτεινα. ἀπέκτεινεν. ἀπόκτεινειε. ἀποκτείνατα. ἀπεκτόνασι, pro quo vulgo in *Lysia*, sed male legi ἀπεκτείνασι obseruatur. Ἀπεκτονέναι. ἀπεκτονώς. ἀποκτενοῦντες. Vsurpari aiunt Technici in *perfecto* et *aoristo priori*, in *secundo* non item, quod verum esse arbitratur *Taylorius*. ἀπέκτεινον vbi autem ἀπέκτειναν legendum videri monetur. Succdat constructionis exemplum, verbo κινδυνεύω commonstratum. Κινδυνέυειν περὶ τοῦ σώματος χρημάτων πατρίδος καὶ πίας. ἀλλοτρίων ἁμαρτημάτων. ὑπὲρ ἐλευθερίας· ἑτέρων δηλείας. ἐν τοῖς σώμασι τοῖς ἑαυτῶν κινδυνεύσαντες. κινδυνεύω ἐπαγαγέσθαι.

Vt

Vt vero ex eo quoque, qui regimen sistit, indice vnum alterumque TE cum communicem iudustriae atque iudicii *Tayloriani* specimen, en vnum, in quo genitiui, quatenus pretii vel valoris casus est, regimen ostenditur. ἔπιπλα πλείω ἢ χιλίων δραχμῶν. πεντήκοντα μνῶν πρίασθαι· τιμήσασθαι δεσμοῦ, ἀργυρίου ἱερὰ ἀθύτῳ τριῶν ταλάντων. Participii vice aduerbii positi exemplum alterum accipe: ἀσμένη μὲ ἑωρακυῖα. ἄσμενοι τὰς συμφορὰς ὁρῶσιν.

Ex his igitur, quae adhuc a me disputata sunt, intellecturum TE puto, TRAVSOLDE CLARISSIME, quam praeclare atque egregie de *Lysia* meritus sit *Taylorius*. Qui antea raro comparari poterat, atque cum ob ea, quae in textu obuia erant menda, tum ob typorum chartaeque immunditiam, cum taedio quasi quodam legebatur *Lysias*, cura, studio, doctrinaque *Taylorii* ita iam perpolitus est, vt ad eum euoluendum atque perlustrandum non solum alliciaris, sed suaui quodam quasi tractu abripiaris. Quae quum ita sint, TE mecum Doctissimo *Taylorio* incolumitatem otiumque apprecaturum esse confido, quo, quem promisit *Demosthenem*, tanti Viri cura atque doctrina exornatum, legendi nobis, quam primum fieri potest, concedatur fortuna.

Ast non *Taylorio* solum, sed TIBI quoque, AMICE AESTVMATISSIME, illud solenne bene precantium FELICITER! acclamandum esse intelligo. In eorum hodie cooptaris ab Amplissimo Philosophorum Ordine societatem, quibus alios docendi atque erudiendi concessa est facultas. FELICITER igitur et TIBI, et Reipublicae litterariae hoc euenire iubeat Numen Supremum. Nosti, DOCTISSIME VIR, quanto contemtui litterae elegantiores hodie fere sint expositae. Intelligis, quod quantumue litteris minetur hic contemtus exitium. Virum igitur TE praesta, atque cura, labore, consiliis, litteras hasce humanissimas, quae mores emolliunt, ab interitu et contemtu osorum atque semidoctorum, quibus praeter nomen nihil cum Eruditis commune est,

vindicare ſtrenue labora. FELICITER, quibus hodie ornatus es, honores Patriae eueniant dulciſſimae, eoque contende, vt talem TE inueniant PATRIAE PATRES, qualem TE adhuc cognitum iudicarunt. FELICITER denique Amicis Tuis accidat noua haec honorum, quibus iam conſpicuus es, acceſſio. Id age, eoque annitere, vt, quod in TE adhuc habuerunt, virtutis, quod ſectentur, exemplum, porro ſectari, ampliſſimis, quae virtutem comitari praemiis, quibusue TE a virtute ornari videbunt, excitentur. Ita vale, VIR CLARISSIME, AMICE SVAVISSIME, resque TVAS ex voto perage; me vero, TVI ſtudioſiſſimum, amare, memoriamque mei Patronis atque Amicis Lipſienſibus, inprimis Magnifico KAPPIO, Viro de Academia Lipſienſi immortaliter merenti, Patrono noſtro certiſſimo, commendare haud deſine. Scribebam Hamburgi, XIIII. Calend. Martii

A. I. G. MDCCXXXXI.



III. EPIS

III.
EPISTOLAE.



I.

INCLVTAE SOCIETATIS LATINAE
DIRECTORI SVMME REVERENDO
ATQVE EXCELLENTISSIMO
EPHORO CONSVLTISSIMO GRAVISSIMOQVE
SOCIIS SVA QVISQVE DIGNITATE
COLENDIS

S. D. P.

AVGVSTVS WILHELMVS, COMES AB HOHENLOE ET GLEICHEN.

Si meo res ageretur arbitrio, haberentque vota, quo caderent iam VOBISCUM essem, VIRI, SVMME REVERENDE CONSVLTISSIME, CLARISSIMI, SVAVISSIMIQUE, VESTRAM illam praeclaram facundiam, quae se iam veluti in publico quodam theatro profert, coram mirarer, et mixtus adplaudentium turbae fructum auribus oculisque caperem multo vberrimum. Sane iam constitutus erat meus in Almam Ienensem reditus, gestiebatque animus, et SODALITIVM VESTRVM SPLENDIDISSIMVM coram salutare, et ipsam illustrem hanc Musarum sedem, in qua ante aliquot annos prima honestioris doctrinae veluti rudimenta posueram, cum incredibili voluptate, quam iam animo praecipere mihi videbar, aliquando reuisere. Sed ita se habent res mortalium, vt illis inconstan-

tia

tia nihil conſtantius eſſe ſoleat, et quam felicitatem presſis veluti manibus tenere putemus, ea momento elabatur, et quanto maiore antea ſpe animum impleuerat, tanto triſtius atque acerbius ſui deſiderium relinquat. Id equidem mihi iam accidit. Dum enim proxime inſtare videbatur Imperatoris futuri electio, Hala diſcedere me iuſſerunt Parentes Illuſtrisſimi, temporisque ſpatium meo ad VOS reditui antea conſecratum itineri Francofurtum ſuſcipiendo deſtinari voluerunt. Accedebant aduerſae valetudinis, quacum mihi confligandum fuit, ratio, et aquarum acidularum Deinacenſium vſus, aliaeque ſatis iuſtae ac idoneae cauſſae, quae hanc mihi voluptatem interceperunt. Quod itaque vnum reſtat ſpe illa deiecto ſolatium, vt litteris meis qualibuscunque VOS abſens compellarem, illud mihi diutius praetermittendum haud putaui. Vnde vero initium capiam, VIRI OPTIMI, et quae verba ſatis idonea reperiam, ad praeclarisſima VESTRA in me merita non dicam exornanda, ſed quodam ſaltim modo recenſenda? Tanta enim eſt VESTRORVM in me promeritorum gloria, quanta praedicando ſatis exaequari minime poteſt. Quid mirum ergo, quod tam incredibilis, tam inuſitatus LAVDATISSIMAE CONSORTIONIS VESTRAE amor animo meo inſideat, vt ſaepius ibi cogitatione praeſens ſim, quo me corpore venire prohibet vis illa fatorum; qua rerum humanarum ordo ſeritur. Quemadmodum vero nulla re magis laetari ſoleo, quam VESTRORVM in me officiorum conſcientia, ſingularisque VESTER in me animus magno ſemper in numero ac pretio mihi fuit; ita profecto non potui non eo vehementiore perfundi laetitiae ſenſu, dum inſignes PRAESIDII honores huc vsque a VOBIS humaniter mihi relictos cognoui, quo luculentiora VESTRAE in me voluntatis prolixisſimae veſtigia inde perſpexi. Quum autem praeter ſpem omnem et exſpectationem euenerit, vt a MVSIS VESTRIS me plane diuulſum videam, adeoque Spartam hactenus mihi demandatam tueri amplius nequeam, officii mei omnino exigit poſtulatque ratio, vt ſplendidum hoc munus manibus VESTRIS, vnde illud accepi, mente gratisſima reddam; ſimul vero pro tot tantisque, quibus me hactenus vere prouocaſtis,

castis, beneficiorum cumulis obstrictisſimum me VOBIS lubentisſime profitear. Accipite itaque amica fronte qualecunque hoc grati animi pignus, ac intimioris, quae VOBIScum mihi intercedit, amicitiae monimentum. DEVM immortalem, bonorum omnium largitorem demisſis precibus implorabo, vt conatibus VESTRIS honeſtisſimis gratia ſua conſtanter adſpiret, VESTRAEque felicitati perpetuitatem addat; ita fiet, vt per VOS. O! ſaeculi noſtra decora, orbis litteratus diutius collustretur, atque humanior diſciplina ex operis Veſtris maiora in dies capiat incrementa. Quod reliquum eſt, de me ſic exiſtimetis, VOBISque perſuadeatis vehementer velim, nil VOBIS tam promtum aut tam paratum fore, quam in omnibus rebus, quae quidem ad veram SOCIETATIS gloriam pertinere arbitrabor, operam, curam, diligentiam meam. Viuite ſoſpites, O! MEI, ſitis florentes, atque reipublicae litterariae commodo valere quam diutisſime. Valete. Dabam Ingelfingae a. d. x. Kal. Octobr. A. Sot.
cIↄ Iↄcc xxxxı.



II.

II.

ILLVSTRISSIME
SOCIETATIS LATINAE PRAESES,
SVMME REVERENDE DIRECTOR,
CONSVLTISSIME EPHORE,
SODALES OMNIVM ORDINVM ERVDITISSIMI.

Perquam honorificum mihi eſt iudicium de me VESTRVM, quo me dignum cenſuiſtis, quem in Societatem VESTRAM, latini ſermonis, et elegantiorum litterarum vindicem, cum aliis viris longe doctisſimis cooptaretis. Quam vellem, vt ego aeque, atque illi, ornato, ſplendido atque efficaci, non exſili atque inculto hoc dicendi genere debitas gratias VOBIS poſſem perſoluere, ne haberetis, cur opinionis de me conceptae VOS poeniteret. Fateor equidem, me, ex quo inſtituendae iuuentutis muneri ſum admotus, in animis eorum, qui fidei meae ſunt concrediti, huius linguae, quam nemo ſolidioris doctrinae cupidus ignorare aut negligere poteſt, ſtudium omni animi contentione excitare conatum eſſe; ſed adeo mihi ipſe numquam placui, vt me aliquid ſcribere poſſe crederem, quod ad veterum elegantiam propius accedat. Ornor itaque non magis, quam oneror iudicio illo de me VESTRO, quoniam necesſitatem mihi imponitis annitendi, vt illud etiam conſtans efficiatur. Quod dum omni cura facere adlaborabo, rogo VOS, vt conatus meos conſiliis atque exemplis VESTRIS regere atque adiuuare ne dedignemini. Indulgeat diuina benignitas Societati VESTRAE, litteriſque, quarum cultura ei cordi eſt, fautores, ſtatoreſque beneuolos ac potentes, qui labores VESTROS foueant, vt honore, et gloria, ſine quibus bonarum artium ſtudia iacent, perfruentes, ad rem litterariam amplificandam, ornandamque, alacriores ſemper accedatis. Valete.

ILLVSTRISSIMO, SVMME REVERENDO, CONSVLTISSIMO,
CLARISSIMIS NOMINIBVS VESTRIS

Hamburgi, Non. Octobr.
A. C. CIↃIↃCCXXXX.

deuinctiſſimus
IOHANNES SAMVEL MVLLER.

III.

III.

ILLVSTRISSIME S. R. I. COMES,

VIRI, SVMME REVERENDE, PRAENOBILISSIMI, EXCELLENTISSIMI, AMPLISSIMI, DOCTISSIMIQVE, GRATIOSISSIMI, OMNIQVE HONORIS CVLTV DEVENERANDI DOMINI AC FAVTORES.

Nec aliam mihi vmquam rem magis praeter ſpem atque exſpectationem accidiſſe, nec quidquam animum meum vberiore laetitia adfeciſſe, memini, quam quum nuper ex litteris SPAETHII noſtri, adiunctoque Diplomate, Illuſtrisſimo, Praenobiliſſimisque Nominibus VESTRIS condecorato, intelligerem, Inclutam Societatem Latinam, quae ſub VESTRIS auſpiciis, VIRI ac DOMINI, Illuſtriſſime, Summe Reuerende, Praenobiliſſimi, Excellentisſimique, Athenis propter Salam floret, me, nihil minus, quam ex tenuitate ingenii, tacitoque litterarum amore, aliquid fructus, vel amplitudinis ſperantem, ſibi Socium honorarium adſcriptum voluiſſe. Quamquam enim cum ab ineunte aetate, tum prouectioribus annis omnia, quae ad humanitatem ducunt, ſtudia magnopere in deliciis habuerim, huncque ſenſum maxime illi otio litterario acceptum referam, quo inter Muſas Afranas, quae Miſenae ad Albim habitant, per ſexennium fere commorari mihi licuit; rerum tamen mearum neceſſitate, et fati beneuolentia dicam, an inuidia? a curſu, quem mihi in Academia Lipſienſi tenendum putaram, ex improuiſo abductus, et ex patria non tam in alium orbem, quam ad alia Iuris publici aeque, ac priuati negotia euocatus, ob hanc mihi impoſitam vitae et officii rationem, maximam illius felicitatis partem abeſſe dolui, quae ex familiari doctorum ingeniorum conſuetudine, et elegantiorum litterarum commercio oritur, animosque incredibili dulcedine permulcet. Quem enim fugit, quantum noſtro, quod viuimus,

mus, aeuo, toga pariter, atque ſagum, omnisque rerum ciuilium ac publicarum tractatio, ab illa Romanorum aetate discedat, qua viris in re publica principibus, et cum ſummo imperio, multum gloriae atque laudis deeſſe videbatur, niſi iuſtitiam, virtutem bellicam, aliasque excelſi animi dotes cum cultura ingenii, bonarum artium et Philoſophiae ſtudio, dicendique facultate coniungerent: quaque Ciceroni, Viro immortali, cuius iuxta Nomina VESTRA expreſſam pro ſigillo imaginem exoſculatus ſum, non tantum in Tuſculano, quum ſe ſibi vindicaret, totumque in litteras abderet, ſed et maxime grauiſſimas res pro patria, pro clientibus agenti, in curia, in foro, pro roſtris, pro tribunali, in exercitu, decentisſime licuit eſſe erudito, ingenioſo, diſertiſſimo. Haec vero ſtudia, quae ad indolem Reipublicae accommodata, Romanorum moribus adprime conueniebant, e noſtris foris, magnarumque rerum adminiſtratione niſi penitus exſulare iubentur; certe a quamplurimis nec adeo neceſſaria, nec tam publici ſaporis eſſe reputantur, vt relictis ſcholarum vmbris adhuc cum iis familiariter conſueſcere, eorumque amorem profiteri, viro, vel natalibus, vel dignitate munerum illuſtri, integrum honeſtumque ſit. Quis enim non ita genium aulae comparatum eſſe intelligit, vt, qui in ea verſantur, contemta latini ſermonis elegantia, omnem gratiam, omnemque morum vrbanitatem ex Gallica, Italicaque lingua aucupari, et, quaſi repudiata matre, filias nec caſtiores illa, nec venuſtiores, deperire ſatagant? Quotusquisque eorum, qui forum ſectantur; et cauſſis, vel orandis, ſi quidem in ea, quae apud nos viget, litium tractandarum ratione huic vocabulo locus eſſe poteſt, vel iisdem decidendis, animum operamque addicunt, non ſatis doctrinae ſibi adquiſiuiſſe cenſet, ſi nomina actionum, et tritiores formulas iudiciarias memoria comprehenderit, de tot Romanarum antiquitatum veſtigiis, aliisque intemeratae Iurisprudentiae fontibus, parum, aut nihil, ſolicitus? Quemadmodum autem huius rei cauſſa in eo maxime poſita eſſe deprehenditur, quod iuuenes, ingenuas artes, ſtudiumque linguarum et eloquentiae, in ſcholis tantummodo habitare falſisſime perſuaſi, ex iisque in Academiam proruentes hanc

ingenii

ingenii culturam eo liberius negligendam, immo eiurandam duxerint, quo pauciores ante aliquot annos magistros inuenirent, qui bonas litteras ab isto exsilio in Academias reducere, et illas ad cuiuscumque aetatis et conditionis studia aptare, doctrina et exemplo conarentur; ita, dum, quae nostri saeculi felicitas est, litterae rursus caput extollere, et ex institutis in celeberrimis Academiis Societatibus litterariis, maiora in dies incrementa, maioremque dignitatem sperare coeperunt, hac ipsa re, qua singulae bonarum artium partes, et interiores recessus, collatis in commune consiliis, exemplisque praestantissimorum virorum, penitius excutiuntur, nihilque vel intactum, vel impolitum relinquitur, non tantum iuuenili aetati, quod ad perpetuam exercitationem attinet, sed et omnibus aliis, in omni vitae genere, siue vtilitatem siue iucunditatem spectemus, egregie consultum esse, nemo facile infitias ibit, qui saltim leuiter perspectum habet, quantum humanitatis, splendoris atque auxilii litterae iuuentuti inspirent, quantaque animi voluptate viros etiam, grauioribus curis occupatos, inter medios aulae, fori, immo et armorum strepitus, ipsamque morosam alioqui senectutem, perfundere soleant.

Quam primum igitur de laudabili hoc instituto VESTRO certior factus sum; temperare mihi non potui, quo minus et tacite vota mea cum publica laetitia consociarem, et Athenis Salanis de tantis, quae ex hac Illustri Societate in eas non possunt non redundare, commodis, omnibusque nobilissimo illo consortio dignis de tanta gloria impense gratularer: ne somno quidem monitus, fore aliquando, vt mihi, cum absenti, et a studiis Academicis ad alias plane res agendas euocato, tum nullis in rem litterariam meritis claro, aditus ad tot magnorum virorum Collegium vltro concederetur, qui fama eruditionis, et latini sermonis castitate conspicui, vel orbem litterarium scriptis suis illustrarunt, vel ex munerum ratione proniorem de litteris bene merendi occasionem nacti sunt.

Nunc vero, VIRI, Illustrissime, Praenobilissimi, Excellentissimique, quum ipse VESTRO nutu, VESTRAque benignissima voluntate, ad hanc militiam voluntariorum numero

conſcriptus, me multum ex ea re cum exiſtimationis, tum emolumenti capturum ſentiam; nec eximiam animi mei laetitiam verbis teſtificari, nec dignas VOBIS pro tanto fauore gratias poſſum referre, quas quidem, dum ſpiritus hos artus reget, habebo maximas. Hac enim ipſa ſingulari humanitate, qua me immeritum comprehendiſtis, ad ſtudia humanitatis, et ad illas litterarum delicias ita denuo reuocatus, excitatusque ſum, vt, quamuis cum ob alia impedimenta, tum maxime ob ingenii imbecillitatem, huic honori debita officia referre, ceterorumque Sociorum, qui ſcribendo et meditando communi vtilitati ſtudent, veſtigiis inſiſtere nequeam, qualecumque tamen otium ex iniunctis laboribus lucrari, et quaſi excipere, mihi licuerit, illud omne eo conferre conſtituerim, quo gratisſima memoria huius in me collatae dignitatis, et inſitus bonarum artium amor, iam ſponte animum ingeniumque meum intendere iubet.

Ceterum nihil magis opto, quam vt mihi creberrima occaſio contingat, Illuſtri VESTRO Collegio promtisſimam meam inſeruiendi voluntatem ea alacritate adprobandi, qua certe omnia, quae ad illud pertinere arbitrabor, mea ſponte vt primam officii partem implebo, et, ſi quid ignorem, de eo admonitus omnium ſtudia vincam.

Adſit, precor, ſummum Numen conſiliis et conatibus VESTRIS, vt eo ſemper ſucceſſu gaudeant, qui cum vniuerſo orbi litterario, tum ſingulis ex nobiliſſima hac Societate inſignem fructum et incrementa ſperantibus, iucundiſſimus, feliciſſimusque ſit, vtque ex ea re in VOS ipſos, VIRI, Illuſtriſſime, Summe Reuerende, Praenobiliſſimi, Excellentiſſimique, maiorem in dies gloriam, et amplitudinem, redundare videamus. Quod reliquum eſt, ſi me eo loco habere dignamini, quo Illuſtris Collegii VESTRI, et ſingulorum VESTRORVM Nominum ſtudioſiſſimos habere ſoletis, nihil certe facietis, quod magis cum ea animi mei voluntate conueniat, qua dignitatem, eruditionem et merita VESTRA perpetuo veneraturus ſum,

VOBIS
ILLVSTRISSIME S. R. I. COMES, VIRI, SVMME REVERENDE, PRAENOBILISSIMI, EXCELLENTISSIMI, AMPLISSIMI, DOCTISSIMIQVE,

Scrib. Pappenheimii ad Almonum d. VIIII. Kal. Febr. A. O. R. CIↃIↃCCXXXX.

demiſſo obſequio
omnique debita obſeruantia
addictiſſimus
Wolffg. Georgius Welckius.

IIII. So-

IIII.

SOCIETATIS
IN INCLITA ACADEMIA IENENSI LATINAE CELEBERRIMAE
PRAESES ILLVSTRISSIME, DIRECTOR MAGNIFICE, SVMMEQVE REVERENDE, EPHORE EXCELLENTISSIME, TVQVE EIVSDEM SOCIETATIS AMANVENSIS NOBILISSIME.

Mirarer ſane, admiratio in hominem ſi caderet ſapientem, VIRI EMINENTISSIMI, GRAVISSIMI, SPECTATISSIMIQVE, quod in ſplendidisſimam VESTRAM SOCIETATEM et me, hominem nec nominis fama, nec vllis meritis VOBIS cognitum, Collegam honorarium adſcribere dignati fuiſtis; niſi in orbe litterario conſtaret plerisque omnibus, id vnum VOS agere, atque meditari, vt quae ſingularis et propria VESTRA humanitas eſt, et dexteritas, gratia, fauore et beneficiis neminem non mirifice condecoretis, et demereamini, praeſertim quos communia VOBIScum adamare et colere ſtudia, eademque, qua par eſt, ſollertia tueri et amplificare noueritis.

Et id TE, ILLVSTRISSIME S. R. I. COMES, inprimis ſtudere et agere, haud perperam ſane iudico, qui in ſumma et immortali gloria, quam non Martis modo, verum etiam Palladis ſtudiis diuini Maiores TVI conſequuti ſunt, propriaque excelſae mentis indole in primo tenerae aetatis flore innumeris Illuſtrisſimae ſortis TVAE excellis aliis, et ALTAE inſtar FLAMMAE non niſi ad alta quaeuis, aut ſumma potius, contendis. Quamuis enim ſplendidisſimae GENTIS TVAE in Latio, quod nonnulli volunt, Conditores, QVINCTIOS FLAMMINEOS, vrbis ſaepe numero Conſules, Regumque victores, et quos in recentiori proſapia TVA in Italis admiramur, Ro-

mandiolae Marchiones, Caesarum Adfines, SIGEFRIDOS, OTTONES, THEOBALDOS, alios, de ALTA FLAMMA omnes: in Germanis vero Ordinis Teutonici quondam Magistrum, EBERHARDVM, Praesulem GODOFREDVM, illudque belli, per XXX. et quod excurrit, annos in Germania, aliisque regionibus, acerrime gesti, fulmen, WOLFG. IVLIVM, Germanorum item Alcibiadem, GEORG. FRIDERICVM, omnes, quod dixi, GENTIS TVAE Heroas, quam felicissime aemuleris, eosque summo fauente numine, aequare, vel potius superare, contendas; ea tamen bonis ominibus foues ac prosequeris studia, quae sola et solidissima rerum magnarum fundamenta non tam habentur, quam re vera sunt.

Et nec alia quidem TVA mens est, MAGNIFICE HALLBAVERE, SOCIETATIS DIRECTOR EXCELLENTISSIME, Fautor summe! Non est, quod hoc loco dicam, *Athenaei* TVI *florentissimi decus et ornamentum incomparabile*, de quam plurimis, quae et nostros ornant qualiscumque Bibliothecae forulos, ingenii TVI diuini monimentis, meritisque in vniuersam, sacram pariter, et ciuilem eloquentiam, immortalibus, quibus satis celebrandis nec ipse quidem sufficiat. Tullius. De summa TVA humanitate, qua cunctos, qui vel salutandi, vel discendi gratia, TE accedunt, mirifice complecteris, et demulces, cum ipso meo Ascanio loquuntur omnes, testantur omnes.

Denique et TVAM, EXCELLENTISSIME SOCIETATIS EPHORE, ECKHARDE, celeberrimi in eodem studiorum genere Parentis Fili, in ipso, quo gaudes, aetatis flore insigni honore longe dignissime, deueneror, exosculorque humanitatem, qua motus non consortio modo TVO, auro contra non caro, sed etiam amicitia TVA desideratissima, me dignatus es.

Nec est, de TE aliter quod sentiam, NOBILISSIME MICHAELIS! ipsum certe clarissimum nomen TVVM non nisi eximia quaeuis de TE sperare me iubent.

His et pluribus virtutibus VESTRIS, VIRI SVMMI, non mihi certe, tribuendum arbitror, quod Illustri Collegio VESTRO me adscriptum, et inclitis Nominibus VESTRIS confirmatum

matum videam, vna fortaſſis re, ſed mediocri, VESTRA Societate non plane indignum, et ea quidem, quod a teneris, vt aiunt, vnguiculis, nihil adamaui, quod ſciam, ardentius, quam linguarum, Graecae pariter, ac Latinae ſtudium, inque ſcholis meis, quibus quadraginta amplius annos praeſum, diſcentibus ſtudioſius nihil, quam vtramque, quam dixi, linguam commendaui, et etiamnum, quoad eius fieri poteſt, quam diligentiſſime commendo: id quod vel vnus politiſſimus SPAETHIVS noſter, Vir Iuuenis doctiſſimus, ſuo non minus teſtimonio, quam exemplo confirmabit. Hac etiam mente et animo in ſcholis meis poſthac victurus ſum, et emoriar.

Quod vero ſingulari humanitati VESTRAE, et beneuolentiae, qua maxime adducti in Illuſtrem ordinem VESTRVM me cooptaſtis, referam, haud ſane ſuppetit. Pignoris loco ſint, et piae mentis teſtes, paucae, quae de latinis domi mihi ſuperſunt, ſchedae: quas, meliora dum mittam, aequi bonique conſulatis, rogo.

De cetero, ILLVSTRISSIME S. R. I. COMES, PRAESES SOCIETATIS SPLENDIDISSIME, TVQVE MAGNIFICE DIRECTOR, EXCELLENTISSIME EPHORE, NOBILISSIMEQVE MICHAELIS, valete, et vt dignum me iudicaſtis gratia, fauore, humanitate et amore VESTRO, ita et benigne, beneuole, humaniter et amanter fauere pergite

ILLVSTRISSIMI,
MAGNIFICI, EXCELLENTISSIMI, CLARISSIMIQVE
NOM. VESTR.

Weiſſenburgi Noricorum,
ad d. IIII. Id. Iun. A. R. S.
CIↃIↃCCXXXVIIII.

cultori deuotiſſimo, obſequioſiſſimo,
addictiſſimo, ſtudioſiſſimoque,

M. IO. ALEX. DOEDERLINO,
Lycei Rectori.

V.

INCLITAE QVAE PROPTER SALAM FLORET

SOCIETATIS LATINAE PRAESIDI ILLVSTRISSIMO, DIRECTORI EXCELLENTISSIMO, EPHORO AMPLISSIMO, NEC NON RELIQVIS EIVS SOCIIS OMNIVM ORDINVM AC DIGNITATVM HONORATISSIMIS

S. P. D.

IOHANNES ERHARDVS KAPPIVS,

ELOQVENTIAE IN ACAD. LIPS. PROFFESSOR.

Quo laetiora nobis esse solent illa, quae minus exspectantur; eo iucundius mihi fuit VESTRVM de mea qualicumque Latine scribendi facultate iudicium, FAVTORES OPTIMI. Adscripsistis me haud ita pridem numero Sociorum Honorariorum INCLITAE, quae apud VOS floret, SOCIETATIS LATINAE. Quod quemadmodum mihi est honorificum; ita non possum non pro hoc eximio insignis VESTRAE in me beneuolentiae documento gratias VOBIS agere atque habere summas. Quamquam autem ego omnibus, quae de incremento eruditionis augendo solicitae sunt, Societatibus iustum pretium statuere soleo: tamen, quo propius VESTRA SOCIETAS me, meumque attingit munus; eo maiora ei incrementa in dies a Praepotente Numine exopto. Si quid etiam in me erit, quo incrementa Societatis nostrae, quo emolumenta VESTRA, COLLEGAE HONORATI, amplificare potero; de me persuasi estote, me illud semper libentissime esse suscepturum. Quod reliquum est, VIRI CLARISSIMI, res Societatis nostrae feliciter agite, barbariei, quam quidam minitantur, forti animo obuiam ite, laudesque, et praemia cum a nostra aetate, tum a grata posteritate certo exspectate. Ita valete ex animi sententia, meque, quod facitis, amare pergite Scribebam Lipsiae d. v. Id. April. A. R. S. cIↃIↃcc xxxx.

VI. VIRIS

VI.

VIRIS

MAGNIFICO EXCELLENTISSIMOQVE, GENEROSISSIMIS, CLARISS. NOBILISS. AC DOCTISSIMIS

SOCIETATIS LATINAE,

QVAE SALANAM ACADEMIAM ILLVSTRAT,

DIRECTORI,

SOCIISQVE ORDINARIIS

S. D. P.

IOH. MICHAEL HEVSINGER,

ILLVSTRIS GYMNASII GOTHANI PROFESSOR.

Etsi primis ab annis constitutae praeclare SOCIETATIS VESTRAE, VIRI, MAGNIFICE, GENEROSISSIMI, CLARISSIMI AC NOBILISSIMI, animo et mente VOBIS cum fui coniunctissimus, magnamque cum VESTRO laboris mei partem communi quodam Latinarum litterarum amore iam pridem sociatam habui; tamen, quum nulla adhuc testandi in VOS, et saluberrimum institutum illud VESTRVM, studii mei facultas oblata fuerit, vix nomen meum satis VOBIS omnibus notum esse credidi. Hunc vero errorem facile depulerunt litterae, communi SOCIETATIS nomine superioribus Calendis ad me datae, humanitatis, mirificaeque in me beneuolentiae plenissimae, quibus, nec prorsus VOBIS me esse ignotum, nec plane improbatum, prolixe significastis, dum communibus suffragiis VESTRI Collegii honore me dignati, idque misso SOCIETATIS decreto testati estis. Equidem, nullis in VOS officiis, aut ingenii, doctrinaeque monimentis, tam honorificum de me iudicium VESTRVM adhuc me fuisse meritum, video, nec, parum admodum Latinis litteris praesidii, exiguamque pro SOCIETATIS VESTRAE dignitate eas adserendi, ornandi atque illustrandi facultatem in me esse, ignoro. Quia vero qualescumque in hoc studiorum genere conatus meos VOBIS non prorsus displicere intelligo: etsi VESTRAE eloquentiae ne minimam quidem partem adsequor; honestum

tamen mihi non duco, VESTRAE in me voluntati, quam oſtendiſtis propenſiſſimam, refragari, et tam honorificum mihi conſenſum VESTRVM adſpernari. Quare gratiſſimus, ac laetus etiam, quod datis, accipio, libenterque arctiori hoc neceſſitudinis vinculo VOBIS cum, quos iam pridem, tamquam praeclaros barbariei vindices, veneror, colo, amo, obſtringi me patior, quam mihi et maximo decori atque ornamento, et ad alacrius, conſtantiusque agendam communium litterarum cauſſam haud mediocri incitamento ac praeſidio fore, ſpero et confido. Non dubito, quin opera, cura, induſtria, collatoque ad SOCIETATIS VESTRAE dignitatem ſtudio et labore, in ſingulos officiis atque obſeruantia, id adſequuturus ſim, ne VESTRI VOS de me iudicii vmquam poeniteat. Nec minus in edendo proxime ſpecimine aliquo VESTRIS inſtitutis, ac legibus, parebo, idque VESTRO iudicio eo libentius ſubiiciam, quod, ſi fortaſſis non ſatis fauerit Minerua mea, VESTRA lima id dignum effici poſſe ſcio, quod cum politiſſimis operibus VESTRIS legatur. Interea et litterarium aliquod munuſculum parari a me poterit, quod de meo in VOS animo teſtetur, et bibliothecae VESTRAE, quam inſtrui audio, poſſit adſcribi. Quod ſupereſt, Deum precor, vt VOS omnes, ac ſingulos, rei publicae, et litteris elegantioribus, barbarorum hominum conſpiratione paene oppreſſis, diutiſſime ſeruet incolumes, ac florentes, et VESTRAM hanc coniunctionem et concordiam, futuris etiam ſaeculis profuturam, ita confirmet, vt plurima inde in rem publicam, eiusque ſeminaria, Academias ac ſcholas, commoda in VOS vero ipſos fructus redundent vberrimi. Ego VESTRAE me laudis perpetuum fore praedicatorem, conſiliorum miniſtrum, laborum ſocium, profiteor. Hoc nomine VOBIS, PATRONI AC FAVTORES SVMMI, Academiae Ienenſis decora ac deliciae, commendatum me habebitis. Valete. Dab. Gothae Id. Octob. cIↃ IↃCC XXXVII.

V. IN-

IIII.
INSCRIPTIONES.



I.

M. IO. ALEXANDRI DOEDERLINI INSCRIPTIO IN AVGVSTISSIMVM INVICTISSIMVMQVE PRINCIPEM AC DOMINVM CAROLVM VII. ROMANORVM IMPERATOREM AVGVSTISSIMVM.

L. B. S.

Esse rerum, earumque huius orbis omnium, Periodum
aliquam aeternamque nascendi et denascendi legem
coelitus datam,
quisquis oculos, et cum oculis mentem, per haec vniuersi
circumfert incerta,
videt et animaduertit luculentissime, clarissime.
Alia,
quae volubili orbe et ordine circumagi omnia et fati necessitas
et naturae voluit infirmitas,
omittas licet:
Summorum huius orbis Imperiorum mutationes, vicissitudinesq;
contemplare, meditare;
et Imperatores, et Reges, et Principes quoslibet potentissimos,
Heroas inuictissimos,
quorum augustum et venerandum terris nomen est,
ac potestas coelo cognata,
eumdem cum quibusuis aliis Fortunae Fatique ictum subire,
mortalitatis, interitusque leges explere, perire, extingui,
cognosces, indignaberis, stomachaberis.

Pal-

quod planctu piisſimum, quem habuimus, quem coluimus,
quem et in cineribus veneramur et aeternum venerabimur,
Imperatorem olim noſtrum Auguſtisſimum,
nunc deſideratisſimum,
largisſimo lacrymarum imbre dignisſimum non exiſtimemus;
ſed, quod ſummus rerum Arbiter et Diribitor, qui regna
et imperia diſtribuit,
et cui vult dat, dicat, donat,
iuſtisſimis, ſanctisſimis, ipſique ſoli,
quia ſolus Reges conſtituit,
notisſimis de cauſis,
ſic quidem in ſalutem orbis Chriſtiani Fata diſpoſuit.
Reddidit ille,
(vt de iactura amisſi boni non niſi is queratur, lamenteturque,
quam, qui, quod ille reddiderit, cum ignarisſimis ignorat,)
reddidit, quod amiſimus,
thylaco, ceu aiunt, ditisſimo, plenisſimo, exuberantisſimo.
CAROLVM amiſimus Imperatorem,
CAROLVM bonis ominibus benignisſimum Numen nobis
reddidit.
ALBERTVM addidit,
vt ſummam CAROLORVM virtutem ALBERTORVM auctam
orbi terrarum oſtentaret.
Primam Alphabeti litteram non locum modo primum, ſed et
principis nomen ſortiri, adeoque ceterarum agmen ducere,
patres docent recutiti.
Omen in re pulcerrima eſt.
Abſtruſiorem illam rerum arcanarum ſcientiam, Cabbalam,
quam dicunt,
qua ex litterarum poſitu et numero naſutiores Iudaeorum
Futura produnt, noſtram quidem non facimus:
Eſt tamen non ſpernendum oraculi, neſcio, cuius effatum,
quod percunctanti olim:
ECQVIS CAESAR ERIT? REGNI QVIS SCEPTRA
TENEBIT
ORBIS ROMANI? DISCERE RITE VELIM!

ſcite

ſcite regesſit:

ECCE ALPHABETI VEL PRIMA ELEMENTA DOCEBVNT,
IMPERII REGIMEN QVIS SVBITVRVS ERIT.

Quibus clauem addo:
Priorum Alphabeti Litterarum quinque,

Littera C media eſt, medio tutiſſima, quae TE
Exhibet et nobis CAROLE Boie! notat.
Prima Elementorum ALBERTVM notat omine Fauſto,
ALBERTI Tritaui, qui TIBI Regna dedit.
Altera B ſignat Maiorum Boica ſceptra;
Quinta ELECTORIS; D docet arma DVCIS.

Quid?
quod et ipſum Auguſtisſimi noſtri auſpicatisſimum Nomen,
CAROLVS ALBERTVS DVX BAVARIAE,
REX ET IMPERATOR.
Annum Epochae ſolennisſimae Electionis pariter
et Inaugurationis auſpicato docet.
Genus Auſtriorum qui ex Primaeuis arceſſunt,
per Feminas Principes ad Carolum illum Magnum, qui primus
Imperii Romani Maieſtatem ad Germanos transtulit,
ducunt.
Laudamus virorum doctisſimorum in ſtemmate Gentis Auſtriae
gloriam ex materna Proſapia illuſtrantium pios conatus.
Qui Bauarorum genus ex ipſius Virtutis Stirpe fuiſſe generatum
contendunt, falli et fallere ſane crediderim.
At qui Bauariae Principum ortum per viros Heroasque Principes
glorioſisſimos ad illam Proſapiam Carolinam ſplendidisſimam
cum optimae notae fideique Hiſtoricis, referunt,
operam haud ſane perdunt.
Maior Maiorum per Mares propagati ſtemmatis ſplendor
et gloria.
Amiſimus vero, aiunt, in D. CAROLO VI. Principem, qui in
Auguſtisſima Gente ſua XVII. Imperii Romani Caeſares,
Virtutum et rerum geſtarum gloria immortales,
enumerauit.

Magna

Magna res et mira!
Nullus quippe, quotquot Romani orbis ſceptra geſſerunt,
Imperatorum, Principumque,
eumdem Poſterorum, qui pariter omnes Maieſtatis Caeſareae
purpuram condecorarunt, impleuit numerum,
totidem commemorando Gentis ſuae decora.
Boii ſoli ſunt, qui non impari Heroum ſummorum
exſplendeſcunt numero.
Reges, quaeſo, connumera ex AGILVLPHI, aut, ſi mauis,
GARIBALDI I. ſaeculi VI. Bauariae Ducis,
Gente illuſtrisſima,
Italiae, quam dicunt, Longobardicae.
Adde et Reges Baioariae ex ſtirpe Agilofingica in Germania
Trans-danubiana.
Adde, ſis, praeterea Reges Hungariae, Daniae, nunc et Bohemiae,
(antiquisſima Boiorum ab iisdem nomen ſortitae, ſede,)
ex eadem Gente ſplendidisſima prognatos.
Adde denique ex felicisſima iſta Proſapia recentiore creatos
IMPERATORES in aeternum celeberrimos,
LVDOVICVM IV. Quintum vulgo dictum;
quique ſaeculi XIV. Caeſarum agmen feliciter clauſit,
RVPERTVM Palatinum, natione etiam Bauarum;
Et, qui tandem inſtar Regum in Germanis ſunt,
ſummos Germaniae Proceres ex Gente Bauara,
Electores
Bauaricos, Palatinos, Brandenburgicos.
Numerum certe colliges Heroum Bauarorum
Auſtriacis non inferiorem, antiquitate longe ſuperiorem.
Nec, ſi ſummos Eccleſiae Praeſules, ex Bauaris, commemoraueris,
Clariores minus et pauciores, quam Auſtrii habent,
collegeris, laudaueris.
Virtutes et Merita
aureae Gentis Auſtriae
ſi, quod par eſt, aeternae memoriae tradideris,
in Gente etiam Bauarica totidem tibi non deerunt, ſaeculis,

S ſi qua

ſi qua futura ſunt,
aeternis tradenda et adamantinis inſculpenda tabulis.
Pietate et Iuſtitia fieri Deos,
hoc eſt:
Summum inter homines conſcendere homines faſtigium,
Deique vice in terris fungi,
Oraculi vox eſt.
Pietatis Exempla ad rem pulcerrimam probandam, firmandam,
plura, quam opus eſt, in Principibus Bauarorum, ſuppetunt
luculentisſima.
Vinculum Societatis humanae, Iuſtitia,
quae vnicuique ſuum, et id quidem in tempore, tribuit,
ſi quo loco regnat et floret, in Foro Bauarico regnat floretque.
Fortitudo togata aeque ac ſagata;
Prudentia, qua ſine omnis claudicat virtus;
Rebus in arduis Conſtantia;
In exequendis Conſiliis maturitas, ſollersque Grauitas,
et quae huius generis Virtutes magnos decent Principes aliae,
vbi, quaeſo, conſpiciuntur, quam in Bauaris,
clarius, illuſtrius?
Nil datur auribus: Exempla loquuntur.
Iam quid de Magnificentia ſummorum Principum,
quid de regio Aulae ſplendore, Maieſtate Imperatoria
dignisſimo, commemorem?
quid de victoriis, a Turcis in primis, felici Marte reportatis?
quid de Foederibus cum maximis Principibus initis,
et religioſisſime cultis, ſeruatisque;
deque Meritis Caeſaribus et Imperio praeſtitis, minus digne vt
plurimum remuneratis, loco tamen ſuo et tempore remunerandis,
dicam amplius?
Quid denique de Monumentorum, Palatiorum, Aedificiorum
publicorum, Hortorum, Fontium, Statuarum, earumque
antiquisſimarum, Marmorum, veterumque et recentium
Imaginum exquiſitisſimarum, pretioſisſimarum,
non admirando, ſed ſtupendo,
ſplendore, fulgore, nitore?

Tem-

Tempus deerit et ſcribendi locus, ne dicam dicturo omnia,
dicturo de multis paucisſima.
Summatim dixiſſe ſufficiat:
Auguſtisſimum nouum Imperatorem noſtrum,
Caeſarem noſtrum,
CAROLVM VII
ortum et prognatum Gente
Antiquitate, dignitate, rerum geſtarum gloria,
ſplendore, et quod maximum eſt et palmarium,
Virtutibus, Meritisque,
in vniuerſa Germania antiqua, media, moderna,
ſecunda alii nulla, plerisque omnibus ſuperiore;
et Ipſum adeo ſummum nunc Principem noſtrum,
CAROLVM noſtrum Bauarum,
Pium, Iuſtum, Felicem,
omnis priſcae Maiorum Gloriae non Heredem modo,
ſed compendium, complementumque,
non ad faſtigium duntaxat rerum omnium ſummum,
ſed ad ipſa tolli ſidera,
omnino fuiſſe dignisſimum.
Quem
Rerum ſupremus Arbiter, DEVS ter Optimus, ter Maximus,
cum ſummo ſummi Herois Aſcanio,
Iuuentutis Principe Regio,
CAROLO MAXIMILIANO,
in ſalutem Reipublicae Germaniae nato,
ſartum, tectum, aeternum vt ſeruet, ſoſpitet, tueaturque,
votorum noſtrorum omnium ſumma eſt.

P. P. ad d. VI. Id Febr. A. R. S. M DCC XXXXII.



II.

ILLVSTRISSIMI PRAESIDIS
AVGVSTI WILHELMI COMITIS AB HOHENLOE
ET GLEICHEN

INSCRIPTIO

SEMPITERNAE MEMORIAE
EVGENII

CONSECRATA.

Adeste
Quotquot virtuti ac prudentiae iustum statuitis pretium
Adeste
Pios manes qua decet veneratione prosequimini
Principis
Qui dum in viuis esset
Summis ornamentis
Honoris
Fortunae
Virtutis
Ingenii
Praeditus fuit.
Fuit eheu
fuit
Dum in viuis esse desiit
Absens tamen adest
Mortuus viuit
Viuit fama et meritis
EVGENIVS
Dux Sabaudiae ac Pedemontium
Sacratissimi Imperatoris Romani
a Consiliis sanctioribus
Summus copiarum Imperatoris atque Imperii Praefectus
Heros toga sagoque inclitus.

Is

Is enim exſtitit Princeps
Qui non modo eorum qui nunc ſunt gloriam
Sed etiam antiquitatis memoriam
Omnium virtutum laude longiſſime ſuperauit.
Bellandi fortitudinem qua excellebat incredibilem
Ornabant et commendabant
Aliae virtutes manſuetiores
Magna innocentia
Inuſitata omnibus in rebus continentia
Rara fides
Mira comitas
Inſignis humanitas.
Difficile dictu eſt
Vtrum hoſtes magis virtutem eius pugnantes timuerint
An manſuetudinem victi dilexerint.
Non eum auaritia ab inſtituto curſu
Ad praedam aliquam auocauit
Non libido ad voluptatem
Non amoenitas ad delectationem
Non denique labor ipſe ad quietem.
Probe ille fuit memor
Fortiorem eſſe qui ſe vincat
Quam qui validiſſima moenia diruat
Nec eum poſſe exercitum continere
Qui ſe ipſum continere
Animum vincere
Iracundiam cohibere
Victoriam temperare
Non didicerit.
In eo fuit
Incredibilis rei militaris ſcientia
Singularis virtus
Maxima auctoritas
Egregia fortuna
Virtutes belli duce digniſſimae
Labor in negotio

 For-

Fortitudo in periculis
Induſtria in agendo
Celeritas in conficiendo
Conſilium in prouidendo
Iſtae fuerunt in hoc vno omnes
Quae
Si in reliquis ſui ordinis hominibus eſſent ſingulae
Iisdem admirationem conciliarent
et venerationem.
Quamuis ancipiti ſubinde contentione eſſe diſtrictus
Magno tamen animo ſemper fuit et excelſo
Non in illo temeritas cum ſapientia mixta
Nec ad conſilium eius caſus fuit admiſſus.
Ex ſingulis proeliis victor ac triumphator abiit
Vinci vero plane neſciuit
Quum triſtes belli euentus numquam fuerit expertus.
Ad bella conficienda
Diuina quadam ſorte natus
Et hominum generi conceſſus videbatur.
Eius ſemper voluntati
Non modo Imperator ordinesque Imperii adſenſerunt
Socii obtemperarunt
Hoſtes obedierunt
Sed etiam fortuna ipſa obſecundauit
Quoties in maximo et crudeliſſimo bello
In quo omnis fortuna reipublicae diſceptabat
Auſpiciis eius fauſtiſſimis
Feliciſſimo omine
Fuit dimicatum.
Teſtes ſunt gloriae eius
Tot nationes terrore ac metu vel ſola praeſentia eius perculſae
Tot funera vrbium magnis copiis oppreſſarum
Tot quae ſepulta iacent oppidorum cadauera
Tot prouinciae debellatae
Tot pugnae innumerabiles
Tot incredibiles victoriae

Tot

Tot tropaea
Tot monimenta.
Satis ſibimet ipſi
Satis naturae vixit
Satis gloriae
Et patriae quod debebat ſoluit
Et naturam ipſam ſatietate viuendi expleuit.
At quaſſata reſpublica noſtra
Morte eius acerbiſſima
Multa perdidit
Et ornamenta dignitatis
Et praeſidia ſtabilitatis ſuae.
Gloria tamen eius eſt illuſtris et immortalis
Peruagata multorum et magnorum
Vel in rem militarem
Vel in patriam
Fama meritorum
Poſteritatis memoriam exaequabit
Quae Principem ſummis atque infimis carum
Belli ducem omnibus numeris abſolutum
Imperatorem et commilitonem
EVGENII nomine eſt definitura.



III.

PIETATIS OFFICIVM DIE NATALI ILLVSTRISSIMI COMITIS AC DOMINI AVGVSTI WILHELMI S. R. IMPERII COMITIS AC DOMINI AB HOHENLOE ET GLEICHEN ET RELIQVA

FAVSTIS AVSPICIIS
D. IIII. ID. MAII A. CIↃ IↃCC XXXVIII
REDEVNTE
TENVI HAC INSCRIPTIONE
PRAESTITVM
A
M. IOHANNE VALENTINO BRIEGLEB.

Salue
AVGVSTE WILHELME
Atque iterum ſalue
Domine Benigniſſime
COMES
Summo Natalium ſplendore
Et virtutis gloria hereditate quaſi TIBI relictae
ILLVSTRISSIME.
Iucunda TIBI eſt atque illuſtris
Quae diuina adſpirante gratia
Fortunaque meliore benigne comitante
Omnibus proſperitatis generibus.
Reuertit lux natalitia
A TE ſaluo et ſoſpite celebranda
Iucundior atque illuſtrior eo ipſo die
Quo propitium rebus humanis Numen
TE primum indulſit terris.
Non enim viuere ſed valere vita eſt
Et ſalutis certa laetitia

Naſcen-

Nascendi incerta conditio
Sine sensu nascimur
Cum voluptate prosequimur
Diem
Qui feliciter reuertitur natalem.
Laetitiae voluptate adficiuntur Musae
Et quotquot haud fucatam
Qua sanctissimum Numen colis
Pietatem
Et quae perpetuis exercitationibus altissimas radices egit
religiose agendi consuetudinem admirantur
Quotquot virtutum TVARVM
Quibus reliquis mortalibus antecellis
Praestantiam conspiciunt
Quae sane maiores sunt
Quam vt eas vllius ingenii vires praedicando possint exaequare
Plaudunt et congratulari certant
Ac tantae laetitiae auctorem Deum concelebrant.
TVORVM enim Natalium splendore qui illustratus fuit dies
Quibus gaudiis quibus votis
Quibus pro salute TVA precibus
Eum non par est celebrari?
TV enim fulgentissimum saeculi nostri sidus
Immortale nostrarum Athenarum decus
ILLVSTRISSIMI PATRIS
Amor ac delicium
In optimum aeui nostri omen
In Musarum castris per decora certamina
DECORA PATRIA aemularis
Et indefesso studio virtute summa
Ad virtutis insignia contendis.
Taceo bona corporis
Quae licet benignitate diuina
Et natura fautrice
TIBI obtigerint praestantissima
Tamen vt stellae in radio solis

Sic ea in virtutum TVARVM splendore
Ne cernuntur quidem.
Atque adeo gloriae TVAE
Quae ob illustrissimam nascendi conditionem est amplissima
Accessiones in dies facis cumulatissimas
et
GENTIS TVAE ILLVSTRISSIMAE
exspectationem
Non solum sustines
Verum etiam superas
Felicissimoque augurio locum facis
Futurum
Vt radiis TVIS aliquando illustretur orbis
Ac per TE floreant et ornentur
Aulae Principum Europae
Publica denique salus
Per TE validissime suffulciatur et conseruetur.
Quisquis nostro aeuo
In vtramque partem miro adplausu disputata
Pertinax negat miracula
Desinet negare
Si TVAS intueatur virtutes
Exempli raritate miraculo pares.
Macte his virtutibus
ILLVSTRISSIME COMES
Ad omnem grassare gloriam
Nullis vmquam saeculorum finibus terminandam.
Viuas
ILLVSTRISSIME COMES
et valeas
Deus Optimus Maximus
Fata fatis laetissimis addat laetiora
Viuas Deo
Viuas reipublicae
Viuas felix
Viuas diu.

IIII. SVM-

IIII.

SVMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

VIRO

CLARISSIMO

ELIAE FRIDERICO SCHMERSAHL

DANNEBERG. LVNEBVRG.

NOMINE SOCIETATIS

QVAE HIC FLORET

LATINAE

FAVSTOS AC PROSPEROS ESSE IVBET

IOH. MARCVS SPAETHIVS

PAPPENHEIMENSIS

EIDEM SOCIETATI ADSCRIPTVS.

IENAE AD D. III. CAL. IANVAR. A. O. R. CIↃ IↃCC XXXX.

Quisquis es
Qui litterarum ſtudia celebras
Infeſta arma procul abiice
Et lituo permixtum tubae ſonitum
Auerſare.

Quie-

Quietae ſunt Muſae
Otiumque Amatoribus ſuis commendant
Negotio omni felicius.
Se ipſe laedit
Qui alios laedit
Aut gladium
Non rei militaris
Sed litteratae nobilitatis inſigne
Ita gerit
Vt elingues lapides loqui cogantur.
Multo ferociores adſunt hoſtes
Quos vincere et profligare
Maximum quidem requirit laborem
Sed maiorem opera fructum
Certo pollicetur.
Oppugnandae ſunt ſegnities inſcientia et φιλαυτια
Refrenandae voluptatum illecebrae
Et graues illae cordatiorum hominum aduerſariae
Inuidia atque obtrectatio
Forti animo ſuperandae.
Nam tum demum
Externos hoſtes frangere et domare
Poterimus
Si prius de nobis ipſi triumphauerimus.
Te certiſſimum teſtem profero
CLARISSIME SCHMERSAHLI
Qui in celebratiſſima hac virtutis et ſapientiae palaeſtra
Poſt peracta eruditae militiae certamina
Iam praemia reportas
tanta victoria haud indigna.
Vecordi illi ardelionum ſocordiae
Qui aut ſemiſomni in diem viuere
Aut multum agendo nihil agere conſueuere
Laudatiſſima TVA virtus
Eo magis reſtitit
Quo minor in diſciplinarum ſtudiis
Cunctatorum eſt exiſtimatio.

Bar-

Barbariem et inſcitiam
Incredibili partim ingenii magnitudine
Partim vero indefeſſo in litteris viuendi ardore
Ita debellaſti
Vt cum exquiſita eruditione bonam mentem
Et cum ſingulari doctrina inſignem quamdam facundiam
Arctisſimo vinculo coniungeres.
Quum porro illi
Qui ſtultis eruditi videri volunt
Stulti eruditis videantur
Omisſis rebus proletariis
Quae popularem tantum habent admirationem
Ad recondita et ſublimia quaeuis
Haud inuita Minerua adſpiraſti.
Et vt nimium illum ſui ipſius amorem
Vel idcirco ex mente TVA extorſiſti
Quod omnibus aliis diſplicent
Qui ſibi ipſi nimium placent
Sic perniciofis quoque cupiditatum lenociniis
Aures TVAE numquam patuere
Quum recte ſemper exiſtimaris
Niſi qui virtutem in animo et oculis ferat
Sapientem eſſe neminem.
Hac ratione
Ad virtutis inſignia maxima virtute contendens
Maleuolorum voculis ſpectatior euaſiſti
Et incorruptis
Sapientisſimorum Prytanei noſtri doctorum
Suffragiis
Summi in Philoſophia honoris
Nomen non magis quam ipſum honorem adeptus es,
Felicem TE
VIR CLARISSIME
Qui hac tempeſtate
Qua abundantes doctoribus doctos deſideramus
Honores ex merito TIBI decretos

Ma-

Magis condecoras
Quam ab ipsis condecoraris.
Felicem
SOCIETATEM LATINAM
Cuius famam et gloriam
In dies magis magisque exsplendescentem
Eximia TVA politiorum litterarum scientia
Postero quoque tempore
Amplificare non desistes.
Quapropter nemo non bonus bene TIBI ominatur
Et posthac futura laudum TVARVM incrementa
Laeto mentis augurio
Praecipere sibi videtur.
Macte ergo virtute esto
ELEGANTISSIME SODALIS
Et curae TIBI semper habe
SOCIETATEM LATINAM
Quae vna eaque solemni omnium voce
Priscum illud TIBI adclamat
FELICITER.



V. CAR-

V.
CARMINA.



I.
PIETAS
IMMORTALI MEMORIAE
INVICTISSIMI
IMPERATORIS
CAROLI VI.
ROMANI IMPERII SEMPER AVGVSTI, GERMANIAE, HISPANIAE, HVNGARIAE, BOHEMIAE REGIS, ARCHIDVCIS AVSTRIAE, DVCIS BVRGVNDIAE ET SILESIAE, RELIQVA,

IN

IOHANNEI HAMBVRGENSIS
AVDITORIO MAIORI
PRAESTITA
A
IOANNE SAMVELE MVLLERO
RECTORE.



Inuicti CAROLI, quo non praeſtantior alter
Romani Imperii praeſes ſeruator honeſti
Iuſtitiaeque fuit, quem nuper regia coeli
Perpetuo clarum virtutis honore recepit,
Res memorare iubet pietas. Qui noſtra voluptas
Maxima viuus erat, dubiis nunc rebus acerbo
Ereptus fato, ſit maxima cauſa doloris,
Maxima ſit gemitus. Humiles ne ſpernite laudes,
AVGVSTI Manes! Decora immortalia fas ſit
Tangere, et e multis aliquot depromere facta.

Solicitat pretiis animos et munere palpat,
Fraudibus inuentis alias ſuperaddere fraudes
Haud ceſſat, donec tandem fabricantur iniquae
Hae teſtamenti tabulae, quibus hoſtis Iberi
Nominis in CAROLI titulos et iura vocatur.

Exarſere faces belli. Vt iuuenilibus annis,
Viribus exſuperans nec non virtute feroci
Bellatrix aquila, et roſtro aeque ac vngue volantum
Iam metuenda gregi, celeri ſuper aethera lapſu
Attollit ſeſe, atque indignans fertur in hoſtem,
Qui praedam eripuit, nidosue inuaſit auitos;
Sic CAROLVS, patrios fines atque arua relinquens,
Difficili terras et lata per aequora curſu
Tendit in Heſperiam, belloque et fortibus armis
Hoſtem perſequitur, promtusque ad munus vtrumque
Militis atque ducis, populos vrbesque repoſcit.
Hiſpani iuſtae cauſae patriaeque fauentes
Plauſibus excipiunt venientem, legibus vltro
Subiiciunt ſeſe, et regem laeto ore ſalutant.
His vt conſuleret, quos non haurire labores
Ille eſt aggreſſus! quam ſeruantiſſimus aequi
Iura dabat populis! His ſeſe credidit vnis
Natum, non ſoli ſibi, nec feruentior aetas,
Flexilis in vitium, praeclaris obſtitit auſis.

Qualis ſaepe noua nimium dulcedine captus
Aurigae munus ſedemque inuadere tentat,
Et ſibi conceſſum iuuenis moderamen equorum
Incautus gaudet, pronusque effundit habenas,
Nec ſtimulis parcens nec voci, incendat vt acres,
Et iam ſponte ſua nimium properare volentes
Quadrupedes. Manifeſta rotae veſtigia linquunt
Hi tritamque viam, et rapido enituntur anheli
In montes curſu. Tunc per praerupta ruentes
Aurigam excutiunt curru, lorisque retentum

Corpus, mox foede laceratum ſpargitur aruis.
Talis et haud raro regnorum fraena capeſſens
Non ſeruare modum nouit fineſque tenere,
Non ſibi, non aliis rector praeeſſe; ſed omnes
In partes trahitur, coecae quocunque libido
Mentis eum ſtimulis ingensque potentia raptat,
Quam propria tandem luit imperiique ruina.
Fortunate animi Carole, haud te blanda voluptas,
Haud te laeta malis alienis inuidia, haud te
Vicinos fines vaſtandi dira cupido,
Haud bellatoris ventoſi gloria inanis
Abſtulit in praeceps; populis impendere vitam
Officiumque ſequi, tua vita et ſecta fuere,
Conſcia nec lenes turbarunt pectora ſomnos.
Vnica tam rara merces virtute reperta eſt
Digna, pari coniux virtute inſignis ELISA,
Clarae Guelphorum ſtirpis generoſa propago,
Laetitiae ſocia, et curarum dulce leuamen,
Auſtriacae genti Natas diademate cinctas,
E regnaturos mox ſuffectura Nepotes.

Vrbs antiqua iacet duplici firmiſſima muro,
Celſisque aggeribus, cunctis et rebus abundans,
Barcino, romanis iam concelebrata vetuſtis,
Haec belli placuit ſedes, hinc mittere partes
Auxilia in varias, quo res tempusque requirat.
Hoſtis vt hanc totam, qua terra cingitur, vrbem
Claudat, ab extremis perducit brachia caſtris
Ad pelagum, atque mari illam claudit gallica claſſis.
Concutit excelſos vrbis iam bellica muros
Machina, ſulphureos quae faucibus euomit ignes,
Infeſtasque faces, piceaeque volumina flammae,
Terribilesque globos ingenti pondere ſaxi.
Hi veluti rupes, quam ſummo monte reuulſam
Proiicit impulſus ventorum, cuncta ruentes

Mol

Mole ſua frangunt, ſolido et fundamine quaſſas
Euertunt aedes, vt terra fragore tremiſcat.
Horrifico, et ſtrepitu turbata remugiat aura.
Tum vero volitantum hinc illinc ingruere imbrem
Telorum, ardentesque vident vbi ſtridere glandes,
Et laceros vſtosque artus, auulſaque ſaxa,
Disiectas moles, et tecta cadentia, mille
Vulnera, mille neces et mortis mille figuras;
Tunc proceres adeunt CAROLVM, bellique Senatus,
Iam ſatis exhauſtum eſt, inquit, rex magne, laborum,
Sat laudis partum eſt, animae ſat prodigus eius,
A qua tot pendet populorum vita, fuiſti.
Hic nihil eſt tutum, planctu miſeroque tumultu
Omnia miſcentur; coecos penetrare receſſus
Nil prodeſt, ſecreta loca occultaeque cauernae
Mortem non arcent; crebro repetita ſed illas
Fulmina perrumpunt latebras, et terra dehiſcens
Obruit incluſos, auidoque abſorbet hiatu.
His decede locis! Fatis quis quaeſo ſuperſtes
Eſſe tuis poterit? Tam ſaeuo a Marte remotum.
Si te nouerimus, tunc demum haec moenia nobis
Intrepida prorſus defendere mente licebit.
Is vero regerit: Sic virtus noſtra fidesque
Vobis perſpecta eſt? Numquid mihi tutius vnquam
Vos, quam militibus, quam ciuibus eſſe putatis?
Stat mihi, fulminibus tantis tantaeque ruinae
Non abſens potius praeſtare caput volo, Veſtra
Non ſatis eſt tutum abſentemque audiſſe pericla,
Aſpiciam praeſens diſcrimina, et ipſe ſubibo.

Haec fatus vallum ingreditur, quod ſcandere tentat
Hoſtis, et impauidus per flammas fertur et enſes
Oppoſitos CAROLVS. Monitu ruit actus in omne
Intrepidus ciuis fatum. Ceu ſurgit in iras
Irretitus aper vaſtaque indagine cinctus,
Igne micant oculi, ſpumans et ſaeuit adunco

Dente, equites et equos et multa ſtrage moloſſos
Diſiicit, et caſſes, poſitarum et lina plagarum
Vi magna rumpit; Sumtis ſic acer in armis
Et clauſus ciuis fremit, ac diuendere vitam
Hoſtili minimum vult ſanguine, ſpemque ſalutis
Vna re quaerit, nullam quaerendo ſalutem.
Nil gladios globulosque timet, vi ſaepius vſus,
Quondam etiam tacitae per amica ſilentia noctis
Se promens latebris, oppugnatoribus ingens
Damnum infert. Magnus furor additur hisce, nec vllum
Telorum interea ceſſat genus, integra pubes
Succedit feſſis, et inundant ſanguine foſſae,
Gallorumque rates flammas ad moenia iactant.
Denique ſubſidio preſſis venit anglica claſſis,
Aufugiunt hoſtes, et ab obſidione recedunt.
Laetitiam illius quis tandem fando diei
Audeat exprimere? aut aequare ea gaudia dictis?
Pandere nunc portas iuuat, atque excedere clauſtris,
Littus deſertum atque hoſtilia cernere caſtra.

Inter apes veluti quum vere ineunte duobus
Regibus aduerſis ingens diſcordia ſurgit,
Quaeque ſuum ſequitur ductorem, omnisque relictis
Turba fluit caſtris, hoſtem ſtridore laceſſens,
Nec prius abſiſtunt animis concurrere et armis,
Quam patriis fuſum victoria pellat ab oris;
Sed quae pars aliam victrix dare terga coegit,
Laetitia exultans in cerea moenia regem
Ducit, et ingenti ſonitu quaſi iubila tollit:
Sic poſtquam longo ſoluit ſe Barcino luctu,
E campis ciues iterum ingrediuntur ouantes
Moenia. Nulla dies vrbi celebratior orta eſt.
Non ſibi turpe putat vino indulgere iocisque
Hiſpani grauitas, nec ſoli carmina cantant
Germani certantque ſcyphis! plauſuque fauentum
Et ſtrepitant aedes, et regia conſonat omnis.

Nec

Nec belli interea curas deponit, et hoſtem
Victor perſequitur fugientem et curſibus vrget.
Et quamquam egregia haud ſemper ſucceſſibus aequis
Gaudent conſilia, et communi Marte geruntur
Bella atque ancipiti, redimitus tempora lauro
Hic plerumque tamen redit, et ſua iuſta laborum,
Tot captas vrbes, regni ſedemque Madritum,
Praemia habet CAROLVS. Quam tunc procliue fuiſſet,
Poſt fractas Galli vires, Lodoicis et altos
Depreſſos animos veniam pacemque precantis,
Finibus Heſperiae detrudere ſpeque Philippum
Regni! Aſt opponit ſeſe, mediosque triumphos
Inuidia abrumpens, conatus reddit inanes.

Praepropera Caeſar decedit morte IOSEPHVS,
Regna eius fratri tunc ſanguinis, atque fauoris
Suffragatorum debentur iure. Verentur
Propterea gentes, ne tot regionibus auctus
Europae nimium ſit formidabilis omni.
Foedere decedunt, et Iberica ſceptra Philippo
Burbonio tradunt, in quem prius arma mouebant.
Tunc Germanorum poſt multos redditus annos
Finibus optatis, hic tantae pondera molis
Immota ceruice tulit, tot ſceptra lacertis
Geſtauit validis, fraternis moribus orbem
Et patriis moderans, vtriusque in nomen iturus.
Maieſtas erat in vultu, ſed gratia in ore
Non minor, in dictis ſincerus candor, in actis
Fallere neſcia mens, prudentia neſcia falli,
Intemerata fides conſtansque in foedere pacto.
Hunc metuere hoſtes, hunc dilexere ſodales,
Summa fuit ſemper cura huic, auertere bellum,
Conſiliis placidis patriam pacemque tueri.
Aſt quum ferro alii rupiſſent pacta nefando,
Ambitione leui ducti: capit arma, furoresque
Iniuſtos cohibet. Venetis noua bella parabat

Consiliis prauis et spe commotus inani,
Non fidei memor ac iurati Numinis olim,
Turca ferox. Peloponnesi grassatur in agris,
Vndique et infestos intentat moenibus enses;
Haud secus atque aestate auidi facto agmine cerui,
Sopito agrorum custode, per arua ruentes,
Triticeas segetes, et luxuriantia campo
Conculcant passim pedibus frumenta proteruis,
Diuitias Cereris, speratamque ore voraci
Praecerpunt messem, fleturi vota coloni.
Auxilio afflictae genti, qui foederis icti
Lege tenebatur, Caesar venit, iniicit hosti
Terrorem, immittitque fugam, flamma oppida cingit,
Et te Belgradum, te Temesuaria, multaque
Expugnat castella manu, atque incendia Martis
Exstinguit, Turci vt praeferrent verba precantum.
Dum procul Hungariae parat hos auertere ab oris,
Plane improuisis foedisque inuaditur armis
Sardorum insula ab Hispanis, annoque sequenti
Trinacria. At Caesar collecto milite terras
Ereptas Anglorum adiutus classe recepit,
Et pro Sardinia Siculorum ditior eius
Insula subiicitur sceptris. Huc vsque benigno
Vultu illum semper fortuna aspexerat, annis
Extremis autem vitae malefida recessit.
Dum res Sarmaticas, Augusto rege peremto,
Distractis animis studia in diuersa, reducit
Ad pacem, insurgunt Hispanus, et Allobrogum dux,
Et Gallus, magnasque acies in praelia mittunt,
Et multas vrbes ferro sub iura redactas
Assertasque sibi dura ditione coercent.

Sic leo victricem multis obuertere palmam
Assolitus, fuluaque iubas ceruice comantes
Effundens, vngues atque horrida dentibus ora
Spernit securus; sed quum socialia iungunt

Plures

Plures arma hoſtes, nec quidquam tale timentem
Aggrediuntur eum, quamquam huc obuerſus et illuc,
Vulnerat hunc pellitque alium, tamen impete fertur
Tertius in fauces fruſtra victoris, et haeret,
Et reliqui redeunt, nunc, nunc impune leoni
Inſultare feras credentes poſſe minores;
Ter mugit quaſſatque iubas, ter tetra rudente
Montes, ſiluae atque antra tremunt, terque aura remugit.
Quum Gallus poſthac promittit reddere pacem,
Vanam gloriolam reliquis moderatior ille
Communi patriae non vult praeferre ſaluti.

Idem quum Turcis, ſociae qui foedera genti
Ruſſis fregiſſent, occurrit fortiter armis,
Belgradum oppugnant, quod iis, (quo, neſcio, fato,
Aut praeſtat reticere) infauſta pace relictum eſt.
Has duras leges animo fert Caeſar iniquo;
Sed ne vel minimam ſpeciem praeberet auari
Fallacisue animi, non tentat rumpere pactum
Foedus; damna pati mauult, hoc clarior ipſo,
Quod res aduerſas aeque, quam ferre ſecundas
Nouerit; vt longe maiorem nauta meretur
Laudem, qui pulſu vndarum vnda, tonitribus aether
Quum ſtrepit, et puppim dubius ferit vndique pontus,
Impauidus pelagique minas ventosque furentes
Aſpicit, et modo frangit aquam, modo cedit eidem,
Nauem iam laceram ſic ſeruans. Hei mihi quantum
Praeſidium, hei! quantum decus, o Germania, perdis!
O quam planxerunt, et fletibus ora rigarunt
Rhenus cum Viadro, Moenusque, Viſurgis et Iſther!
Ipſe ſuis lacrimis increuit turgidus Albis.

O ter ſancte Deus, cuius moderamine conſtant
Imperia ac gentes, afflictis ſuffice rebus
Tu mox rectorem, qui rurſus fulciat illas.
Namque iterum bello tellus nunc horret et armis,

Nuna iterum humano foedantur ſanguine campi,
Et, niſi ſuccurris, longe grauiora parantur.
Saltem illi gemitus miſerorum, illi vndique fletus
Infantum, prauo qui non diſcernere rectum
Norunt, te moueant! Tandem miſerere tuorum!
Iungant concordes aeterna in foedera dextras
Europae populi, Stygiis quos orta cauernis
Diuidit, atque odiis armat diſcordia tetris.
Innumera HAMBVRGVM ſtabilem per ſecula ſedem
Eſſe iube, noſtris nec deſint moenibus vnquam
Praeſtantes virtute viri, qui publica curis
Commoda confirment, ac fas tueantur et aequum.
Suffice praecones, iura intemerata ſalutis
Qui tradant, coetusque hominum tua verba ſequentes.
Has etiam Muſas, atque hocce tuere Lyceum,
Ingenui pariter iuuenes fidique magiſtri
Vt doctas poſſint audire et reddere voces,
Vtque illis ſtudiis, quibus hic operamur, honeſtis
Illuſtris fiat tua laus et gloria.

D I X I.



II.

II.

LVCTVS MVSARVM PANNONIDVM IN AVGVSTVM FVNVS DIVI CAROLI VI

ROMANORVM IMPERATORIS SEMPER AVGVSTI GERMANIAE HISPANIARVM HVNGARIAE BOHEMIAE REGIS ARCHIDVCIS AVSTRIAE etc. etc. etc.

PATRIS PATRIAE

REI LITTERARIAE STATORIS ET CONSERVATORIS

ANNO CHRISTIANO M DCC XXXX.

D. XIII. KAL. NOV.

MELIORE SVI PARTE COELO RECEPTI

PVBLICE INSTITVTVS

A

DANIELE HAYNOCZI

SEMPRON. SCHOLAE AVG. CONF. CON-RECTORE.

APOLLO MVSARVM PRAESES

In pectore, hinc fascias quatuor in campo rubro, hinc crucem bis immissam, ex vna rupium coronata prodeuntem, gerens, nomine Regni HVNGARIAE, suas IX Musas, exemplo aliorum IX Regnorum, ad Sacram HVNGARIAE Coronam antiquitus pertinentium, REGEMque suum complorantium, ad religionem, societatemque luctus hortatur, suaque pensa laudationum singulis attribuit.

PLangite, Pannonides, lacrymosos pangite lessus,
 Noster Amor moritur, CAROLVS, orbis Amor.
 MELPOMENE, memora, quid in Hercule *Musagete*
Praesidii nobis, deliciique fuit.
Doctiloquo mea tu celebra sermone, THALIA,
 Quam *Pia* mens fuerit, quam studiosa DEI.

Fune-

Funera, TERPSICHORE, *sapientis* plange Catonis,
Talem Phoenicem rarius astra ferunt.
CALLIOPE, hic *Heros* heroica carmina poscit,
Vix vnum parient secula multa parem.
Gesta refer, CLIO, quae Rhenus vidit, et Ister,
Quot Tagus, aut Padus laurea serta tulit.
EVTERPE, *Themidos* iustas cane carmine laudes,
Desiit en alter viuere Fabricius!
Munificum plectro defle, POLYHIMNIA, Patrem,
Par, simili superis, nullus in orbe fuit.
Tu *thalami* castos, ERATO, lugebis amores,
Penelope viduum quo rigat imbre torum!
CAROLVS, vt poscit meritorum gloria, *coelo*
Redditur, VRANIE, concine, *Victor ouat.*

MELPOMENE

tria leopardorum capita coronata, eademque aurea, in campo caeruleo, in triquetro constituta, nomine Regni DALMATIAE, praedicat in CAROLO amorem ac studium erga Musas.

Deseris ergo tuas iam nos, AVGVSTE, clientes,
Maecenas atauis edite CAESARIBVS?
Te Numen doctae, sibi Tutelare, Camenae,
In terris vnum te coluere Patrem.
Tu Gaditano bene gestis Hercule maior,
Tu Musagetes verior vnus eras.
Tu Stator is, profugas nostro qui solus ab orbe,
Iussisti Musas stare, referre pedem.
Luget amalthea tua te, tot praedita gazis,
Quot neque fama vetus, nec nouus orbis habet.
Deplorant Grecium, Wratslauia, Praga, Vienna,
Florentesque aliae, te moderante, scholae.
Nunc omnis luget, studiis gens dedita nostris,
Nil praeter lacrymas angulus omnis habet.

Ars

Ars inter festos plorat typographica plausus,
  AVSTRIA, praesidio tam bene nata tuo.
Tu patriam repetis, nos orbas patre relinquis,
  CAROLE, praesidium dulce decusque meum!

THALIA

scuto, tessellas argenteas, rubris mixtas exhibente, armata, nomine Regni CROATIAE, laudat Pietatem.

Laus Antonini frustra celebratur in orbe,
  Cui *Pietas* nomen relligiosa dedit.
Ille quidem ciuem seruari maluit vnum,
  Hostica quam tradi corpora mille neci.
Ast homines tantum coluit pietate caducos,
  Vix vlla coluit relligione deos.
Aut, si quos habuit, fuerant nisi numina ficta;
  CHRISTI non potuit nomen in orbe pati.
CAROLVS Eusebies melius meruisset honores,
  Nam pius in Christum, seque, suosque, fuit.
Quam non ille DEI coluit venerabile Numen!
  Quam non vox IESV dulcis in ore fuit!
Auspiciis IESV, capiebat hic Hercules arma,
  Auspiciis IESV, laurea serta tulit.
Vna mihi, CRVX ESTO SALVS: * bellique togaeque
  Haec vitae, haec mortis, lex, cynosura fuit.
O dilecte DEO! tu coelo dignus haberis;
  Digna tuo non est numine terra frui.

* *Anagramma* ex CAROLVS SEXTVS.

TERPSICHORE

tres canes albos venaticos, in campo viridi, decurrentes, praeferens, nomine Regni SLAVONIAE, admiratur Sapientiam.

Qvid septem iactas *Sapientes*, Graecia, quorum
  Vix vnus tali nomine dignus erat.

In

In Latio fuit hoc cognomine dignior orbe
Forsitan Atilius, Laelius, atque Cato.
Laude tuos tamen hac vicit quoque, Roma, Catones
CAROLVS, AVSTRIACIS editus ille Sophis.
Haec est illa viro dignissima Principe virtus,
Qua sine non possunt regia sceptra geri.
Haec est illa, Iouis soboles de vertice nata,
Ingenii cultrix, armipotensque dea.
Haec nisi consilio Regum moderetur habenas,
Nulla foris vis est, nulla domique salus.
Huic natiua velut semper fuit AVSTRIA sedes,
Cui tot templa dicat, sacraque rite facit.
Hic vtinam reparet sua se per funera Phoenix!
Nec dubitate, nouum Nata MARIA dabit.
Non deerit numeris perfectio, SEXTVS ad astra,
SEPTIMVS imperio CAROLVS inde venit.

CALLIOPE

ferrato brachio, frameam argenteam vibrante, armata, nomine Regni BOSNIAE, veneratur Virtutem Heroicam.

Carolus *Heroum* veteri de sanguine cretus,
Laude *Heros* atauis non minor ipse fuit.
Protulit hunc, praestans meritis, ANICIA gens, qua
Romulidum fuerat clarius vrbe nihil.
Nec pauidas aquilae generant aliquando columbas,
Nec ceruum fortis fert aliquando leo.
CAROLVS hoc fuerat genitus de stemmate, nomen
Cui MAGNI quondam gloria summa dedit.
Austria gens stetit hac fata tot iam secula stirpe,
Incluta tot meritis, tot veneranda viris.
Haec orbi genuit RVDOLPHOS, haec FREDERICOS,
Haec FERDINANDOS, haec CAROLOSque dedit.
Haec est, quae ALBERTOS, LEOPOLDOS, MAXIMILIANOS,
IOSEPHOS, MATTHIAS, Numina quanta! tulit.

Numi-

Numina Christiadum toti data coelitus orbi,
Quae sua post Virtus reddidit alma polo.
Nullus at *Heroi*, proh, FILIVS est! FVIT eheu!
Ostensus terris, non datus ille fuit.

CLIO

caput apri, inserto ori spiculo, in campo rubro, ostendens, nomine Regni SERVIAE, commendat rerum gestarum Gloriam.

Obruor innumeris, *fortissime* CAROLE, rebus
Quas tua tam vasto gessit in orbe manus.
In quamcunque trahunt auidam me lumina partem,
Enitet hic virtus, hic tua fama sonat.
Siue *Tagum* specto, iuuenem te Gaditano
Hercule maiorem, Gloria vera docet.
Siue *Padum* intueor, terraque marique potentum,
Scipiadum factis laus tua maior erat.
Seu *Rhenum*, multis insignem specto triumphis,
Par tibi SEXTVS hic est, CAROLE Prime, nepos.
Seu patrium adspicio, victis cum Thracibus, *Istrum*,
Hunyiadum cedit gloria magna tuae.
Te nisi Mors hominem nunc vna fuisse doceret,
Assereret te Mars ipse fuisse Deum.
Nec potuit vinci tua Virtus casibus vllis,
Nec tua fama potest, CAROLE SEXTE, mori.

EVTERPE

monedula, transuerso desuper ramusculo insidente, tribusque infra coronis aureis ornata, nomine Regni HALICIAE, attingit Iustitiae *studium.*

Sancta *Themis*, repetit coelum, terrasque relinquit:
Vae nobis! quis enim postea iura dabit?
Quam timeo, vomer ne conuertatur in enses,
Ne fiat *ius vis*, fasque fit omne nefas.

Nunc

Nunc ſine nauarcho mediis iactamur in vndis.
  Grex cuſtode carens, et duce turba ſumus.
CAROLVS AVSTRIACVS Themidem comitatur ad aſtra,
  Qui ius tot populis vnus in orbe dabat.
Dicite, quis melior fuit hoc, vel amantior aequi?
  Non omnis tellus fert modo Fabricios.
Sol prius a curſu potuiſſet forte moueri,
  Quam non per rectam CAROLVS ire viam.
Legifer huic *codex* * rectiſſima regula ſceptri,
  Impoſitus tripodi, ſemper *apertus* erat.
Has ſi nil timuit violare licentia leges,
  In promptu *gladius* ſontibus vltor erat.
Iudice vos tali viduos, lugete, clientes:
  Quis tuus, Integritas, poſtea tutor erit?

* Symbolum AVSTRIAE, Gladius libro aperto innixus, cum inſcriptione: *Liber regit, gladius defendit.*

POLYHIMNIA

inter tres campos caeruleos, faſciam geminam teſſellatam, rubris et albis teſſellis diſtinctam, habens, nomine Regni VLODOMIRIAE, celebrat magnifica Munificentiae *opera.*

Excedit noſtras, tua *Munificentia*, laudes,
  CAROLE, te ſuperis fecerat illa parem.
Carmine ſi digno hanc vultis laudare, Marones,
  Diuinis opus eſt dotibus ingenii.
Cui labor iſte placet, ſtellas prius ille nitentes,
  Aut numeret guttas, quas vagus Iſter habet.
Poſtea magnificas adeat, quas condidit, aedes,
  Templa, ſcholas, vrbes, moenia, clauſtra, vias.
Spectet amaltheae palatia Vindobonenſis,
  Aut Boromaee tuas, Carole, baſilicas.
Per Noricas Adriae petat Alpes littora, qua nunc,
  Inuia quae fuerant, peruia cuncta patent.

In-

Inualidumque domos Pesthana lustret in vrbe,
  Aut quae stant larga, ptochodochea, manu.
Computet exsulibus congiaria praebita Iberis,
  In quos ista manus largior imbre fuit.
Vidisses inopes venisse, redire beatos,
  Munificus tamen hic iam petit astra Pater.

ERATO

campo caeruleo, leone rubro, superne stella, infra vero luna, illustris, nomine Regni CVMANIAE, cum AVGVSTA ELISABETA, laudibus effert Castitatem.

Eheu! sub Cetio gemitus quos audio monte?
  Quales, amisso coniuge, turtur agit.
Quales edebat flens Artemisia quondam,
  Mausoli Regis fata suprema dolens.
Fallor, an AVGVSTO luges viduata Marito?
  Et thalami casus, ELISABETA, gemis?
Nil fallor. Tua vox haec est, quae sidera pulsat,
  Quae nostras aures tam gemebunda ferit.
Nec miror. Tua lux tibi CAROLVS occidit, eheu!
  CAROLVS ille decus, deliciumque tuum.
O dolor! o fera crux! o immedicabile vulnus!
  O nox, qua tuus hic dulcis obiuit Amor!
Quam tu de multis placuisti millibus vna,
  Vnus et ille tibi, Barcino testis erat.
Per mare, per terras, per tot discrimina, Magnes
  Hesperias dum te traxit ad vsque plagas.
Pone modum lacrymis. DEVS haec tibi gaudia reddet
  Rursus in Elysiis, ELISABETA, rosis.

VRANIE

scuto, quaternis fasciis auratis oblique scisso, insignita, lupumque album, currenti similem, in campo rubro, reliquis caeruleis,

Nunc ſine nauarcho mediis iactamur in vndis.
    Grex cuſtode carens, et duce turba ſumus.
CAROLVS AVSTRIACVS Themidem comitatur ad aſtra,
    Qui ius tot populis vnus in orbe dabat.
Dicite, quis melior fuit hoc, vel amantior aequi?
    Non omnis tellus fert modo Fabricios.
Sol prius a curſu potuiſſet forte moueri,
    Quam non per rectam CAROLVS ire viam.
Legifer huic *codex* * rectiſſima regula ſceptri,
    Impoſitus tripodi, ſemper *apertus* erat.
Has ſi nil timuit violare licentia leges,
    In promptu *gladius* ſontibus vltor erat.
Iudice vos tali viduos, lugete, clientes:
    Quis tuus, Integritas, poſtea tutor erit?

* Symbolum AVSTRIAE, Gladius libro aperto innixus, cum inſcriptione: *Liber regit, gladius defendit.*

POLYHIMNIA

inter tres campos caeruleos, faſciam geminam teſſellatam, rubris et albis teſſellis diſtinctam, habens, nomine Regni VLODOMIRIAE, celebrat magnifica Munificentiae *opera.*

Excedit noſtras, tua *Munificentia,* laudes,
    CAROLE, te ſuperis fecerat illa parem.
Carmine ſi digno hanc vultis laudare, Marones,
    Diuinis opus eſt dotibus ingenii.
Cui labor iſte placet, ſtellas prius ille nitentes,
    Aut numeret guttas, quas vagus Iſter habet.
Poſtea magnificas adeat, quas condidit, aedes,
    Templa, ſcholas, vrbes, moenia, clauſtra, vias.
Spectet amaltheae palatia Vindobonenſis,
    Aut Boromaee tuas, Carole, baſilicas.
Per Noricas Adriae petat Alpes littora, qua nunc,
    Inuia quae fuerant, peruia cuncta patent.

In-

Inualidumque domos Pefthana luftret in vrbe,
  Aut quae ftant larga, ptochodochea, manu.
Computet exfulibus congiaria praebita Iberis,
  In quos ifta manus largior imbre fuit.
Vidiffes inopes veniffe, redire beatos,
  Munificus tamen hic iam petit aftra Pater.

ERATO

campo caeruleo, leone rubro, superne ftella, infra vero luna, illuftris, nomine Regni CVMANIAE, cum AVGVSTA ELISABETA, laudibus effert Caftitatem.

Eheu! fub Cetio gemitus quos audio monte?
  Quales, amiffo coniuge, turtur agit.
Quales edebat flens Artemifia quondam,
  Maufoli Regis fata fuprema dolens.
Fallor, an AVGVSTO luges viduata Marito?
  Et thalami cafus, ELISABETA, gemis?
Nil fallor. Tua vox haec eft, quae fidera pulfat,
  Quae noftras aures tam gemebunda ferit.
Nec miror. Tua lux tibi CAROLVS occidit, eheu!
  CAROLVS ille decus, deliciumque tuum.
O dolor! o fera crux! o immedicabile vulnus!
  O nox, qua tuus hic dulcis obiuit Amor!
Quam tu de multis placuifti millibus vna,
  Vnus et ille tibi, Barcino teftis erat.
Per mare, per terras, per tot difcrimina, Magnes
  Hefperias dum te traxit ad vsque plagas.
Pone modum lacrymis. DEVS haec tibi gaudia reddet
  Rurfus in Elyfiis, ELISABETA, rofis.

VRANIE

fcuto, quaternis fafciis auratis oblique fciffo, infignita, lupumque album, currenti fimilem, in campo rubro, reliquis caeruleis,

ruleis, ostentans, nomine Regni BVLGARIAE, coelestem describit Triumphum.

Vos mihi nunc veniam reliquae date, quaeso, Sorores,
Cui laetum coeli nomen Apollo dedit.
CAROLVS astra petit, redimitus tempora lauro,
Huc niueis post tot proelia fertur equis.
Praeuolat, adsuetis aquilae, Victoria pennis,
Nuncia coelicolis gaudia magna parit.
Voce triumphali totus circumsonat aether,
Hospite laetantur coelica templa nouo.
Sic inuictus adit Capitolia nobilis Heros,
Sic luctus abeunt, naenia moesta silet.
Qui toties fregit radiantis cornua lunae,
Qui toties victor laeta tropea tulit.
Auspice iam Christo, prostrata morte, *triumphat*,
A stygioque sibi iam nihil hoste timet.
Nil opus hic aquila, veterum quae more, beatam,
Succensis, animam ducat in astra, rogis.
CAROLVS, vnde fuit natus, super aethera fertur:
Iam cohibe lacrymas, AVSTRIA! *Victor ouat.*



III. D.

III.

D. LAVRENTII REINHARDI

SOC. LAT. IEN. MEMBRI HONORARII

CARMEN GRATVLATORIVM

IN

AVSPICATISSIMAM NATIVITATEM

SERENISSIMI IVVENTVTIS PRINCIPIS

ERNESTI ADOLPHI FELICIS,

QVO SIMVL


ORATIONEM PANEGYRICAM

A SE IPSO HABENDAM INDIXIT.

Adiutus virtute tuae, DEVS optime, dextrae
Gaudet iam PRINCEPS, animo canit et tua facta.
Ipsius implesti vota omnia, quaeque petebat
Cuncta tulit felix regio te distribuente.
PRINCIPIS aeternos illustras nomen in annos,
EIVS gaudebit nunc vultus laetus amore.
CONIVX AVGVSTI peperit, quem vota petebant.
Magnus laetitiae cumulus iam pectora complet,
Quae tenet atque fouet clementis PRINCIPIS aula.
Personat, ecce, sonus dulcis penetralia celsa
Magnorum Procerum: laetantur limina templi.
Qui sanctos inter pars est nunc sedula Mystas,
Gaudia quisque gerit, complentia corda serena.
Omnes, qui laetae colitis loca peruia terrae,
Tollite iamque DEO viuenti iubila clara:
Laetantes seruite DEO, post omnia grates
Dicite, laudantes excelsum nomen vbique.
Simplicis ingenuo vitae candore probatus
Iam canit elato clamore perennia vota,
Ac hilaris tangit MAGNI nunc NVMINIS aures,
Clamans: o rector mundi, qui cuncta gubernas,
Fortunet tua lux stirpem, quam conspicit Ilmus

SAXONIS in terris atque in ſolio reſidentem.
Gaudeat AVGVSTVS, quem poſtera ſaecula laudant,
Et vigeat CAROLINA diu, quae ſemina prolis
Viuida ſaepe dedit, concedet gaudia ſaepe.
CONSTANTINVS adeſt, hic viuat Neſtoris annos,
Adferat et nobis ridentibus aurea ſaecla.
Floreat, excreſcat fulgens ERNESTVS ADOLPHVS,
Quem fert FELICEM ſancti baptiſmatis vſus.
O ciues, ciues! pateant nunc pectora laeta.
Huc agite, huc adferte DEO decora omnia laudum,
Qui NVMEN colitis cum pura ſimplicitate:
Saluat enim ſeruatque DVCEM, nec deſerit vnquam,
Laetitiae ſitis teſtes, attollite mentes.
Percipiant PROCERES, FAVTORES, vota ſacrata,
Quae SCHOLA NOSTRA fouet, quae ſignant ora diſerta.
Concinit alta cohors, dicenti iamque fauebit.

P. P. ipſis Calendis Februarii
A. R. S. MDCCXLI.



IIII. CON-

IIII.

MAGNIFICO ET AMPLISSIMO
CONSVLI
CORNELIO POPPE
INCLITO REIPVBLICAE HAMBVRGENSIS
MERCATORI
PATRONO SVO MAXIME VENERANDO
NOVI CONSVLIS HONORES
DEMISSI ANIMI PIETATE GRATVLATVR
SVBMISSVS CIVIS ET CVLTOR
NICOLAVS IOANNES LAVTZ,
HAMBVRGENS.
S. S. THEOL. ET PHILOS. CVLTOR ET SOC. LAT. IENENS.
ADSCRIPTVS.

Te, mea Muſa! rogo, vires animumque miniſtres,
Vt luſtrare queam patriae decus atque ſtupere
Intuitu maieſtatis; qua patria fulget.
Neſcio, qua natale ſolum dulcedine cunctos
Attrahit, atque ſui immemores non protulit vnquam.
Temporis aſt ratio poſuit duriſſima legem
Hanc mihi, per quosdam annos vt disiunctus ab ora
Natali, tantum intuear demirer honores,
Queis patriae Patres ſplendetis et omnia noſtro
Hamburgo per VOS ſolamina, commoda perſtant.
Quid Genuam petitis, Venetos, Heluetia Tempe?
Vt ſub conſulibus regimen florere ſenatus
Creſcere et acceptos terrae videatis honores.
Rectores quatuor VOBIS amplumque ſenatum
Hamburgum oſtentat, quorum ſapientia praebet
Exemplum, quantam poſſit donare ſalutem
Lecta ſenatorum, meritis ornata corona.
Conſulis imperio bini tu Roma vigebas,
Gloria, fama tui ſplendebat vbique ſenatus;
Creſcebant vires et ſumma potentia ſtabat.

Denuo consulibus quatuor Tua credita fama est
Hamburgum, patriae Patrum Te cura fouebit
Multorum, cunctos sapientia Nestoris ornat,
Omnibus et fausti, voueo, sint Nestoris anni.
Patria cara! cui non sit tua maxima cordi
Prosperitas, ciui quae gaudia tanta remoto
Multiplicat, spondet cunctis et dona salutis,
Facta Tui viuent operosaque fama senatus,
Hamburgum! poteris rabidos contemnere dentes
Temporis, illorum nam Te prudentia seruat.
Gratulor ex animo patriae tot fulcra saluti,
Gratulor atque mihi, qui tot noui esse Patronos
Et Maecenates, studiis prodesse paratos.
Gratulor et VOBIS tantorum sanguine cretis,
Qui meritis patrum fulgent per saecla futura;
A patribus norunt qui praemia parta tueri;
Laudibus acceptis proprias adiungere laudes.

Nunc mea Musa noui cantes celebresque creati
Consulis egregios, meritos, queis splendet honores,
Quique viri supplet subsellia, cuius amare
Deflet adhuc mortem, mea patria, turba clientum;
TE LVIS, illustrem, nunc nomine reque beatum
Magnificus sequitur, factorum luce coruscans
POPPE, suam laudem meritis qui seruat et auget.
Traditur ecce TVAE consul res publica curae:
Traduntur ciues, TVA quos regat alma voluntas;
Gaudia queis dones, cures quorumque salutem.
TE lustrant oculis, TE Consul voce salutant
Communi, clauum iusta qui mente tenere
Nosti, atque acceptas prudenter flectis habenas,
Legibus inuigilas, maiorum more statutis,
Atque TIBI ipse es lex, exemplum, regula iusti,
Vtilibus rectum pietas praeponere suadet,
Communesque sequi leges iniustaque nunquam
Largiri, sub TE iuris reuerentia floret.

Acce-

Accedunt ad TE ciues ſua iura petentes,
Omnibus Aſtraeae tibi credita munera tradis:
Sueuiſti varias patiens mulcere querelas,
Blanda tibi vultu grauitas et mite ſerena
Fronte ſupercilium, ſed pectus mitius ore eſt.
Vir bonus et ſapiens, iam pridem noſtra beatum
Vrbs TE iactauit, dignum qui ſumma gubernet,
Qui conſulta patrum confirmet, iuraque leges.
Traditur ergo TIBI nunc ampla potentia, virtus
Quam TVA promeruit, cuncti optauere clientes.
Accepta fulges excelſus ſede curuli,
Conſulis officium praeſtas, Spartamque tueris
Nactam, delicias cunctis, ſolatia praebes.
Auges, quas tribuunt Conſul TIBI ſplendide laudes,
Tanta, Patrone, TIBI eſt iuſti reuerentia et aequi,
Quanta Numae fuerat, celebrat quem cana vetuſtas.
Nemo poteſt animis tractandis aptior eſſe,
Nec melius dirimet lites, vel iurgia Codri,
Quam mercaturam cunctas qui exercet in oras
Ecce vocauit apes humanae gentis Huberus
Hos mercatores, qui arceſſunt commoda vitae.
Illi animos hominum diſcunt cognoſcere multos;
Occurrunt ipſis virtutes, crimina, naeui
Inter mortales; conſtans virtutis imago
Obuerſatur eis, vitii vitare colores
Adſueſcunt varios, ex moribus optima ſeruant.
Hunc migrare fidem, aſt alium promiſſa tenere
Cognoſcunt, lucri cupidos et ſponte doloſos,
Fallaces et periuros, vehementer auaros,
Diuitias, magnas qui perdunt tempore paruo.
Haecce videt mercator et omnia vertit in vſus,
Vt vitet prauam vitam, ſectetur honeſtam;
Qui varias igitur mentes cognouit, et illas
Arte poteſt ſumma, facili et tractare labore,
Et ſcit Marte ſuo iuſto ſecernere iniquum.
Occurrit vitiis, iugulans ea tempore iuſto.

Auertit ſcelerum prudenti mente pericla,
Et nouit cunctos, virtus quos poſcit honores,
Virtutem colit; amplificat, fouet, ornat honeſtos,
Optimus hic iudex, Patronus, Conſul habetur.
Recte igitur tali voluit committere curam
Hamburgum magnae, qua ſplendet vbique, ſalutis.
POPPE tuum ſeruat ſplendorem, ſemper et addet,
Quae TE magnificam reddant fauſtamque potentem.
Vota igitur mecum, ciues, faciatis, vt illum,
Qui VOS felices praeſtat, conſeruet in annos
Cura Dei ſeros, et proſperitate coronet.
Viue diu felix, prudens et ſplendide Conſul,
Multiplicesque TVIS, vrbi, patriaeque adamatae
Gaudia, quae faſces, tua quae moderamina donant.
Conſiliis ciues tueare, fauore clientes;
Tunc, Patrone, TVVM per ſaecla futura manebit
Nomen, et obſequio veneror TE POPPE, remotus.



V.

VIRO
PERILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO
DOMINO
ERNESTO FRIDERICO
LIB. BAR. DE SECKENDORFF
DYNASTAE STARCKENBERGAE
SERENISSIMI DVCIS SAXO-GOTHANI ET ALTENBVRGICI
A CONSILIIS INTIMIS ET LEGATIONE AD IMPERATOREM ROMANVM
CAMBVRGENSISQVE PRAEFECTVRAE PRAEFECTO
PRIMARIO
SPLENDIDISSIMVM,
PRAESIDIS SACRI CONSISTORII
IN PRINCIPATV ALTENBVRGICO
MVNVS
D. VII. KAL. IVLIAS CIƆ IƆCC XXXIIX.
LAETIS AVSPICIIS CAPESSENTI
PIETATEM SVAM GRATVLABVNDI DEVOTIQVE
EXHIBET
NOMINE ILLVSTRIS GYMNASII FRIDRICIANI
M. IOH. GODOFREDVS MOERLINVS
GYMNAS. DIRECTOR.

PRAETOREM veneranda quem SACRORVM
Optas Eusebie tibi? Sorores
Cuius praesidio tegi nouenae
Votis expetitis? Sacrata iura,
Incorrupta Themis, tibi sacerdos
Quis dicat precibus tuis vocatus?
Vos omnes, quibus aedium sacrarum,
Vos omnes, quibus est amor scholarum,
Vos, legum quibus est tenore stricto,
Vos, iusta quibus aequitate gratum
Carae res patriae geri videre,

Nobis dicite, quem SACRI SENATVS
ARBITRVM fieri virum velitis?

Non eſt Delius hic opus natator
Aut Oſtane ſagacior latentis
Conieſtor tacito ſub ore voti,
Scimus, quem cupide petatis omnes:
Inſignem pietate Numinisque
Cultorem ſine mentiente fuco,
Qui vita doceat ſequenda vitae;
Quem non praetereant, ſuperna, ſenſus,
Quos oracula continent, ſalubres
Formandis fideique moribusque:
Qui nulli violanda iura noſcat,
Et qui cognita fidus adminiſtret,
Nulli ſe faciens nimis benignum,
Nulli ſe nimium gerens ſeuerum:
Qui doſtas ſciat et velit tueri
Artes, praeſidio beatiores
Nullius, niſi quem ſereniorem
Ipſae ſollicito dedere cultu:
Ad cuius trepident, repreſſa, nomen,
Error, flagitium, dolus malignus,
Torpor, barbaries tumensque faſtus
Et vecors animus ſequi recuſans,
Et quidquid ſtatui pie regendo
Sacrae Chriſtiadum rei, repugnat,
Et quidquid ſtudiis probe colendis
Probroſam grauiter moram minatur:
Hunc, qui continuet beatitatum
Vſuram, patriae quibus fruuntur
Terrae, non aliis beatitate
Cedentes, aliis beatiores:
Qui, quo continuet diu ſalutem,
Quae cuſtode SACRO viget SENATV
SACRI PRAESIDIVM TENENS SENATVS

Noſtrae

Noſtrae praeſideat diu ſaluti;
Hunc, ſcimus, cupide rogatis omnes.

Sed iam dicite, quem putetis eſſe
In quem conueniant tot atque tanta
Ornamenta virum? quis ille tandem,
Qui ſpem ſuſtineat precesque veſtras,
Et cuius validi ſatis lacerti
Tanto ſic oneri pares ferendo,
Qualem ſtelliferum ferunt Atlantem
Ferratis humeris polum tuliſſe?

Verum, dicitis: haec benignitati,
Haec ſummae ſapientiae ſupernae
Prorſus libera prouidentiaeque,
Non ſunt arbitrio relicta noſtro,
Sed ſunt arbitrio relicta NOSTRI
FRIDRICI PATRIAE PATRIS ſalubri,
QVEM patrem facit ipſa vis amoris,
QVEM curae faciunt laborioſae,
QVEM prudentia perſpicax triumphis
Aeternis celebrat, quod adminiſtros
Vſu, conſiliis, fide, labore,
Vita, dexteritate, diſciplina
Summos admoueat rei gerendae.
HIC, quem CONCILII SACRATIORIS
ARBITRVM petimus, dabit, PATREMque
Nobis, iamque dedit, volens, deinde
Suſpenſos mora longa ne teneret.

SECKENDORFIVS eſt, decus virorum
Signis, ſanguine, purpuraque per tot
Retro ſecula nobiliſſimorum,
QVEM prudentia litteris et vſu
Limatiſſima, QVEM fides et actu
Rerum dexteritas probata, terras

Intra

Intra Saxoniae FRIDRICIANAS,
Extra Saxoniae feracis oras,
QVEM iuſti ſtudium tenaxque recti
Mens, PATRIS PATRIAE probis amicis
Adſcripſit merito ſuo, PARENTEM,
QVI magnum referens, referre VITVM
Sacris Euſebiae negotiis et
Culto Pieridum choro ſtudebit.

Ergo Caſtalides, ciete plauſus,
Veſter PRAESES adeſt, APOLLO veſter,
QVI vos praeſidio SVO fouebit
Gentiliſque memor ſubinde ſigni,
Vt ramus tiliae virens opacae
Defeſſis gelida frui dat vmbra,
Sic daphnona teget FRIDRICIANVM
Doctrinis monitisque percolentes.
O! creſcat, vireatque ramus ille
Annoſamque ferat vigens ſenectam.
Quanta gaudia noſtra, noſtra tantum?
Cunctorum, pietate proferuntur:
Tanta ſint etiam perennitate.



VI. IL-

VI.

ILLVSTRISSIMI DVCIS SECKENDORFII FATA ET ELOGIA

IN EVENTVM SVI REDITVS ELABORATA A

M. IOH. LVDOVICO HOCKERO.

Inclytus in paucis dux Seckendorffius heros
Arte et Marte potens; quem lauru diuus Apollo
Et clypeo Bellona ſuo decorauit vterque,
Cuius tam pacis quam belli tempore geſta
Poſtera non minus ac praeſens mirabitur aetas:
Cuius virtuti nec Rheni Danubiique
Ipſa nec Oceani, qua terram interfluit, vnda:
Nec Siculae Syrtes obicem, Scythicaeque pruinae, aut
Sarmaticae ſyluae, aut tangentes ſidera montes
Italiae Herculeis poterant obtendere monſtris:
Cui quoque vinifera ad curuae montana Moſellae
Nuper *ſeruatae patriae* meruiſſe coronam
Contigit, expulſo patriis e finibus hoſte;
Huius praeluſtri tandem fortuna nouercans
Atram tentauit nubem praetendere famae,
Et cleris *ipſum* non inconſueta ſubire
Fata *viris*, quanquam vano conamine, adegit.
Scilicet eximiis nunquam non aemula factis
Turba obtrectauit. Queis non imitabilis ampla
Praemia deſignat Virtus vel gratia regum
Horum vel meritis tenebras obfundere denſas
Liuor, vel rabidis illuſtrem arrodere famam
Dentibus aut vitae inſidiari denique geſtit.
Non tibi Romanos heroes, non tibi Graios
Eſt opus, vt referam; Quos neſcio propria virtus?
An mage laudandos aliena calumnia fecit?

Haec

Haec eadem noſtro fatalis luditur aeuo
Fabula. Quos? quantos? habuit Germania belli
Noſtra duces? quorum rebus feliciter actis
Non tandem haec: *Laudatur ab his, culpatur ab illis,*
Cenſura obtigerit? Quid? ſi fortuna ſiniſtros
Miſcuerit caſus? cenſere gregarius audet
Acta ducis miles: Qui nuper coepit honorem
Signiferi, queritur, ſe iuſto incautius hoſti
Expoſitum: cauſantur idem, qui tutius hoſtem
Eminus adſpexiſſe putant, peccaſſe ducemque,
Quod non percuſſis, ceu Moſes, fuderit vndas
Rupibus et populum coeleſti paſcere Manna, et
Nectare voluerit ſitientia caſtra madere:
Quod non vel ſtiterit curſum, ceu Ioſua, ſolis,
Coelica vel ſubito turmis immiſerit hoſtis
Fulmina, ſic parcendo ſuis velut alter Elias.

Migrat in obſcuras e caſtris nigra tabernas
Cenſura, et quicquid peccatum credit, in vnum
Innocuumque ducem, plebs rerum neſcia, transfert.
Sic ſcabie turpis textor, figulusque lutoſus,
Sic piceus ſutor: furtiua veſte ſuperbus
Sartor: cuncta ſciens vrbis mendacia tonſor:
Sic redolens tetricum coriorum pellio odorem:
Sic in Muſeo qui belligerare Nouellis
Electis didicit: Monachus ſic credulus: ipſe et
Ruſticus in madidam delatus forte popinam:
Non tandem nemo de belli iudicat actis.

Interea inſanis rumoribus vndique ſparſis
Plebis, ad interitum ducis ignea tela miniſtrat
Liuor, et inſonti quicquid vel ſorte ſiniſtra
Accidit aduerſi, vel praemeditata malignis
Conſiliis fauſti impediit fallacia curſus,
Culpaque cunctorum ſtudioſa imponitur vni.
Quid mirum? has furias ſi SECKENDORFIVS heros
Infeſtas ſenſit? cuius virtute fideque
Auguſtus Caeſar ſpectata e pluribus vnum

Finibus

Finibus Hungariae flammas gladiosue minanti
Oppofuit Turcae (cui fe fubducere moli
Deuota in *Dominum* ductus pietate nequiuit)
Si tantum humanis rebus fortuna faueret
Intemerata fides, rerum experientia quantum
Inuictusque animi vigor in duce rebus agendis
Profpicit, atque ducis virtuti *occafio* feruit
Hoc duce, quod factum eft, non tantum tuta fuiffet
Hungaria horrificis truculenti infultibus hoftis;
Sed quos non vltra licuiffet ferre triumphos?
Iam vero cum nec pluuiofas fiftere nubes,
Cogere nec fluuios intra fua littora grandes,
Non etiam licuit coniunctis viribus vti,
Mittere fuppetias diuerfa ex parte coacto;
Quam tibi, Liuor edax! quam bella occafio nata?
Qua fictis propria culpa praetextibus acta,
Et non acta duci infonti transfcribere falfo,
Iratique Iouis vanas fpargendo querelas
In caput innocuum poffes arceffere fulmen.
At veluti rapidis rupes circumdata perftat
Fluctibus immota, et tumidas vanefcere fpumas
Et videt et ridet; fic mens fibi confcia recti
Fortunae infultus, liuoris fpicula temnit
Et vexata diu *Tandem bona cauffa triumphat.*
Scilicet haec reftabat adhuc Victoria, poft tot
Egregios per luftra nouem bellique labores
Et pacis fumma fidei cum laude peractos,
Vt maiora TIBI COMES ILLVSTRISSIME! de fe
Deuicta inuidia praeberent monftra tropaea.
Auguftusque Tuis meritis fua lumina *Caefar*
Iuftitiae fanctus cultor, conftare iuberet
Integra, et e tenebris iam fplendidiora redire.
Interea quantum pietas coniuncta fidesque
Virtuti valeat? quantas fiducia fpesque
Fifa Deo vires ad triftes quosque ferendos
Fortunae cafus addat, *Dux inclyte!* pulchra

Exempli illuſtris nobis documenta dediſti,
Qui TVA ne nauis tantis agitata procellis
Huic tempeſtati ſuccumberet, ignibus arae
Impoſitis noſtrae pro TE pia thura dabamus.
Quam laeti iam TE ſedatis fluctibus iſtis
Cernimus intrantem *Illuſtri* cum *coniuge* portum.
Vtere iam meritis! iuueneſce ſenilibus annis!
TE TIBI reſtitue! et partis ſatiare tropaeis!
Viue TVIS! et nunc ingrato Marte relicto,
Quod reliquum eſt ſenii dulci permitte quieti.
Iamiam marmoreas ſtatuit TIBI fama columnas,
Queis SECKENDORFI nunquam delebile nomen
Heroes inter noſtri celebrabitur aeui.

* * *

RESPONSVM
ILLVSTRISSIMI COMITIS A SECKENDORFF
D. XXIX. IAN. CIↃ IↃCC XXXIX.

PRAECLARO ET DOCTISSIMO
DN. IO. LVDOV. HOCKERO
SALVTEM ET OFFICIA DICIT
FRIDER. HENR. COMES A SECKENDORFF. mpp.

Pergratum mihi fuit, meum ex ſorore nepotem litteras ad me exarandi gratiſſimas Tibi praebuiſſe anſam, et ſicuti ex lectura poëmatis nuperrime mihi exhibiti veterum poëtarum imitatorem cognoui, de auctore illius iam certiorem me redditum gratulor laetorque venam Tuam poëticam nihil minus quam aridam adhuc eſſe. Grata proinde Tuam in meis afflictionibus exhibitam curam agnoſco mente, nil magis in votis habens, quam vt Deus T. O. M. pro ſua, qua nos fouet gratia, me ſaluum aliquando ac incolumem patrias oras attingere ſinat, indeque mihi enaſcatur occaſio, meum ad praeſtanda quaeuis officiorum genera paratum animum pluribus teſtatum faciendi. Vale. Dab. Graecii d. 4. Ian.
MDCCXXXIX.

VI. VI-

VI.

VITAE
MORTISQVE RATIONES
COLLEGARVM
QVOS SOCIETAS HABVIT.

I.

VITAE CVRRICVLVM
IOANNIS SALOMONIS BRVNNQVELLII
ICTI
IN ACADEMICO PROGRAMMATE
DESCRIPTVM
A
IO. MATTH. GESNERO
ELOQ. ET POES. P. P. O.



REGIAE ACADEMIAE GOTTINGENSIS

COMMISSARIVS

GOTTLIEB SAMVEL TREVERVS D.

CVM SENATV CIVIBVS

S.



Heu triſte officium! heu deluſae ſpes! heu lacrumabilis pietas! Vicit, vicit ac triumphat inuidia. Habent tandem homines, quod vere in Gottingam dicere poſſint, quo ſuperioribus commentis et abſurdiſſimis mendaciis ſi non fidem apud prudentes, at apud alios ſpeciem concilient. Priuata eſt Gottinga vnico ſuo, maximo ſuo decore. Caput amiſit, rectorem amiſit, Palladium ſuum perdidit. Fuit, heu fuit! *CIVES*, BRVNNQVELLVS veſter, immo noſter, dulce paullo ante et amabile ac laetum nobis omnibus nomen. Vixit BRVNNQVELLVS, vitam cum paterna illa, quam pro nobis omnibus ſuſceperat, cura et amore depoſuit. Clauſi ſunt illi vegeti et captatores animorum noſtrorum oculi, obmutuit os, e quo tanquam e perenni fonte tum doctrinae ſalutares, tum conſilia fideliſſima emanabant, obriguit dextra illa

tum

tum fide praeſtans, tum infinitis numero mortalibus ſcribendo vtiliſſima. Iacent tot praeclara inſtituta, tot honeſtiſſimae deſtinationes: intercepta in curſu feliciſſimo tot Illuſtriſſimorum, Generoſiſſimorum, Nobiliſſimorum iuuenum, ad ſumma quaeuis ſub tam praeſtanti duce contendentium ſtudia. Quam dolet nobis, *CARISSIMI CIVES*, cum videmus deiectos vultus veſtros, et nimium quantum ab illa alacritate mutatos, qua confluere ad BRVNNQVELLVM noſtrum vel honorandum, vel audiendum paullo ante ſolebatis. Poteratne maior plaga aut inſanabilior rebus noſtris inferri? Poteratne infortunium minus expectatum obiici? In tanta caeli ſalubritate, in vrbe, vbi aegrotum non habebant, quem nominarent medici, illud caput peti, quod vnum in maxima reliquorum ſtrage ſaluum eſſe omnes optaturi erant? BRVNNQVELLVM mori, qui ſaepiſſime laetus ipſe atque alacris, gratulabundis nobis commemorabat, ſentire ſe eas res vnde viuitur inter nos ita ſalubres, ita ſuo in primis conuenientes corpori, vt nouam ſibi vitam viuere, nouas ſumere vires videretur. Et ſumſerat, et ita vigebat, vt qui illum intuerentur vel agentem aliquid negotii, vel inambulantem, quod ſtudioſe mouendi corporis cauſa factitabat, vel inter amicos iucunde verſantem, facile robuſtam viri valetudinem putarent. Sed quam ſubita, quam triſtis, quam calamitoſa nobis omnibus facta eſt rerum conuerſio? Heu pater! heu decus noſtrum! Sed modum ponamus querelis, nihil iam niſi ad augendum dolorem profuturis. Reſpiciamus fontem ipſum, vnde manat, quidquid amarum nobis atque miſerum videtur. Diuinam veneremur prouidentiam, quae munus ſuum oſtendit nobis, indulſit magna cum vtilitate noſtra, tempore licet breuiſſimo, et modo cum ipſi maturum viſum eſt, ad ſe recepit. Caecutimus mortales ad cognoſcendas, quam diu ipſae ſe nondum explicuerunt diuinae et gubernatricis rerum humanarum ſapientiae rationes: ſed nouimus tamen in illa ipſa, quae nobis interdum videtur rerum ſurſum deorſum euntium colluuie atque perturbatione, ita ſapienter omnia temperari, ita his quae auerſamur aptas et innexas eſſe commoditates; ita dulces ex amaris radicibus

 fruc-

fructus, vt paullo post, qui vestigia quasi diuina persequuntur diligentius, cum admiratione proclament, quae mala aliquam diu videbantur fuisse, ea et ipsa esse, si totum opus Dei atque consilium spectes, optima, vel talia certe, sine quibus quod optimum est obtineri non potuerit. Iniurii profecto fuerimus in caelestem prouidentiam, si bonorum, quibus per illum nos affecit, ad id modo reminiscamur, vt lugendi inde et querelarum captemus materiam. Quin grati agnoscamus, recte collocemus, quae in BRVNNQVELLO habuimus: quae supersunt ab eadem prouidentia, tranquilla mente et obsequi diuinis nutibus parata, expectemus. Quod si enim decreuit Deus, quod quidem factum non dubiis signis nobis videmur colligere, esse Gottingam litterarum optimarum sedem, et bonae mentis publicam officinam; quam quaeso facile illi est et damnum quod fecimus sarcire, et ita gubernare quae supersunt, ita secundare Regis et amicorum ipsius consilia, vt ringentibus etiam, qui nobis inuident, et frustra machinas omnes contra nos intendentibus, stet consilium Dei, floreat Gottinga, rumpatur inuidia, ament, et colant hanc litterariam vniuersitatem, qui nunc strenue sibi quauis arte oppugnandam putant. Absit ergo, *CIVES CARISSIMI*; vt animum despondeamus, vt diuinae obloquamur prouidentiae. Constantius amemus BRVNNQVELLVM nostrum etiam cum inter nos versari desiit, et funus illius non inanibus lacrumis et molli eiulatione: sed virtutis ipsius atque meritorum commemoratione condecoremus. Agite, dum maius monumentum atque solidius illustri atque immortali Viro paretur, summas modo vitae ipsius rationes hic cognoscite.

Vir, dum viueret, Illustris et Magnificus

D. IOANNES SALOMO BRVNNQVELL

Potentissimi M. Britanniae Regis atque Electoris Brunsuicensis a Consiliis Aulae, Iuris Canonici in hac Academia Professor, et Facultatis Iuridicae Ordinarius, itemque Academiae Pro-Rectoris auctoritate regendae Commissarius,

vitam

vitam hanc ingressus est Quedlinburgi a. d. XXII. Maii cIↃ IↃCXCIII, patre IO. HENRICO, qui cum in Gymnasio illius vrbis bonas litteras diu, fideliter, et cum fructu docuisset, decimo huius saeculi anno diem suum quatuor supra quinquaginta annos natus obiit: matre autem BARBARA DOROTHEA, gente MICHAELIORVM honesta et nobili in ea vrbe, quae anno demum cIↃ IↃCCXXIX sexagenaria maior e vita discessit. Educatus cum cura et litteris humanioribus imbutus, tum a patre, tum praesertim a TOBIA ECKHARDO Rectore ludi illius, viro docto sane, et ingeniorum formatore felicissimo. Harum litterarum amorem atque vsum cum in Ienensem Academiam attulisset, quod factum est cIↃ IↃCC XII, tanto faciliorem felicioremque seueriorum studiorum cursum habuit. Contigerunt illi doctores haud vulgares, qui praeclaram indolem, et ad summa quaeuis iam per se nitentem incitarent subleuarentque. In his primum ipse laudabat Virum excellentis doctrinae atque famae IO. IACOBVM SYRBIVM, qui felicissimo connubio vetera cum nouis coniungens, solidam et notionum et doctrinarum philosophicarum cognitionem illi propinauit. Hanc auxit deinde EPHRAIMVS GERHARDVS, subtilis et ingeniosus doctor tum naturalis iuris cum philosophia reliqua, tum ciuilis etiam, paullo post Altdorffium, et deinde ad alteram vitam euocatus. Historias enarrantem audiuit Illustrem dignitate et meritis virum, B. G. STRVVIVM, itemque BARTHOL. REICHARDVM, Bibliothecae tum praefectum, amoenissimo ingenio et excellenti historiarum et iuris publici notitia virum. Dedit etiam operam non perfunctoriam placidissimi ingenii et vere philosophici, doctrinae autem summae, viro GOTTL. STOLLIO, per litterariae historiae, in qua regnat, campos et amoena vireta auditores suos iam tum ducenti, et Excell. SCHMEIZELIO, terrarum descriptionem et insignium artem tradenti. Quae ab his acceperat magistris BRVNNQVELLVS, ea ad princeps institutum suum, hoc est, ad vniuersi iuris disciplinam tum percipiendam melius, tum elegantius exornandam, retulit omnia. Huic enim,

 feli-

felici et ſalutari Germaniae fato, ſe totum tradiderat, et praeter GERHARDVM modo laudatum, celeberrimos tum anteceſſores SLEVOGTIOS, WILDVOGELIOS, FRISIOS, SCHROETEROS, vita functos omnes, audiebat; praeter caeteros autem grauem annis, honoribus, meritis, atque Illuſtrem virum, WILHELMVM HIERONYMVM BRVCKNERVM, quem teſtem primo diligentiae ſuae atque doctrinae, mox dignitatis auctorem, et ſocerum denique habuit. Ab his cum percepiſſet iuris diſciplinam BRVNNQVELLVS, ſatiari tamen ſitis ipſius non potuit, ſed triennio integro Ienae exacto Lipſiam ſe contulit, non mercium magis aliarum, quam humanitatis, elegantiarum, doctrinae omnis emporium, ibique *LVDERI MENCKENII, FRID. PHILIPPI*, Excellentiſſimorum hominum, quorum floret diuque florebit memoria, itemque *CAR. OTTON. RECHENBERGII*, qui nunc, praeter reliqua maxima decora ſua atque nomina, primus Anteceſſor et Ordinarius facultatis Iuridicae Praeſes eſt; horum igitur ingeniis et doctrinis facultatem, quam ſibi Ienae comparauerat, ita auxit, vt in patriam reuerſus explicare illam et ad opem periclitantibus ferendam magno cum ſucceſſu adhibere inciperet. Scilicet hoc ſibi theatrum futurum putabat *BRVNNQVELLVS*, hoc ſtadium, in quo decurreret. Sed viſum erat Deo in illuſtriori longe ſtatione collocare virum rebus maximis parem, eiusque conſilii ſui expediendi hanc quaſi viam tenuit. *HENRICVS CASPAR* ab *VSLAR*, iuuenis tum et genere et ingenio florentiſſimus, in Academiam Ienenſem mittebatur anno ſeculi XVII. Illi cum quaereretur comes idoneus, inueniri non potuit noſtro praeſtantior. Hanc igitur occaſionem nactus non recoluit tantum iuris ſtudia, ſed ipſe quoque docendis priuatim aliis vires ſuas expertus eſt et auxit egregie. Quo facto conſilium cepit dignitatis Academicae petendae atque conſequendae. Neque ea in re difficultatis quidquam fuit, cum is eſſet *BRVNNQVELLVS*, quem cupidiſſime ornaret illuſtris ICtorum ordo, et magnum inde ſibi ornamentum conciliatum iri praeſagiret. Curſoriam quam vocant lectionem in

L. XVII.

L. XVII. C. de *PACTIS* habuit a. d. XIX. Sept. cIↄIↄccXVIIII. publice autem renunciatus Doctor est a. d. VI. Febr. cIↄIↄccXX. a quo inde tempore coetus priuatos iuuenum doctrinae ipsius cupidorum, disputationes item publicas * eo successu habuit, X 5 vt

* De criminum abolitione Praeside D. Ephraimo Gerhardo Ien. 1714.

Inaugural. Disp. de Codice Theodosiano eiusque in Codice Iustinianeo vsu, sub praesidio D. Wilh. Hieronymi Bruckneri Ien. 1719.

De conditione: *Si non nupserit*, vltimis voluntatibus adiecta 1722.

De Processu Arresti ad effectum sistendi 1725.

De Processu inhibitiuo in foris Saxonicis 1726.

De acquisitione dominii ex lege, quae fit ipso iure 1729.

De diuerso Patroni ecclesiastici et Laici iure 1730.

De variis iuris Patronatus acquirendi modis 1731.

Diss. inaugural. de ratione dicti testium 1732.

Diss. inaug. de vsu fructu mariti in rebus vxoris, moto super illius bonis concursu creditorum cessante 1732.

Diss. inaug. de iure Patronum honorifico primario, nimirum iure repraesentandi 1733.

Diss. inaug. de pictura famosa, et de specie Iuris Germanici, pacto nimirum, quo maiores nostri sub pictura famosa, *bey Straffe Schandgemähldes* sese obligarunt, occasione recessus Imperii de anno 1577. tit. 35. §. 7. Ienae 1733. et recusa 1734.

Diss. inaug. de Feudo Keminatae vulgo *Kemnad.* 1734.

Diss. inaug. de vtilibus Patronorum iuribus ex corrupto Ecclesiae significatu natis, parum vel plane non vtilibus 1734.

Programmata: Prolusio *von dem allgemeinen Staats-Rechte und dessen höchstnützlichen* Excolirung Ien. 1721.

Prolusio Academica de diligenti comparatione omnium eiusdem inscriptionis in Digestis capitum capienda, deque huius artificii inuentoribus et promotoribus Ien. 1724.

De sectis et controuersiis Iuris Iustinianei interpretum, quos Glossatores appellamus 1725.

De retractationibus veterum ICtorum, quorum fragmenta in Digestis supersunt 1726.

De ICtis Ercifcundis siue Miscellionibus, quorum fragmenta in Digestis supersint 1728.

De praecipuis solidioris prudentiae impedimentis Ienae 1728.

De variis veterum legibus suis sanctitatem auctoritatemque conciliandi modis 1729.

De solemnibus in executione sententiarum capitalium a Romanis adhibitis 1733.

De pictura honesta et vtili 1733.

Programma, quo priuilegium Saxonicum *de no[illegible]ellando* etiam querelam

vt tribus interiectis annis tam spectata virtus praemio insigni digna iudicaretur et ipse Curiae Prouincialis Saxonicae Aduocatus Ordinarius, tum post aliquanto Professor iuris Extraordinarius a Serenissimis Ienensis Academiae nutritoribus esse iuberetur. Hic vero campum nactus amplissimum, dotes ingenii ac doctrinae thesauros hinc auxit praeclare, cum rebus in foro gerendis quotidie operam daret, hinc cum aliis feliciter communicauit. Itaque anno saeculi XXVIII. Scabinorum quos vocant collegio, rebus litibus iudicandis, adscriptus, et biennio post ordinaria iuris professione et loco inter Curiae Prouincialis Saxonicae Assessores auctus est, quibus ornamentis accessit anno XXXIII. illud, vt a Serenissimis Saxoniae Ducibus Gothano atque Isenacensi Consiliarii Aulici dignitas ipsi conferretur. Quo plausu ipsum inter haec non iuuentus tantum academica exceperit, qua in re error non nunquam aliquis intercedere potest; sed quam probatus etiam sapientibus viris et longo vsu rerum prudentibus fuerit *BRVNNQVELLVS*, tum alia plurima documenta exstant, tum vnum maximum atque certissimum, quod cum *POTENTISSIMVS REX* noster, huic Academiae dari vellet virum et docendi iuris et dicendi peritissimum, qui auctoritatem conciliare nouae scholae, et allicere cupidam legum iuuentutem posset; hunc ipsi commendarunt Proceres Illustrissimi sapientissimique, quae res Augusto men-

se

relam nullitatis, supplicationem, similiaque remedia ad summa imperii tribunalia excludere ostenditur 1734.

De vsu linguae Germanicae veteris in studio iuris feudalis Longobardici 1734.

De iuribus Patronorum vtilibus spuriis 1734.

De Digestis secundum indicem legum Iacobi Labitti aliorumque κατὰ πλάτος et verbotenus excudendis. Gottingae 1735.

Prolusio, qua in pugna iuris Germanici et Romani illud huic, in primis in causarum illustrium decisionibus praeferendum esse, nisi huius receptio probetur, ostenditur. Gottingae 1735.

Libri: Historia Iuris Romano-Germanici, a primis Reip. Romanae atque Germanicae initiis ad nostra vsque tempora ex suis fontibus deducta. Ienae 1727. et Amstelodami 1730. recus.

Isagoge in vniuersam Iurisprudentiam, typis mandari coepta. Optandum exsistere alium aliquem Apellem, qui capiti pulchro membra reliqua subiiciat.

se superioris anni perfecta ita feliciter nobis cesserat, vt veniret ad nos Kalendis Martii, quo die quanta alacritate vestra, *CIVES*, exceptus, quantum modestia vestra delectatus fuerit, recordamini; vt gubernacula etiam Academiae nouae a. d. IX. Aprilis susciperet; vt humanitate sua et sapientia omnes sibi, tum collegas, tum ciues Academiae mirifice deuinciret: vt luculentum numerum eorum nobis iuuenum alliceret, qui vel a generis dignitate, vel ab ingeniorum praestantia flos Germaniae suo iure appellari possunt; vt nihil non felicis successus in posterum a spectata Viri prudentia, doctrina, gratia, omnes merito expectarent. Heu? recrudescit dolor! Sed constanter, quae supersunt peragamus: quamquam difficile est sine lacrumis nominare emendatissimi moris, et piam ad exemplum matronam SIBYLLAM CATHARINAM, Viri quem ante iam laudauimus Illustris WILH. HIERONYMI BRVCKNERI, Antecessoris primarii Ienensis et Consiliarii Serenissimorum Saxoniae Ducum, filiam. Hanc enim sibi BRVNNQVELLVS, virgo quae esset parentum suorum et sua virtute commendatissima, expetiuerat coniugem, est obtinuit a. d. xxv. Aug. cIɔIɔccxx. Hanc fidissimam vitae sociam ab eo tempore habuit, in eius commoditate, et placidissimis moribus, post labores molestiasque suauiter acquieuit; ex hac liberos suscepit patriarum auitarumque virtutum, quod auguramur, heredes, IOHANNEM HIERONYMVM SALOMONEM, CHRISTINAM DOROTHEAM, WILHELMVM SALOMONEM, et IO. ADOLPHVM. Hanc adflictissimam nunc turbam, et fauore omnium dignissimam, tanto minus vel hominum beneuolentia, vel diuino adeo auxilio carituram speramus, quo enixius elaborauit, dum potuit, quem lugent Maritus atque Pater, vt plurimae vel viduae mulieres, vel orbi parentibus liberi, in ipso paratum haberent praesidium, et ipso tutore vel curatore incolumitatem suam retinerent; quo studiosius integerrime atque sapientissime respondendo, iustissimisque ferendis sententiis, opem oppressis quam plurimis tulit, atque adflictos subleuauit. Qua quidem in re, hoc est in iure caste atque sapienter dicendo, et reliquis publicorum priuato-

uatorumque munerum laboribus adeo ſibi non pepercit, vt iam a ſatis longo tempore ſuccumbere interdum laboribus nimis grauiter incumbentibus machina corporis videretur, et ſolennibus fere morbis quotannis laboraret. Itaque ſunt inter nos, qui commemorantem audierunt, hanc ſibi inter praecipuas cauſſas fuiſſe migrationis in hanc Academiam ſuſcipiendae, vt per hanc occaſionem laboris aliqua parte leuatus reſpirare aliquantum, et nouam quaſi vitam paullo minus laborioſam poſſet ingredi. Affectum ſane corpus Iena ipſum extuliſſe, et illa gratulatio indicat, qua auditus eſt laetari, quod egredi domo poſſet, non ſupinus exportaretur; et bona medicamentorum copia, quam huc ſecum attulit, quaque primo tempore vſus eſt. Sed, quod modo dicebamus, plane ſibi aliisque reſtitutus videbatur, et vigorem omnem priſtinum recepiſſe, ipſa etiam adflictiſſima nunc coniuge admirante ſubitam in melius mutationem. Verum enim vero ſub finem menſis ſuperioris febre correptus eſt tertiana cum bilioſo vomitu et doloribus colicis. Ea porro febris poſt paroxyſmos aliquot in continuam tranſiit, vehementem, cum purpura rubra pariter et alba, euaneſcentibus ſubinde, nulla, de qua conſtet, occaſione data, exanthematibus. Inter haec anxietates ſummae exagitabant praecordia, non ſine metu ſuffocationis; vltimis diebus ſpaſmi accedebant; ſenſuum hinc retuſa acies, hinc conuulſiones, et vndecimo morbi die mors placidiſſima, cui fruſtra intercedere praeſtantium Medicorum cura conata eſt. Senſerat ipſe nihil ſibi humanae opis, temporis autem parum ſupereſſe. Itaque ad ſpem alterius vitae erigi ſe caeleſti epulo, domi per ſumme Reuerendum Sacrorum apud nos Antiſtitem PRAETORIVM adminiſtrato, voluit, atque aliis de rebus, quae poſt mortem ſuam vellet fieri, conſtituit; animamque immortalitatis ſemper appetentem Parenti animarum atque Seruatori vnico reddidit, vno ante impletum annum ſecundum atque quadrageſimum die, hoc eſt a. d. XXI Maii, hora III pomeridiana. Haue ſanctiſſima anima, et a magnis in breui licet vita peractis laboribus, ſuauiter adquieſce! Mortales exuuiae a. d. XXIII Maii in templi Academici cryptam ſunt illatae. Funeris honorem cras illi, hora II Regio iuſſu, eo apparatu, quem dignitas viri in Academico Magiſtratu defuncti poſtulat, habebimus, quem vos, CIVES CARISSIMI, ſummo ſtudio adiuturos eſſe, tum veſter in BRVNNQVELLVM amor, tum ea, quam in plerisque veſtrum amamus, modeſtia nobis perſuadet: quo minus illud vobis pro auctoritate iniungendum putamus.

P. P. a. d. XII Iun. CIↃ IↃCC XXXV.

II. MO-

II.

MONIMENTVM PIETATIS MEMORIAE OPTIMI PARENTIS SACRVM

HOC EST

VITA M. TOBIAE ECKHARDI

ILLVSTRIS GYMNASII QVEDLINBVRGENSIS RECTORIS, SOCIETATIS LATINAE COLLEGAE HONORARII

CONSCRIPTA

A

FILIO

CHRISTIANO HENRICO ECKHARDO

I. V. D. SOCIETATIS LAT. EPHORO.

VITA M. TOBIAE ECKHARDI RECTORIS ILLVSTRIS GYMNASII QVEDLINBVRGENSIS.

Illaetabile et perquam luctuosum est, quod suscepi, officium, eiusque praestandi necessitatem ipsa mihi natura videtur remisisse. Qui enim a me exigi potest, quod non sine horrore cogitare possum? quod dum praesto, non potest non refricari grauissimum, quod accepi, vulnus, et augeri mirum in modum ingens, qui animum angit et lacerat, dolor. Nemo est tam ferreus, quin vehementer adficiatur et commoueatur commemoratione iacturae, quam fecit, grauissimae. Cui non rigeant manus, dum ossa hominis sibi coniunctissimi legit? pauore membra occupantur, paternos colligendo cineres, eosque in vrnam sanctissime referendo, et horret animus meminisse fatalis necessitatis, quam venerandus in vita PARENS subiit. At potior sanctiorque est pietatis lex, qua patri filius addictus est, quaeque huic potissimum iniungit, vt iusta et suprema PIIS MANIBVS soluat. Probe hoc intellexit PLATO, ingenii doctrinaeque princeps, qui inter sanctissima filiorum officia primum hoc esse vult, vt monimenta defunctis parentibus dedicent, eorumque memoriam recolant et sacram habeant. (a) Veteres, sapientissimi cordatissimique mortales, suprema officia morientibus debita, proximis cognatis demandari fas esse iudicarunt. Spiritus et ossa morientium legere, oscula illis dare, eorum erat officium, qui proxima cum illis cognatione coniuncti erant. (b) Sancte mos hic Romae diu cultus est, quin lege ibi statutum erat, vt filius semper, si pubes esset, defunctum parentem funebri oratione pro rostris condecoraret. Testis eius rei locupletissimus est POLYBIVS, gra-

(a) PLATO de Legibus L. IV.
(b) quod erudite docuit IOANNES KIRCHMANNVS in eleganti libello de *funeribus Romanor.* L. I. c. V. L. III. c. VII.

grauisſimus diligentisſimusque rerum romanarum ſcriptor, qui laudatisſimam hanc Rom. conſuetudinem egregie expoſitam memoriae prodidit (c): *Circumfuſa*, inquit, *populi corona filius in roſtra adſcendit, ſi pubes relictus forte adſit, qui de mortui parentis virtutibus rebusque praeclare geſtis dicit.* Sylla quidem a filio Fauſto, quem reliquit, funebri oratione non ornatus eſt, vt APPIANVS ſcribit; (d) ſed nondum pubes is erat, id quod vel maxime ſecundum leges requirebatur: ideoque alius vir eius aetatis eloquentisſimus hoc officio functus eſt. Tiberius Imp. vero, nouem natus annos, defunctum patrem pro roſtris laudauit, quod SVETONIVS teſtatur. (e) Tam ſanctum, tamque carum ſupremum hoc officium Romanorum filiis fuit, vt nihil illo antiquius, nullum magis pium haberent, nec quisquam, quo ſtudioſius pietatis virtutisque ſtudium colebat, ab vllo ſibi illud praeripi patiebatur. Luculenter hoc patet ex Appii filii exemplo, qui vltro magiſtratum rogauit, vt ſibi more maiorum et ex populi Rom. conſuetudine patrem oratione funebri proſequi liceret. (f) Sapienter Romani rationes ſubduxerunt, quod filios ad ſupremum hoc officium vocarent, rati, hac pietatis profesſione ad virtutis ſtudium et ad aemulandas patrias laudes ſuos maxime incitari, memoriamque meritorum, quae a parentibus in filios profecta ſunt, perpetuo conſeruari. Praeterea, quum nihil magis valeat ad conſolationem et mitigandum dolorem, quam repraeſentatio et cogitatio parentis in nos meritorum, et vitae bene beateque ab eo tränsactae memoria; iure quodam ſummo vitam parentis commentandi prouinciam mihi vindico. Cedat igitur pietati dolor, nec me auertat lugendi materies, quam praebere poſſet haec commentatio; praeſtabo lacrimarum vectigal, memoriamque optimi parentis, in diuino animarum concilo

cilo

(c) POLYBIVS L. VI. Hiſtor. c. LI.
(d) APPIANVS de bellis ciu. L. I. p. 694. 695.
(e) SVETONIVS in Tiberio cap. VI.
(f) DIONYSIVS HALICARNASSENSIS L. IX. Antiquit rom. p. 611. edit. Sylburg. KIRCHMANNVS in libro citato L. II. c. XVIII.

cilio iam agentis, poſteritati pie commendabo, vt hoc ſempiternum et numquam intermoriturum pietatis, cuius laudem ſi conſequutus fuero, ſatis habeo, monimentum exſtet. Perhonorificum et magis glorioſum foret, ab alio et laudato viro eum laudari: immo tanto aequius eſt, eius virtutis teſtimonium ab aliquo perhiberi, quanto magis et praeclarius is de aliis in commemoranda poſteris eorum memoria meruit

In lucem anno a Sotere nato CIↃ IↃC LXII. ipſis Calendis Nouembribus deſideratisſimum PARENTEM editum excepit Iutrobocum, antiquitate et excellentiſſimorum ingeniorum prouentu, quo cum celeberrimis quibusque ciuitatibus contendere poteſt, nobilisſimum Saxoniae oppidum. Vitam poſt Deum accepit a patre IACOBO ECKHARD, honeſtisſimae exiſtimationis et ſpectatae inter ciues vitae morumque integritatis viro, et longo militiae equeſtris vſu rerum peritia prudentiaque haud vulgari praedito, qui honores militares et ciuiles fugit magis, quam expetiit, et oblatos accepit. Mater EIVS fuit ELISABETA SCHVLZIA, auo fidisſimo ſollertisſimoque oraculorum diuinorum interprete prognata. Ambo parentes inter ineuntis aetatis primordia parentibus ſuis peſtilenti lue orbati, inter fatales belli, per XXX. annos geſti, quae Germaniam adflixerunt, calamitates adoleuerunt. Perſpecta cognitaque eſt ſingularis parentum in filium pietas ex mira eum educandi ſollertia, quum nihil negligerent eorum, in quibus natorum conſiſtit felicitas. Prima igitur eorum cura erat, vt diuini foederis, quo Deus nos ſibi filios adoptat, particeps fieret, et fidei atque litterarum primis elementis imbueretur. Quae, priuata inſtitutione tradita, quum ſine vlla opera arripuiſſet, patrio ludo a parentibus traditus eſt, vt in eo publice ingenii dotes oſtenderet, quibus ſtatim ipſam praeceptorum ſpem anteuertit, dum cito quatuor patriae ſcholae ordines ſuperiores transiret. Videbant fidelisſimi felicisſimique ingeniorum formatores excitatae indolis praeſtantiam, quam luculentisſimis ingenii documentis editis comprobabat, et ex arripiendi ea, quae tradebantur, cupiditate et celeritate collegerant, vt certatim ſuaſores auctoresque parenti eſſent, vt filium optimae ſpei littera-

terarum et publicae rei vſui conſecraret. Natura enim maximo amore ad liberalium artium culturam ducebatur, quam maxime alienus ab omni illiberali arte et domeſticis negotiis. Praeclariſſimum hoc in futuram aetatem omen videbatur, quo in illo formando poliendoque publicae rei ſe profuturos certiſſime ſperabant. Solet enim ſummum, quod cuncta nutu ſuo gubernat, Numen ſignis ante diuinae voluntatis declarare, quibus vſibus homines deſtinauerit. Compluribus hoc exemplis comprobari poteſt, quibus praeſentiſſimum Numinis auxilium ſenſit B. Parens in vitae periculis, in quibus adhuc infans ſemel iterumque verſatus eſt. Quum initiandus eſſet ſacri foederis ritibus, eamque ob rem in templum geſtaretur, parum aberat, quin per limina in templum, dum incautius deſcendit oblatura ſacro fonti matrona, manibus eum excusſiſſet, niſi ſocia auxilio fuiſſet. Singulari quoque Dei O. M. prouidentia ſeruatus eſt in ſummo vitae diſcrimine, in quo fuit, quum vix quatuordecim dies lucem adſpexiſſet. Incendio vicinae aedes correptae, dum cereuiſia coquitur, paene conflagrabant, et paternis iam ardentibus, et vix ac ne vix quidem ab interitu liberatis, alio transportatus Parens meus vitae periculum effugit. Aliud et plane admirabile diuinae curae et prouiſionis documentum expertus eſt ineunte aetate, quum non multo ante alterum aetatis annum egreſſus eſſet. In ſummum vitae diſcrimen venerat adſcendens in alteram aedium paternarum contignationem, vt poma peteret, ſed deſcendens ſcalas non recte ingreditur, et aberrantibus veſtigiis grauisſimo periiſſet lapſu, niſi induſium, quo indutus erat, ferreo clauo correptum fuiſſet, et ſic medius pependerit, donec ad clamorem auxilio alii ſuccurrerent. Quae aliaque ſimilia diuini auxilii in tot periculis luculentisſima argumenta gratisſimae deuotaeque mentis adfectu idemtidem B. Parens praedicauit, et fecerunt, vt fretus ſapientisſima Numinis prouidentia, numquam rebus diffideret ſuis. Traditus vero probatisſimorum, qui bonas artes docebant, hominum diſciplinae, ſedulo fideliterque iis litterarum ſtudiis, quibus prima aetas impertiri ſolet, imbutus eſt, eorumque cura et ſtudium permultum ipſi ad egregiarum artium

 cul-

cultum profuit, quorum in erudiendo fidem, operam, diligentiamque gratissima semper memoria magnopere coluit. Praeparatam sic et praemunitam probe primis litterarum fundamentis indolem maiori cura expoliendam effingendamque susceperunt sublimioris scientiae doctores, qui ad formandam illam omnem operam adhibuerunt. Multum in primis debet M. DELITZIO, ludi patrii conrectori sedulo, et M. CHRISTOPHORO GRAVELIO, eiusdem scholae rectori praeclare merito, post proximis a doctore in arte salutari honoribus ornato, et ciuitatis Physico experientissimo, itemque consuli grauissimo, in quorum scholis optimarum scientiarum doctrinis rite innutritus est. Nec minus M. CHRISTIANO SCHARNOVIO, qui in prouinciam, qua GRAVELIVS laudatus se abdicauerat, successerat, praeceptore vsus est admodum industrio, et post in TEVPITZII, quem fata vix ostenderant, et eius in munere conrectoris successoris KRVGHII, virorum clarissimorum, disciplinam venit. Ibat recuperatae salutis annus cIↃ IↃC LXXIX. quum Numburgum beatus parens concedere cogitaret, vt doctissimorum hominum, quos bonae mentis officina ibi florentissima fouebat, doctrinas in vsus referret suos, domestica viri cuiusdam clarissimi, cui commendatus erat, institutione magis adiuuandus subleuandusque. Sed intercepit eius consilium morbus, qui tum eum adflixerat. Febri enim inter ipsa dispensati sacri epuli sacra corripiebatur ante nundinas, quae Lipsiae verno tempore celebrantur, ad quas parens ipsius adire, et post eum inde Numburgum adducere constituerat. Quae mox in ardentissimam degenerans, et maiori vi et impetu semel atque iterum recurrens in mensem vsque Iulium eum domi retinuit. Postquam paullo morbo leuatus, et satis confirmata valetudo esset, circa festos dies Cereales ad bonarum artium mercaturam, Halam, contendit, vbi in Gymnasio celeberrimo a viris eruditissimis, formandaeque iuuentuti maxime idoneis, M. IOANNE PRAETORIO, qui tum summa cum laude rectoris munere fungebatur, et M. CONR. SOLBACHIO, a quo postea cum lacrimis dimissus est, ad mansuetiorum litterarum cultum adprime institutus est. A M. ALBERTO ROTTHIO, tertii ordinis alumnorum praeceptore soller-

lertisſimo, hebraeae linguae praecepta hauſit, tum, quum funeſtum cometae ſidus, in caelo fulgens, Germaniae cladem portenderet anno cIↃ IↃC LXXXI. Huc delatus nihil ſibi prius faciendum exiſtimauit, quam vt, editis doctrinae ſpeciminibus, publice ingenii vires experiretur, et maiori cupiditate animique alacritate ad bonarum litterarum cultum contenderet. Quibus rebus facile impetrauit, vt inter aequales prae ceteris ingenio et doctrina exſplendeſceret, et praeceptorum ſpem de ſe conceptam exſpectationemque egregie ſuſtineret. Viderat hoc laudatisſimus PRAETORIVS, quam primum eum adſpexerat, et augurium felicisſimum, quod de eius diligentia ex editis documentis et bonae frugis exſpectandae indiciis ceperat, non fallebatur, quoties eius rei faceret periculum. Accidit hoc paullo poſt, quam acceſſerat, et vix menſem ibi degerat, quum PRAETORIVS exercitationem ex tempore graece excipiendam dictitaſſet, vno alteroue fruſtra euocato, ſpe optima plenus tandem parentem, qui tamen tum vltimum in ſuperiori ordine locum tenebat, his compellauit verbis: *Eckharde TV habebis*, qui etiam ſine mora ſpecimen doctrinae, ſubito natum et pro ingenii viribus graece elucubratum, recitauit. A primis aetatis annis ſingulari graeci ſermonis ſtudio tenebatur, et prae ceteris ad accuratiorem eius intelligentiam maiori niſus ope atque induſtria, hoc conſequutus erat, vt eruditionis, quam in his litteris ſibi comparauerat, non ſemel daret documenta, et graecis verſibus more ſolemni diem natalem eius, qui ludum moderabatur, ſaepius concelebraret. Huius laudabilis inſtituti, quod illi ipſi multum profuit, hunc etiam fructum tulit, vt tum praeceptorum amore et fauore inſigni frueretur, tum honoratiorum et nobiliorum commilitonum ſtudiis floreret, iisque ob diligentiam et ingenii felicitatem carisſimus eſſet. Iam infecta erat ciuitas lue funeſta, eiusque vis acrius graſſabatur, qua plures iam homines necati erant, vaſtatae fere et exinanitae funeribus plures domus, et eo paene ventum erat, vt aditu redituque publico vrbs intercluderetur. Quare diutius hic commorari tutum non erat: ſed ſingulari Numinis prouidentia commodam diſcedendi occaſionem nactus, clauſis iam

 tri-

triginta amplius domibus, adulta hieme d. xv. Ianuarii anno cIↃ IↃc LXXXII. rheda Serenissimae Ducis Augusti viduae, quae salutis suae custodem et comitem Halam remiserat, scriptis sibi ipsi litteris, liberum commeatum praestantibus, vectus, intactus contagione incolumisque patriam repetiit. Sed otium, quod hic secessus in patria fecit, et quod a suauissimo cum Musis commercio paullo alienum erat, ferre diutius non potuit. Praeter ea non consultum rebus suis fore iudicabat, aliam adire scholam, et iis, quae in illa traduntur, disciplinis, diutius operari. Constitutis itaque rite studiorum rationibus, et iactis ante earum litterarum, sine quibus nemo ad doctrinae quemdam habitum peruenire potest, fundamentis, Vitebergam non multo post abiit, ad celeberrimum sanctissimumque omnis sapientiae eruditionisque domicilium. Huic quum redditus esset, iis potissimum litteris artibusque, a quibus praesidium et ornamentum sanctioris disciplinae studium, cui sese addixerat, caperet, animum primum excolendum statuit. Hinc per omnem interiorum litterarum ambitum et humanae sapientiae studia ad solidam rerum diuinarum cognitionem grassatus est, praestantissimos cuiusque scientiae doctores eligens, qui viam ipsi ad doctrinam consultissimam praemunirent. In scholis doctissimi REMLINGII, philosophorum ordini tum adscripti, post publico docendi munere apud Gryphiswaldenses fungentis, praeceptiones philosophiae rationalis, et eius, quae in cognoscendis et eruendis rerum principiis versatur, quam Metaphysicam adpellamus, imbibit. Ex eiusdem recitationibus aeterni et immutabilis iuris, quod nobiscum natum est, cuius praecepta singulis hebdomadibus ad disputandum proponebantur, insignes se doctrinae et philosophiae accessiones fecisse, identidem grata mente professus est. Multum laudatus REMLINGIVS parenti probabatur, vtpote qui non in scholasticorum tricis haerebat, nec vanas, abstrusas, et infelici macritudine collabescentes doctrinas amabat, sed cultas et selectas complectebatur. In indagandis rerum naturalium rationibus praeiuerunt ipsi CHRISTOPHORVS REVCHLINVS, ad sanctiores litteras publice docendas post Tubingam vocatus, qui eos sectabatur, qui in principiis corporum naturalium quae-

quaerendis definiendisque Mosaicam amant doctrinam, et vir percelebris nominis, doctrinaque praestantissimus, D. CHRISTIANVS VATERVS, cuius publice prostat Physica experimentalis. Ex CHRISTIANI DONATI ore philosophiae dialecticae, sublimioris, et eius, quae circa corporum magnitudines dimetiendas versatur, doctrinas sedulo cupideque arripuit, et quum hic principia regulasque Metaphysicorum publici iuris facere vellet, parentis mei vsus est exemplo, manu exarato Confectis sic in philosophorum academia spatiis, in philologiae ambitum penetrauit, et primum ad linguarum, quae in oriente floruerunt, cognitionem adquirendam omni opera ac studio incubuit. Duces in hoc studiorum genere sectatus est FLORIANVM et KLEPPERBEINIVM, praeclare tum has litteras docentes, et ab hoc, qui Ieuerano in Frisia orientali Gymnasio moderando post praefectus, et dein sacrorum Antistes constitutus est, duosque filios parentis, rectoris Quedlinburgi munere fungentis, disciplinae fideique tradidit, ad litterarum ebraicarum, chaldaicarum et samaritanarum cognitionem perductus est. Audiuit quoque THEODORVM DASSOVIVM, linguas orientis summa cum nominis celebritate publice docentem, et antiquitates Ebraeorum de decimis primis atque secundis, de votis, de primitiis egregie interpretantem. Ex BALTHASARIS STOLBERGII, viri graecarum litterarum scientia illustris, commentationibus in Demosthenis orationem de pace, et in diuini Pauli posteriorem ad Timotheum epistolam, eiusdemque antiquitatum graecarum praelectionibus, et elegantissimis interpretandi artis doctrinis, egregia graecarum litterarum praesidia cepit. Quam ob rem aegre admodum praematurum STOLBERGII ex rebus humanis excessum tulit, praesertim, quum is in eo esset, vt criticae artis praecepta tradere vellet, suamque de stilo, quo sacri scriptores in noui foederis libris vsi sunt, sententiam publice ad disputandum proponere et tueri instituerett. Incomparabilis et summi nominis Polyhistoris, CONRADI SAMVELIS SCHVRZFLEISCHII, cui se in primis addixerat, scholas tam publice, quam priuatim habitas per sex annos obiit, vt, quanto maiori litterarum interiorum

riorum ſcientiae laude prae aliis excellebat SCHVRZFLEISCHIVS, tanto cultiorem et exquiſitiorem eruditionis adparatum ex eius doctrinis ſibi colligeret. Idcirco, quoties memoriam rerum, aut in ſanctiori coetu, aut in rebus publicis geſtarum, duce immortali PVFENDORFIO, in introductione in hiſtoriam, ex annalium vetuſtate praeclare erueret, vel noui foederis libros obſeruationibus elegantiſſimis erudite illuſtraret, vel antiquitates et ritus veteris puriorisque ciuitatis ſacrae adcurate exponeret, toties non niſi ſumma cum voluptate ex eius docentis ore pependit. Nec minus diligenter ſectatus eſt elegantiſſimum doctisſimumque virum GEORGIVM CASPARVM KIRCHMAIERVM, memoriam optimi ſeruatoris, vitam pro humani generis ſalute profundentis, ex hiſtoriarum vetuſtate replicantem. Inſtructus ita philoſophiae et elegantioris litteraturae praeſidiis, ſanctioris diſciplinae ſtudium ſuſcepit, et praeceptore per aliquot annos vſus eſt venerabili ſanctioris diſciplinae doctore, IO. DEVTSCHMANNO, quum ſacrarum litterarum doctrinas exponeret, aut examinando et diſputando diſcipulos exerceret. In primis vero doctrina et meritis florentiſſimo D. MICHAELI WALTHERO adhaeſit, operamque diligentisſimam dedit, quum Theologiam poſitiuam, a Calouio editam, interpretaretur, et potiſſima controuerſiarum, quas Calouius in ſynopſi exhibuit, argumenta exponeret. Huius diuinae doctisſimaeque ſcholae mirifice ad non proletariam ſanctioris diſciplinae ſcientiam parenti profuerunt, et inſignes fructus ex diſputandi, quod WALTHERVS inſtituerat, exercitio cepit. Neque vero adeo WALTHERO addictus fuit, vt huius tantum lare ſe tueretur, nec CALOVIOS, ad cuius ſcholas ingens concurſus eo tempore fiebat, QVENSTADIOS, MAYEROS in praelectionibus Antipapaeis, homileticis, litterariisque ſacris, veneranda Academiae Vitebergenſis lumina, et eximia ſanctioris diſciplinae decora adiret, et ex eorum recitationibus partas doctrinae opes confirmaret. Nec eam Theologiae partem, quae homiletica dicitur, omiſit, quam tum primum Vitebergae docere coeperat THEODORVS DASSOVIVS, qui dicendi praecepta tradidit, et CHRISTI, vitam ponentis, hiſtoriam pro con-

concione tractandam illustrauit. Socius collegii interfuit sexaginta et aliquot concionibus sacris, quae DASSOVIO praesente a sanctioris disciplinae cultoribus recitabantur, et censoriis audiebantur auribus. Qua in re quum ingenii felicitatem, doctrinaeque praestantiam, saepe declararet, aliorum, qui litteris operam dabant, studia fauoremque sibi conciliauit. Indefessa itaque industria tantas doctrinae accessiones fecerat, et id adsequutus erat, vt ad mercedem laboris studiique praemium iure quodam adspirare se posse existimaret; ideoque philosophiae magistri honores a cIↃ IↃC LXXXVI. praemiorum dispensatore, et ordinis Philosophorum Decurione, viro longe celeberrimo, MICHAELE WALTHERO, tum Mathematum Professore publico, capessiuit. Nec solo se ostentauit nomine, sed insignia illa eam ob caussam ceperat, vt partae doctrinae suppellectilem explicaret, legendo confirmaret, et docendo amplificaret. Quare statim anno post in publicum eruditorum conspectum prodiit, et in litterato certamine prius de voce ἅδης Praeside CONRADO SAM. SCHVRZFLEISCHIO disputauit. Nec domi solum, et intra priuatos parietes tum industria eius eluxit, quum discentibus se dare coepisset, et scholas aperuisset, litterasque graecas et ebraicas alios doceret; sed foris eam quoque nobilitauit, cum elucubratis ingenii monumentis, quorum septem post id tempus in cathedra, curuli eruditorum sella, praeses disputauit, et a dissentientium oppugnationibus vindicauit, tum publice in Alumneo aliorum doctrinas lacessendo, et in dubium vocando. Sequutum igitur est alterum virtutis praemium, quo a Philosophorum ordine cohonestatus est, quum eum sibi adscriberent: quem locum, perbenigne concessum, sibi adseruit habita mox dissertatione anno cIↃ IↃC LXXXIX. de *funesto Iudae exitu*, quod argumentum ipsi a venerandorum diuinae sapientiae interpretum Decurione, D. IO. DEVTSCHMANNO, suppeditatum erat, vt b. CALOVII sententiam ab ANDREAE AVSTENII, Rintelensis Professoris, oppugnationibus vindicaret. Nouus iam et amplissimus parenti campus patebat, in quo ad doctrinae egregiae decus nitentis studium m[illegible]gis exsplendesceret, et partas

 eru-

eruditionis opes amplificaret, tum contra ea, quae ab aliis disputata erant, publice dicendo, tum diuinioris scientiae doctrinis alios erudiendo, quam potestatem, diuina oracula interpretandi, precibus sine vllo negotio obtinuit, et dissertatione, auspiciis D. IO. DEVTSCHMANNI *de Iustificationis in veteri nouoque testamento ratione vna et eadem ad Ps. XXXII. 1. 2. et Rom. IV. 7. 8.* anno cIↃIↃcxcI. habita, sibi propriam reddidit et confirmauit. Ita nunc iuuentutis, litterarum studiis consecratae, commodis inseruiebat recitationibus, quibus Koenigii Theologiam positiuam illustrabat, item sacrae eloquentiae praeceptis alios imbuebat, et adolescentium ingenia examinando acuebat magisque perpoliebat; ipse vero hunc insignem fructum cepit, vt docendo doctrinae eius copiae crescerent. Hae erant studiorum rationes, quas optimus parens tenebat, sic iucundissimum otium academicum ab eo ponebatur, et in his occupationibus euigilabant eius curae cogitationesque. Quum sic in studiorum cursu versaretur, anno cIↃIↃcxcI. ipso Michaelis die litteris, ab amplissimo Stadensis ciuitatis senatu missis, Con-Rectoris in Gymnasio, quod ibidem florebat, munus, ipsi, ciuium Stadensium, in Academia degentium, studiis commendato, oblatum est, quod suscepit, quum clarissimos ibi viros docendi munere functos esse intelligeret. Semel iterumque antea ipsi Rectoris, speciatim Corbacensis, prouincia commendata erat, cum ab aliis, tum potissimum a SCHVRZFLEISCHIO, qui ipse olim eam sustinuerat, eiusque obtinendae sponsorem itemtidem se obtulerat. Sed tunc eam deprecatus erat, vtpote qui non statuerat scholastico pulueri vitam curasque suas consecrare. Verum, quod ipse crebro dicere consueuit, traxit tandem illum fatum, quum ducere volens sequi primum renueret. Concessit verò Stadam, et habita pro concione litterata sollemni oratione, munere decreto felicibus auspiciis initiatus est. Quo facto Vitebergam rediit, et vasa sua conclamauit Stadamque transferenda curauit. Sed non ante ab hac celeberrima litterarum sede et benignissima studiorum suorum nutrice plane auelli potuit, quin procinctus et paludatus adhuc in eo sapientiae delubro doctrinae in illo

adqui-

adquifitae monimentum, quum fignum daret receptui, dedicaret. Difputauit igitur de *fonte haerefium* ad Coloff. II, 8. d. XII. Decembris anno CIↃIↃCXCI et paullo poft Praefide D. MICHAELE WALTHERO de *difputationibus academicis*, vt vetus difcipulus fub veteri praeceptore, quae verba erant WALTHERI in publico congreffu, nouisfimum in Academia fpecimen ederet. Singulari fauore hoc WALTHERVS parenti meo dederat, vt is initium faceret collegii, quod inftituerat cum nonnullis, difputatorii theologici, reiecta in aliud tempus alia differtatione de *Legislatore Chrifto*, formis maximam fere partem defcripta. Perfequi tamen incepta non potuit Waltherus, et paullo poft mors nobiliffimas eius curas intercepit, vltimaque fuit haec difputatio ab eo habita. Qua finita mox eodem die Stadam profectus eft, et muneris partes capesfiuit, quas ita tuitus eft, vt explerentur vota patronorum, fic, vt anno poft AVGVSTO VARENIO, rectore ad aulica minifteria obeunda Suerinum euocato, fponte rectoris munus ipfi demandaretur, quod nulli antea Con-Rectori inter frequentisfimas etiam mutationes contigit, nec poft illum, etfi ter nouus fit Rector conftitutus. Quo in munere ad annum CIↃIↃCCV. omni fide, dexteritate, et induftria verfatus eft, cuius rei illi teftes funt, qui difciplinae eius fuerunt alumni. Subcesfiuas horas, et, quod a munere vacuum dabatur otium, aliis ftudiis donauit, nec vmquam minus otiofus fuit, quam quum otiofus effet. Sic Iudaeorum magiftro, qui ad puriora religionis noftrae facra transierat, vt Rabbinicas litteras ex eo cognofceret, operam dedit, Gallicae etiam, et nouisfime Italicae linguae magiftros domi audiuit, eo confilio, vt harum linguarum fcriptores legere poffet. Adfluebat Stada viris eruditisfimis D. IOANNE DIECMANNO, nominis et doctrinae celebritate infigni, IODOCO HACKMANNO, confule et regio confiliario, doctisfimo ICto, qui animi et pietatis in Deum ftudii cauffa noui foederis libros, Syriaco fermone confcriptos, legebat. Praeter haec eximia decora et ornamenta haec ciuitas colebat et oftentabat IO. FAES, DIETERICVM VON STADE, aliosque complures, doctrinae laude fatis confpicuos, quorum amicitia et fauore ita fruebatur, vt

 ex

ex eorum consuetudine dulces et summos ceperit fructus. Praelectiones in nobilissimo illo Lyceo receptae sic erant comparatae, vt haud oscitantem doctorem requirerent, et anniuersariae lustrationes docentium maxime caussa fiebant, vt, quae docendi ratio esset, quaeque traderentur iuuentuti, intelligeretur. Summo iure Stadensi magistratui hanc gloriam deberi parens agnouit, non vulgarem, sed praecipuam illi bonarum mentium officinae curam fuisse, quae eo amplior et excelsior est, quo certius est ob hanc prouidentiam spem summae felicitatis in omne aeuum laetissimam transmitti. Quod opinione iam inde ab antiquissimis ducta temporibus, et sapientissimorum hominum consensu firmata comprobatum est, augeri doctrinam doctissimorum virorum consuetudine ac sermonibus, et Vlysseam sapientiam non in vnius Ithacae finibus conquiri; illud probe intelligens parens, in rem suam vertit. Hinc non domi semper haesit, sed in viciniam subinde excursiones fecit, vt clarissimorum virorum amicitiis illigaretur. Salutauit viros, quos Hamburgum fouit, doctos, vtpote Petrum Schulzium, seniorem venerandi sacrorum antistitum collegii, IO. FRIDER. MAYERVM eloquentiae iuxta, et eruditionis laude excellentissimum, cuius consuetudine iucundissima et conuictu aliquoties vsus est, Vincentium Placcium, Gerhardum Meierum, Balthasarem Menzerum, et IO. ALBERTVM FABRICIVM, Polyhistorem summum. Conciliatis sibi studiis doctissimorum hominum, qui Vismariam ornabant, AVGVSTVM PFEIFERVM, aliosque Lubecae, et IO. FECHTIVM, IO. NICOL. QVISTORPIVM, KLEINIVM, ICtum, SCHAPERVM, Medicum, et alios Rostochii conuenit. Kilonii adiit CHRISTIANVM KORTHOLTIVM, grauiter tum morbo decumbentem, et non diu post congressum e viuis discedentem, HENR. OPITIVM, IO. BVRCKARDVM MAIVM, GEORG. PASCHIVM, aliosque plures. Reuertens domum Suerinum transiit, et apud Augustum Varenium, suum ante collegam et hospitem diuertit, qui tum SERENISSIMI DVCIS a litteris secretioribus erat, et aulae rationes, eo auctore, penitius perspexit ac cognouit. Inuisit etiam sacrorum eius loci antistitem SCHÜTZIVM,

qui

qui instar magni pretii thesaurum praedicabat ingens volumen thematum genethliacorum, quae Henricus Voigtius, germanicae in Stadensi Lyceo classi praefectus, et Regis Sueciae Mathematicus, quem honorem fastis editis meruit, suo ingenio inuestigata conscripserat. Bremae salutauit Eggelingium, antiquitatis reique numariae peritissimum, Gassitium, Lipstorffium, Pohlemannum, moderatores regii Athenaei doctissimos. Ibi quoque in interiorem amicitiam GERHARDI VON MASTRICHT, eruditissimi reipublicae Syndici venit, qui litteris humanissimis parenti auctor suasorque fuit, vt Lexicon ecclesiasticum, quale postea a IO. ANDREA SCHMIDIO accepimus, conficeret, subsidia quoque huic instituto inseruientia liberaliter perofficioseque pollicitus; quam tamen operam, vtpote viribus suis tum maiorem parens est deprecatus. Glückstadium delatus Marquardi Gudii splendidissimam bibliothecam lustrauit. Sic omni fide et industria, quam illi loquuntur, qui eius institutione excitati et compositi reipublicae muniis admoti, rei communis saluti egregie consulunt, Stadae muneri praefuit vsque ad annum redintegratae salutis huius saeculi quartum. Hoc enim tempore factum est, vt cum doctrinae commendatione, tum nominis existimatione foris amplificata ad munus Quedlinburgense Lyceum regendi suscipiendum vocaretur. Strenue rem agebat et vrgebat celeberrimus, et in rerum diuinarum scientia versatissimus D. GERHARDVS MEIERVS, sacrorum apud Bremenses antistes, fautor et amicus vetus ex academia parentis, cuius hortatu et intercessione delatum sibi munus accepit. Vix hoc capessiuerat, quum *Serenissima atque Reuerendissima Saxoniaè Dux* et *Antistes* ANNA DOROTHEA, cuius singularis in se gratiae praeclara documenta viderat, summo parentis dolore fatis concederet. Nec hic officio suo defuit, sed eius partes omnes ita confecit, vt nihil praetermitteret eorum, quibus et ad doctrinae habitum cultumque, et ad morum humanitatem ingenia fidei eius commissa instituerentur, inprimis autem vera et non fucata in Deum pietate imbuerentur. Ipse sane vberrimum laboris sui fructum ad conscientiam suam retulit, quamuis diuersam scholastici muneris

neris rationem, et non eamdem vbique curam bonarum mentium officinarum geri experimento addiſceret et obſeruaret. Cognouit enim Quedlinburgi, quantum interſit inter ſcholam humaniſſimis legibus optimisque inſtitutis temperatam, et eam, quae tremenda magiſtri auctoritate et illiberali diſciplina gubernanda eſt. Sane, quod Diogenes Cynicus de Euclidis ſchola dixit, eius σχολὴν eſſe χολὴν, *bilem*, et Platonis διατριβὴν eſſe κατατριβὴν, *inſtitutionem eſſe conſumtionem*, * illud optime in Quedlinburgenſem conueniebat. Bilem ſaepe ei mouebat neglecta diſcendi ratio, et moleſtias, quibus per ſe plenisſimum eſt tale officium, augebat varia et paene ſordida, litteratoque homine indigna curandi et adminiſtrandi officium, et conſtitutus ibi cumulatarum praelectionum modus vires deiiciebat conſumebatque. Nec abhorruit a conſilio ducendae vxoris, ſed diu, vt ipſe ait in vitae ſuae commentariis, fato, neſcius, an ſingularibus de cauſſis diſtulit matrimonium, ad quod tandem animum adiecit, et cum virgine honeſtiſſima lectiſſimaeque virtutis MARIA MARGARETHA BROKIA, *viri ſumme Reuerendi atque Magnifici* HENRICI MATTHIAE *de* BROKE, ſanctioris diſciplinae doctoris, et per Ducatum Altenburgenſem ſupremi ſacrorum antiſtitis, et conſiliarii eccleſiaſtici relicta filia natu minima in connubii foedus d. VII. Ianuarii an. MDCCVIII coiuit. Ex quo coniugio, per duodeuiginti annos cum coniunctiſſima ſuauisſimaque vitae ſocietate transacto, quatuor ſuſcepit liberos, duo filios totidemque filias, quarum prior DOROTHEA FRIDERICA ſeptimo aetatis anno acerba morte exſtincta, mortalitate naturae parentem anteceſſit anno CIↃIↃCCXVII. et magnum ob praeclaram indolem parentibus optimis dolorem reliquit. Superſtites adhuc parentem optimum lugent duo filii CHRISTIANVS HENRICVS et IOANNES FRIDERICVS, inter quos media filia eſt SOPHIA DOROTHEA, nupta haud pridem viro praeclariſſimo atque ampliſſimo M. IO. CASPAR. EBERHARDO WIENEKENIO, qui moderando Gymnaſio Quedlinburgenſi praefectus, de bonis litteris praeclare meretur. Nihil prius, nihil antiquius habuit

* DIOGENES LAERTIVS L. VI. 24.

buit parens, quam, vt nos rectis verae religionis in Deum praeceptis erudiret, et in litterarum ſtudiis ad ſolidioris doctrinae habitum adoleſceremus. Ad haec pueritia noſtra formata et edocta eſt, ad illa inſtituti ſumus ſumma indulgentiſſimaque venerandi patris cura, vt immortales ILLI gratias debeamus, eiusque ingentia in nos merita numquam intermoritura memoria gratisſima piaque mente colere et praedicare noſtrum ſanctisſimumque ſit officium. Inter moleſtisſimos labores frequentisſimasque et paene quotidianas indignandi cauſſas, quod ſingulare ſupremi Numinis beneficium fuit, valetudine vſus eſt firma, et admodum proſpera. Turbata illa paullum et concuſſa mox initio infinitis, quibus obruebatur, laboribus. Diſcentium latinae orationis ſpecimina vitiis purgare et lima emendare tam laborioſum et moleſtum eſſe illi ſciunt, qui huic operi tamquam glebae adſcripti ſunt, vt ipſi Herculi illud impoſitum fuisſet, non aliter is exiſtimare potuiſſet, quam in decimum tertium laborem ſe incidiſſe. Hoc adflixit et adtriuit eius corporis vires, et, quod ex ſedentaria vita oritur, malum hypochondriacum ſibi contraxit, quo grauisſime laborauit. Quo inimico litteratis morbi incommodo ſalutaris artis vſu et facultate praeſtantisſimi CHRISTIANI VATERI, Vitebergenſis ſui aeui Aeſculapii, cura feliciter ſublato, cum lateris incommodis conflictari coepit, et colicis doloribus frequenter adfectus eſt, quibus vſu aquarum Pyrmontenſium praeter opinionem liberatus eſt, et ex eo tempore conſtans fuit valetudo, optimeque valuit, niſi quod pituita et diſtillationes ſaepius eum adflixerint, et tusſi grauiter vexaretur. Quum ingraueſceret eius aetas multo plus et vehementius illum tentarunt morbi vitia, aliaque, quae ſenectus ſimul et confertim adportat mala, quibusque mentem concutit et deprimit. Oppreſſo iam tot laboribus et fracto tot curis corpore, ſuperuenientibus illis ſymptomatibus magis magisque in dies vires eius deiiciebantur. Stato fere tempore redibat tusſis, ſed nouisſimis annis ſemper vehementior, et ita, vt ſiccior eſſet et nihil egerere poſſet, ſatis luculento argumento, naturam iam adfectam et corruptam eſſe, aut, amiſſa illa, alia et longe grauiora incommoda ſentiebat. Accidit hoc anno cIↃ IↃcc XXXVII,

quo

quo cum pluribus eiusmodi incommodis conflictari coepit, et primum grauedine et tussi laborauit, ita, vt magno conatu nihil fere sualoris eiicere posset. Accessit post diarrhoea, quae male admodum eum habuit, et nimis vires prostrauit et exhausit. Sed, vti aliud ex alio nascitur, malum eum inuasit, quo cum perpetuo mingendi conatu, inanis tamen fuit egerendi cupiditas, ex quo dein natae sunt haemorrhoides, quae multo dolore eum excruciarunt. Nec tolli, aut leuari potuit mali vis optimis et conuenientissimis remediis viri experientissimi et salutaris artis vsu probatissimi, ALBERTI CONRADI KAVLITZII cura adbibitis, vtpote quod vitium non tam arte salutari, quam natura ipsa optime corrigitur. Inter illas infirmitates non lecto decubuit, nisi nouissimis diebus, stationemque suam numquam deseruit, et adhuc officio suo functus est, licet iam confectus, viribus, vna alteraue ante mortem die, vt vere dixeris docentem e statione sua in meliorem vitam euocatum esse. Inuitus supersedebat labore ordinario, nonnumquam non sine valetudinis incommodo, et vix precibus hoc vt faceret adduci poterat, ne quid spei votisque ciuium et iuuentutis, delicii sui, commodis profuturum, subtraheretur. Longissime abhorrebat a more istorum, qui molles et delicatuli in vita, qua otio fere diffluunt, leuissima quaque aura sinistre adflati statim effeminantur, et vicaria opera splendide, sed turpiter vtuntur. Sed quum variis illis adfligeretur incommodis, mortalitatis leges saepenumero cogitans, decretoriam vltimamque horam non longe abesse animaduertit. Non sine lacrimis et summo animi dolore legi litteras, paterni amoris plenissimas, quae nunciabant admoneri se de vltimis ob infirmitatem, vasa sibi colligenda esse, Deique curae et prouidentiae se nos commendare. Ad coelestia igitur animum conuertit, et aeternae salutis praesidiis instruxit, fiduciaque omni in Numinis fide et optimi seruatoris CHRISTI merito collocata, confirmatus ante a viro summe reuerendo, IO. ROETTIGER HIMMIO sacri viatici vsu, piisque sermonibus, placida piaque morte e vita excessit d. XIII. Decembris mense post, quam annum septuagesimum quintum expleuerat. Factae sunt exsequiae d. XVIII. Decembris iusta funeris pompa, exuuiae-

uiaeque eius nocturno tempore in fepulcro ad aedem D. Benedicti rite conditae. Luculentum honoris in parentem monimentum focietas, quae apud nos floret, latina, a qua inter fodales honorarios colebatur, dedicata eius memoriae funebri oratione, beniuole exftare voluit. Reliquit parens optimus, quod fine iactantia dicere licet, omnibus bonis iisque, qui bonam mentem amant, maximum fui defiderium, fuis vero luctum acerbum. Sed, quod longe maximum eft, viua et fpirantia virtutum et gloriae eius fimulacra fuperfunt, et ingenia ab eo formata et perpolita memoriam eius omni pofteritati confecrabunt. Non contemnenda effe merita, quae ab eo per tot annos in falutem pubis, vfibus publicis confecratae, profecta funt, nec ipfa inuidia negare, aut turpiter disfimulare poteft. Variis tamen, quod aegre fcribo, moleftiis et aduerfitatibus defideratisfimus parens iactatus eft, et calumniis faepe forenfibus, quas vtpote rei familiari admodum noxias non poteft non bonus quisque magnopere deteftari, exercitus. Si quaeris, quid illas conflauerit? ftudium, profecto, enixum officio fuo fatisfaciendi. Ita verum eft, quod dudum experientia comprobatum eft, eum, qui perfunctorie et tralatitie officium fuum facit, facile carere inuidia et obtrectationibus, quibus optimi viri funt obnoxii. Non vnius loci haec labes, hic furor eft, vt inertia pro fapientia fit, quod de Domitiani temporibus Tacitus dixit, et vbi virtuti, et iis, qui illa eminent, inuidetur. Sed recte factorum confcientia virtutisque praefidio tutus, non curauit maleuolorum et male feriatorum hominum inimicitias, et generofo contemtu inanes vltus eft iras. Venio iam ad ingenii et doctrinae monimenta, in quibus optimi Parentis imago clarisfime expreffa eft, quaeque memoriam eius omni aeuo repraefentant et conferuant. Quod reliquum habuit temporis in academia a docendi muneris ratione, illud litteris omne confecrauit, et femper aut legendo meditandoque confirmauit doctrinam, aut aliquid excudit et effinxit, quod effet perpetuo fuum. Teftantur hoc fcripta, quae in academiae fpatiis elucubratus eft, quaeque aut aliorum aufpiciis ab illo, aut eo ipfo auctore et moderatore conflictus ab aliis defenfa funt.

DIS-

DISPVTATIONES.

De immutabilitate Dei, Praeside M. PAVLO FRIDERICO GERHARDO, Pauli celebris ὑμνοποιοῦ filio, a. cIↃ IↃC LXXXIII. Calendis Iunii.

De epilogo Auguſtanae Confeſsionis articulorum doctrinalium, Praeſide IO. DEVTSCHMANNO Calend. Nouembr. a. cIↃ IↃC LXXXV.

De thematibus philologicis de voce ᾅδης, Praeſide CONR. SAM. SCHVRZFLEISCHIO d. XXVIIII. Iunii anno cIↃ IↃC LXXXVII. quae collectione Diſpp. eius eſt LXXIIII.

De diſputationibus academicis, Praeſide D. MICHAELE WALTHERO d. XV. Decembr. a. cIↃ IↃC XCI.

IPSE AVCTOR ET PRAESES DISPVTAVIT.

De ſigno ſancti Pauli epiſtolarum ad II. Theſſ. III, 17. d. XVI. Iulii a. MDCLXXXVII.

De Paulo Athleta ad I. Cor. IX, 26. 27. d. IIII. Februar. a. MDCLXXXVIII.

De Athenis ſuperſtitioſis ad Act. XVII, 22. 23. d. VIII. Iulii eodem anno, quae inſerta eſt theſauro philologico, hiſtorico, theologico in Belgio collecto et excuſo.

De ſpiritu principe aeris ad Epheſ. II, 2. d. XIII. Octobr. eodem anno.

De facto Hielis cum diſpendio duorum filiorum Hierichuntem aedificantis ad I. Reg. XVI, 34. d. XVI. Ianuar. a. MDCLXXXVIIII.

De funeſto Iudae exitu, pro loco in ordine Philoſophorum conceſſo, d. XXX. Maii eodem anno.

De fonte haereſium ad Coloſſ. II, 8. d. XII. Decembr. an. MDC[illegible]XXXI.

De iuſtificationis in veteri nouoque Teſtamento ratione vna et eadem ex Pſ. XXXII, 1. 2. et Rom. IV, 7. 8. d. VII. Iulii eodem anno, qua facultatem ſanctiorem diſciplinam docendi ſibi comparauit, Praeſide D. IO. DEVTSCHMANNO.

De

De Christi seruatoris resurrectione Rom. I, 4. alterius nomine scripta. a. CIↃ IↃC LXXXVIII.

In eamdem diligentiae laudem incubuit, quum Stadae muneri praeesset, nec voce solum, sed et scriptis praeclare de aliorum commodis mereri studuit, cuius rei argumenta sunt, quae ibi prodierunt commentationes. Praeter epistolas officii caussa scriptas ad AVGVSTVM VARENIVM, tum Rectorem de obitu filiolae, GERHARDVM MEIERVM, tum Professorem Hamburgensem, D. NATHANAELEM FALCKIVM, doctrinae salutaris apud Stetinenses interpretem primarium, et in Carolino Theologiae Professorem, quibus felicitatem gratulatus est, XIII programmata, praemissa illis exercitationibus, quibus iuuenes dicendo exercuit, et VII disputationes in lucem emisit. Ipse bis ad dicendum publice prodiit, et in splendidissimo amplissimoque auditorum consessu funebrem orationem memoriae SERENISSIMAE POTENTISSIMAEQVE SVECORVM, GOTHORVM AC VANDALORVM reginae VLRICAE ELEONORAE consecrauit, et post panegyricam orationem dixit CAROLO XII. Suecorum Regi, ob memorabilem victoriam ab eo propter Naruam a Russis reportatam, quae sumtibus amplissimi Senatus formis descripta est. Quedlinburgum delatus eumdem voluit lapidem, et maiori quidem nisu. Longum foret enumerare sigillatim singula programmata, quorum quotannis duo fere et plura edidit, quae quum iustum conficiant volumen, in vnum fasciculum collecta, breui forsan luci publicae exponentur.

SEPARATIM IN LVCEM PRODIERVNT.

Oratio de victoria a Carolo XII. Suecorum Rege ad Naruam anno CIↃIↃCC a Russis reportata, Stadae 1701. f.

Deus Sacrilegii vindex ex historia sacra et profana demonstratus. Quedlinb. 1710. 8.

Ars rationis f. Elementa logica. Quedlinb. 1714. 8.

Nachricht von denen öffentlichen Bibliothequen zu Quedlinburg. Quedlinburgi 1715. 4.

Technica ſacra, Quedlinb. 1716. 4.

Praecepta de Chriis, Quedlinb. 1716. 8. Recuſa ſunt auctiora ibid. 1720. 8. 1733. et denuo repetita ibid. 1736.

Schediasma de tabulariis antiquis. Quedlinb. 1717. 4.

Lineae primae philoſophiae practicae ſ. moralis atque ciuilis. Quedlinb. 1717. 8.

Diſcours von Decanis vnd Decaniſſen. Quedlinburg 1718. 4.

De Medicis, qui mortui ſunt iuuenes in funere Cos. D. Pfannenſchmidii. Quedlinb. 1719.

Praxis Logicae. Quedlinb. 1720. 8.

Epiſtola ad D. Gerh. Meierum de Comitatu Stadenſi. Quedlinb. 1721. 4.

De Templo Cappadociae Comano. Halberſtad. 1721. 4.

Rhetoricus libellus de elocutione. Quedlinb. 1722. 8. recuſ. a. 1736.

Coniecturae de Codice Graeco N. T. quo vſus eſt B. Lutherus in conficienda germanica interpretatione. Halberſtad. 1722. 8.

Vita D. Frider. Erneſti Kettneri, Antiſtitis Quedlinburgenſis. Quedlinb. 1722. 4.

Epiſtola ad V. C. P. A. Boyſenium de Codice graeco, quo vſus eſt B. Lutherus in conficienda interpretatione germanica. Quedlinb. 1723. 4.

Codices MSS. Quedlinburgenſes. Quedlinb. 1723. 4.

Vita D. Gerhardi Meieri, Antiſtitis Bremenſis et Conſiliarii regii. Bremae 1723.

Non Chriſtianorum de Chriſto teſtimonia. Quendlinb. 1725. 4. recuſa ibidem 1736.

Con-

Contra ea, quae in hoc libello disputata sunt quaedam dixerunt, et a parentis sententia suas seiunxerunt duo Augustae Goettingensis Academiae eximia ornamenta CHRISTOPH. AVGVST. HEVMANNVS et IO. MATTHIAS GESNERVS, et hic quidem in Differt. de *Philopatride Lucianeo dialogo* Lipsiae a CIↃ IↃCCXXXI. edita.

Gratulatio ad Io. Georgium de Broke Doctorem Medicum, vbi de origine et progressu artis medicae breuiter agitur. Quedlinb. 1725. f.

Vita Alberti Stadensis. Quedlinb. 1726. 4.

Linguae Apostolorum neque dissectae, neque medica manu MICHAEL. ERICI SOLEICHT redintegratae ac curatae. 1726. 4.

Io. George Leuckfelds *Lebens-Beschreibung. Braunschweig* 1727. 4.

Discours *von denen schwehr zu bekehrenden Wenden, und daher eingeführten teutschen Adel in dem Mecklenburgischen.* Quedl. 1718. 4.

Memoria D. MICHAELIS KAVLITZII. Quedlinburgi 1728. f.

Ersten Gründe der Gottes-Gelahrheit, wie sie von Anfang fortgesetzet worden. Quedlinb. 1730. 8. 1733.

Memoria Friderici Wilhelmi de Posadowsky L. B. de Postelwiz, 1730. f. recusa sub titulo: Vita et obitus Frider. Wilhelmi de Posadowsky 1731.

Epistola ad Georgium Carolum Lossium, patriae ciuitatis Cos. de rebus nonnullis patriae 1731. 4.

Henrici Leonis auctoritas circa sacra Guelpherbyti 1731.

Obseruationes philologicae ex Aristophanis Pluto dictioni Noui Foederis illustrandae inseruientes. Quedlinburg. 1733. 4.

Memoria Ioachimi Quenſtedii, Antiſtitis Quedlinburgenſis. Quedlinb. 1733. f.

Diſſertatio hiſtorico-critica de Pedo epiſcopali. Quedlinburg. 1734. 4.

Praeterea dudum adfectum et paratum habuit opuſculum de ECCARDIS, in quo primo de nomine Eccardi quaedam diſputauit, dein de Eccardis illuſtribus, religioſis et doctis diſſeruit. Variis refertum illud eſt obſeruationibus, quae ad antiquitatem pertinent, ac hiſtoriam medii aeui, ſacram, ciuilem, et potiſſimum litterariam illuſtrant, et plurimum aliis, quibus videndi illud copia contigit, probatum eſt, ſed quamuis ſumma cum cura iam reuiſum et perpolitum ſit, tamen viuo ſe illud in lucem exire non paſſus eſt. Noſtrum eſſe putamus, quod ipſe nobis Parens commiſit, publici illud iuris facere, nec ingratum hoc futurum ſperamus viris harum rerum intelligentiſſimis cupidiſſimisque. Fidem propediem liberabimus.




SATIS-

SATISFACTVM. EST. PIETATI.
QVAM. VT. DEBEO.
PRAESENTIBVS. ET. FVTVRIS. SAECVLIS.
TESTARI. VOLVI.
NE. SOLA.
PARENTEM. OPTIMVM.
MEMORIA. COLERE. VIDEAR.
EXPLEVI. OFFICIVM.
QVOD. AMOR. SVASIT.
SED.
ANIMVS. HORRVIT.
PIETATIS. SALTEM. PROFESSIONE. LAVDANDVM.
QVISQVIS.
AMAS. ERVDITARVM. ANIMARVM. MEMORIAM.
HOC. MONIMENTVM. AMA.
QVO.
EXPRESSAM. HABES. IMAGINEM.
OPTIMI. PARENTIS.
VERBIS. QVIDEM.
VERVM.
ANIMO. MEO. NVMQVAM. NON. INFIXAM.
VT.
ALAT. ET. CONSERVET.
EIVS.
IN. ME. MERITORVM. MEMORIAM.
NON. VOS. LILIA. NON. FLORES. ORNANT.
CINERES. VENERANDI.
NON. AMBITIOSA. ET. INVIDIOSA. VOS.
PROSEQVITVR. LAVDATIO.
PII MANES.
SED.
LACRIMAE. FILII. MOESTISSIMI. DECORANT.

FRVE-

FRVERE. VERO.
ANIMA. SANCTISSIMA.
COELITVM. CHORIS. ADSOCIATA.
AETERNA. FELICITATE.
QVAM. NVLLVS. LIVOR. TVRBAT.
NVLLA. AEGRITVDO. CONTAMINAT.
CVI. IN. TERRIS. IAM. PRAELVSISTI.
MONSTRANDO. ALIIS. VIAM.
QVA. AD. ILLAM. ITVR.
CAPE.
DESIDERATISSIME. PARENS.
PRAEMIA. FIDEI. ET. VIRTVTIS.
PVBLICAE. SALVTI. ET. SVMMI. NVMINIS.
GLORIAE. SACRATAE.
PROPOSITA. VBERRIMA.
VALE. AETERNVMQVE. SALVE.



* * *

QVae paſſim in vtroque volumine typothetarum occurrunt errata, certe correcta fuiſſent, ſi exercitationes Ienae excuſae fuiſſent, nobisque ipſis eas emendare licuiſſet. Iam vero quum alibi prelo ſubiectae ſint; non noſtrae, ſed correctoris negligentiae ea aequi lectores adſcribent. Operam dabimus, vt, quae in poſterum in lucem edentur, hoc in loco typis exſcribantur, atque ita prodeant quam adcuratiſſime emendatae.

p. 6. dedic. lege *languent*. ibid. l. *ſtare* p. 11. praef. l. 15. is *inveniat* pro *inveniatis* p. 12. l. ipſi pro *ipſe* ibid. *admoverint* pro *admoverit* p. 13. lin. ult. lege *poſſint* pro *poſſunt* p. 14. l. *non intelligat* pro *intelligat*. p. 16. l. *aetas noſtra* pro *actus noſtra*. p. 18. l. *Denſtettenſes* pro *Deuſtettenſes*. p. 8. Exerc. l. *herede* pro *heredes*. p. 24. l. *fruſtra* pro *fruſtre*. p. 32. l. *ſibi* pro *ſibi*. p. 35. l. *litteratos* pro *litteratas*. ibid. l. *facultas* pro *facultos*. p. 84. l. *at* pro *ac*. p. 86. l. *perveniat* pro *perueuiat*. p 88. l. *noſtrae* pro *noſtre*. p. 94. l. *rerum* pro *uerum*. p. 100. lege *eos* pro *eum*. ibid. l. *opaca* pro *opace*. p. 101. lege *alieniori* pro *alienori*. p. 102. lege *obrepere* pro *arripere*. p. 104. l. *ad* pro *ac*. p. 117. lege *ſereniſſimus* pro *ſereniſſimu*. ibid. lege *efflagitaſſet* pro *efflagiſtaſſet*. ibid. *ſingulorum* pro *ſigillorum*. p. 130. lege *cui* pro *qui*. p. 139. lege *ſine* pro *ſine ne*. p. 144. lege *exprimenda* pro *expromenda*. ibid. lege *collocutores* pro *collocatores*. p. 159. lin. 9. & 10. l. *iudicium* pro *iudieium*. p. 162. not. (c) lin. 2. l. *Et* pro *Ex*. p. 165. not. (b) lin. 3. poſt vocabulum *Critices* inſeratur *habuit*. p. 165. not. b) lin. 6. l. *el*. pro *el*. p. 166. not. (a) l. 6. l. §. 5. pro § *S*. p. 168. not. a) lin. 1. l. Ξενοφῶντος pro Χενοφόντος. ibid. not. a) l. 2. lege ἀπομνημονευμάτων pro

ἀπομη-

ἀπομνημονευμάτων. p. 170. lin. 2. post vocem *academias* inseratur *se*. p. 170. lin. 6. lege *in sinu* pro *in sinum*. p. 174. lin. 32. lege *aspellito* pro *aspellite*. p. 175. lin. 35. l. *testimonio* pro *estimonio*. p. 178. l. *enodari* pro *eno dari*. p. 183. lin. 1. l. τείνω & τάσεις & sic saepius pro τεὶνω & τὰσεις not. (d) lin. 6. omissa est vox *numerum*. l. 8. omittitur *erratum est*. p. 184. lin. 19. l. ῥυθμὸς. lin. 26. l. *ex* pro &. lin. 31. l. ὁμοιόπτωτα. p. 185. l. ὁμοιοτελεύτων. p. 186. lin. 3. l. *auribus*. lin. 13. l. *constantes*. ibid. not. (k) lin. 6. post *accusativo* ponatur *plurali*. p. 187. lin. 10. l. *apud*. ibid. not. k) lin. 4. lege *horrendum*. p. 188. lin. 21. lege *navis illa*. lin. 26. lege *lentum*. p. 189. lin. 9. lege v. 19. p. 190. not. (o) lin. 3. lege *maioris*. not.) p. lin. 14. ante vocem *tecto* omissum est *ex*. p. 191. not. (p) lin. 23. lege *figuram*. p. 202. §. 1. lin. 13. lege *novum* pro *noum*. p. 203. §. 3. lin. 6. l. παρεχομένου pro παρεχομενου. p. 205. lin. 8. lege καθέδραι pro καθεδραι. p. 207. lin. 17. lege ἀμφικεφάλους pro ἀμφικέφαλους. ibid. lin. 17. & 18. lege προσκεφάλαιον pro προσκεφαλαιεν. p. 226. l. 6. lege *singulorum* pro *singularum*. lin. 21. θεα σας pro θεα-σων. lin. 29. l. Κροτωνιάτης pro Κροτωνιάτις. lin. 31. lege Σπαρτιάτης pro Σπαρτιάτις. p. 229. lin. 7. lege *Plautinum* pro *Plautiuum*. p. 241. lin. 6. a fin. lege ΚΟΡΙΝΘ pro ΚΩΡΙΝΘ. p. 242. lin. 3. l. *quique* pro *quinque*. p. 243. l. 4. a fine lege ὑποσχήσω pro ὑποχήτω. p. 249. lin. 8. lege συμφορὰς pro συμφωρὰς. p. 262. l. 33. pro *iubent* lege *iubet*. p. 264. l. 10. pro *PROFFESSOR* scribe *PROFESSOR* p. 295. l. 12. pro *nulla* lege *nullae*. p. 278. l. 10. pro *esse* lege *esset*. p. 324. lin. 5. lege *mendaciis* pro *mendaciiis* p. 326. l. 2. post *aliquam* adde - p. 329. lin. 17. lege *patronorum* pro *patronum*. p. 331. lin. 19. lege & pro *est*. p. 338. lin. 23. pro *dispensati* lege *dispensata*.



a) 005655905
b) 005655906